CONTROVERSIÆ THEORICAE PRACTICÆ, IN PRIMAM APHORISMORVM HIPPOCRATIS SECTIONEM.

Opus in duas partes diuisum, Philosophis ac Medicis perutile ac periucundum, in quo quæcunque ad venæ sectionem, purgationem, & probam victus rationem pertinent, non minùs accuratè, quàm acutè ac eleganter in vtramque partem disputantur ac enodantur.



Auctore CHRISTOPHORO CACHETO Lotharingo, Serenissimi Lotharingiæ Ducis Consiliario & Medico ordinario.

PARS PRIMA.



TVLLI.
Apud SEBASTIANVM PHILLIPPE Typographum Iuratum.

1612.
Cum Priuilegijs Cæsareo, & Regio.





HENRICO II.

DVCI MARCHISIO

LOTHARINGIÆ, CALABRIÆ, Barri, Gueldriæ, Duci Serenissimo, Potentissimo, Optimo. &c.

CHRISTOPHORVS CACHETVS Lotharingus



Etus oratio est, nostris (si aliàs vnquam) firmata temporibus, quot capita, tot sensus: diuersitas sensuum tricas implicuit inexplicabiles, dubia ferè reddidit omnia, & de omnibus in vtramque partem disputandi occasionem dedit. Enimverò (PRINCEPS SERENISSIME) nihil tam altis fundatum principijs, tanto rationum pondere stabilitum, quin his opinionum quasi fluctibus, non dicam concuti, sed euerti possit, & funditùs dirui. Nihil tam absurdum ac inauditum, tam ab humana mente alie-

num, quin proprios auctores habeat, & fautores. De vocibus litigiosè inter se disceptant Grammaticuli, de illarum notatione, prolatione, scriptione, concordantia discordes, De varijs orationum pigmentis, varia impingunt Rhetores. Vix vllæ apud Philosophos demonstrationes tutæ: paucæ apud Iurisconsultos certæ leges incertum ius, iudicium incertius ex certa lege.

Quid in sanctis literis ratum sanctũque apud omnes? Ipsa diuina vox refractariorum non fugit voces, qui limpidissimo fidei lumini offundere tenebras obstinatè tentant, & inuiolabilem veritatis ideam ore mendaci fœdissimè conspurcant.

Persius Satyra 1.

O curas hominum! ò quantum est in rebus inane?

An verò ab ista labe sunt immunes Medici? Imò vel hoc nomine male' præ cœteris audiunt, quod, si quando plures corpore, nusquam animo simul conueniant, varie' distrahãtur, & varias in lites.

Δίκη δίκην ἔτικ]ε, καὶ βλάβην βλάβη.

Litemque lis, noxamque noxa parturit.

Hinc calumniam vsque adeò grauem patitur apud vulgus ars tota vt nullo

pacto videatur medicina: quemadmodum enim mutua eorum concordia, qui eandem Palæstrã sunt ingressi magnam cognitionis speciem exhibet, pari modo lis & controuersia iustam ignorationis suspicionem inijcit. Equidem quod summo quondam Oratori de Poëtis, idem mihi de nobis ipsis effari licet: In hoc genere, nescio quo pacto magis quàm in alijs suum cuique pulchrum est: Sic se res habet, te tua, me delectant mea. Pudet me quandoque (ingenue fateor) & piget, [PRINCEPS CLEMENTISSIME] coram tua Celsitudine vel cum paribus altercari, vel audire pares inuicem altercãtes. Cesserim ego lubens, & vel victo dederim victas manus: obstat veritatis & propriæ existimationis iustus, nec contemnendus amor. Huic si quo iure possum, detraham, instabit illa vehementiùs, & quodam veluti conscientiæ stimulo ad loquendum impellet. Tanta est vis veritatis cui obluctari nefas, cui primæ vbique deferendæ, tum præcipue apud Principes viros. Ἀλήθεια γὰρ θεῶν ὁμόπολις, μόνη θεοῖς συνδιαιτωμένη. Veritas enim deorum conciuis, sola conuictu fruitur deorum, hoc est principum, qui

deorum filij antiquis dicti, veram, viuamque in terris exprimunt imaginem deorũ. Verùm cùm rarò sub aspectum cadat, internoque obtutu magis quàm externo depræhendatur veritatis splendor, quid mirum tot, tamque inter se dissentiẽtes opiniones inter nostros, tot inde tragædias excitari? tantũ quisque iudicat, quantum videt: tantum videt, quantum sapit: tantum denique sapit, quantũ in probatorum auctorũ lectione [sed antiquorum maximè] quantumque in Philosophicis Medicisque Theorematis ac in artis operibus est versatus: Antiquitas quidem quò propiùs aberat ab ortu & diuina progenie, eò meliùs ea fortassè quæ erant vera cernebat.

Cicero 1. Tuscula.

Philosophiæ verò studium quantas Hippocraticæ doctrinæ suppetias afferat, satis manifestè docuit alter Hippocrates, cum optimum Philosophum, optimum fore Medicum constituit. Prȩcepta Medica certis rationibus constituta vim experientiæ indubitatam tribuunt, exercitatio demum artem perficit; hac destituta experientia, ne experientiȩ quidem nomen mereri potest: quam qui temerè præter artem profiteri

Gal lib. si optimus Medicus.

audent, perpetua caligine suffusi, cæcutientes ægros in foueam, se ipsos in extremam animæ perniciem agunt. Neque enim vlla in terris statuta lex, [nulla saltem obseruata] quæ capitalem Medicorum inscitiam puniat: nulla ei inflicta pœna, præterquam ignominiæ, Vtinam reuiuisceret apud nos tandem aliquãdo illud Ægiptiorum decretum, quo, tanquam Adrastia lege cauebatur, ne quis præter normam à veteribus traditam aggrederetur curationem. Si quis sacrum sequutus librum restituere infirmum nequisset, omni carebat crimine: qui secùs tractasset, morte plectebatur. Vtinam sub eiusmodi cõditione Iuri Talionis daretur locus: repressam momento temporis videremus pseudo-Medicorum insaniam atque audaciam. Sed quò rapior? Quorsum æquissimas tuæ Celsitudinis aures frustrà querelis obtundo? cùm recens ijsdem dotibus & priuilegijs quibus amplissimum illud totius Galliæ Emporium [Lutetiam intelligo] suis in ditionibus facultatem Hippocraticam cohonestarit? nempe, vt omnes intelligant, quantum in nobilissima medendi scientia momentum sit positum, quanta ex illius neglectu

Plini⁹ lib. 29. cap. 1.

Hipp. in sua lege. Herodotus

immineat in ſingulos ruina. quæ tantò grauior eſt, quantò nobilius redundat in ſubiectum, quod vel admiſſo ſemel leui errore, deſtrui; deſtructum, nulla vnquam induſtria reparari poteſt. Hoc ego ita eſſe cùm pluries animaduertiſſem, in eo mihi maximè elaborandum duxi, (ſi & animæ, & nomini conſultum vellem) vt me quocunque ingenio liceret difficultatũ plexibus expedirem, illarum inter cœteras quæ in praxi frequentes, nec ſine periculo obtingunt. Hoc nomine antiquum illud Ilium peragraui, diuinũ illum ſenem Coum tantæ peregrinationi ductorem præfeci: fideliſſimum illius interpretem Pergamemnum comitem, aut ducem potiùs alterum adſciui, cœteros ab ipſis nòn aſpernatus. Quæcunque occurrére aut non ſatis explicata, aut parum validis innixa fundamentis, erutis ex ſapientiæ Medicinæq; ſtudio argumentis firmioribus fulciui, quantum in me fuit, atque illuſtraui: ſparſa vndique & vaga in vnum veluti faſciculum concinnaui, veterem & Socraticam rationem ſectatus contra alterius opinionẽ diſſerendi, nam ita facillimè, quod veriſſimũ eſſet, inueniri poſſe Socrates arbitrabatur.

Cicero 1. Tuſcul.

Mihi iſta ſoli primùm conſcripta neque enim *aliò* circa initi cœpta dirigebam, quā vt ad abditiſſimos difficillimæ ſciētiæ receſſus viam mihi facilem pararem: mox in progreſſu cogitaui attentiùs ſi quid eſſet quod cœterorum ſtudia promoueret. Re poſtmodum vlteriùs producta clariſſimos Collegas meos, tuæ Celſitudinis Medicos experientiſſimos in conſilium adhibui, certò perſuaſus, quæcunque tam probis & laudatis viris proba viderentur & laudata, niſi improbis non poſſe non probari. Dedêre animos ſinguli non reluctanti mihi, imò addidére ſponte iam incitato, vt priuatas haſce lucubrationes palàm in publicam vtilitatem proferrem. Hoc aggredior modo [PRINCEPS POTENTISSIME] ſub auguſtiſſimi Nominis tui fœlicibus auſpicijs & tutela, Leue ac exiguum iſtud opus non ex ſuprema, quam fœliciter ſuſtines, dignitate metiêre, ſed ex ſolita, tibi ab ipſis vitæ primordijs innata facilitate & clementia, quæ vix vlli, non dicam ex domeſticis, ſed etiam exteris ad Sereniſſimam Celſitudinem tuam aditum intercludit. Tua ſic illuceſcet liberalitas in munuſculis id genus literarijs admit-

tendis, vt magnificentia ſolet in regijs erogandis. Bellicis trophæis, regioque & ſupremo tuæ Celſitudinis imperio non ignobilis accedet ex literis gloria, annis ſuccreſcent anni, literatis honor & fauor, dum literas, medicaſque in primis artes ea, quam tua fert humanitas, beneuolentia complectere. Ita faxit DEVS immortalis, tibique ac tuis poſteris perpetuam ex communi voto fœlicitatem largiatur, iuge imperium, & firmiſſimam ſalutem.





AVCTORIS PROPOSITVM AD CANDIDVM LECTOREM.

Ouum opus aggredior (ſtudioſe lector) *imò vetus, & minimè nouum: à nemine quem ſciam, imò à pleriſque tractatum. Illuſtrare praxim vniuerſam mihi eſt animus, diſſentientes medentium conciliare animos, extricare difficultatum inuolucra, controuerſias enodare.*

Non iſtud nouum, non à nemine tractatum: verſantur in eodem argumento non pauci, nec infœliciter, non meo tamen modo, non ſub eodem argumento.

Scribo in Hippocratem commentaria: neque iſtud nouum: actum ago veriùs dixerim tritum. Sponte natas ex Hippocratis Aphoriſmis quæſtiones agito & voluo in vtramque partem, alienas opiniones ex profeſſo confuto, proprias firmis, quantum in me eſt rationibus ſtabilio, vnicum ab Hippocrate Galenum mearum concluſionum (paucas excipio) vbique ferè auctorem aſtruo: &

hæc noua neque ab vllo, quem norim inchoata. Quanquam non defuêre qui longis vel ad Nauſeam commentarijs multa, haud multùm à propoſito meo diſſita ſcripſêre. Omnes, inquam aut certè potiſſimas in vniuerſa Therapia dubitationec proponi ſolitas expono, at Hippocrate dictante, & meo peculiari modo. Suffuſam vndique tenebris, & cæca errorũ caligine medendi methodum primo intuitu video, mox affulgente ſalutari noſtri Appollinis radio emicat veritatis iubar. Vix quicquam aut in Pharmacia, aut in Chirurgia, aut in Diæta difficile ac intricatum reperio, quod primus hic mihi ad interpretandum ſuſceptus Aphoriſmorum liber facile non reddat & extricatum. Purgandi indicationem quæris? Aut quid purgandum, & per quas vias, quibus in morbis, & quandò conueniat, aut non conueniat purgatio? Habes diſtinctè omnia.

De ſanguinis miſſione cogitas? Hîc menſuram diſces & modum intentionemque, & quæ ad iſta referuntur ſingula. Hæres in præſcribenda victus ratione? Scrupulum omnem eximet hic vnicus tractatus: quid, quale, quantumque cibi offerendum ſit, hîc inuenies, ſemelne, an pluries, longis an breuibus interuallis alimonia exhibenda, quo tempore abſtinendum. An his potiora

ſunt alia præſidia, quibus mortiferis humanæ valetudinis hoſtibus mortale bellum inferas? Neque verò ſoli Therapiæ intenti à prognoſtico abſtinemus, non etiã Philoſophis, non literarum humaniorum cultoribus, non ipſis curioſis ſuus deeſt locus. Quæ curioſè, longius eadem fortaſſe nonnullis videbuntur tractata: ſed hi tetricos ponant vultus, ſuo liberè perfruantur, non abutantur otio. Curioſis, quibus nihil videtur nimis quod curioſum, ſcripta iſta ſciant. Vnicum certè lepidioribus id genus quæſtiunculis, eumque primum dedimus Aphoriſmum, nec credo inutiliter, ſed neque præter inſtitutũ Aphoriſmi. Suos hîc etiam Cenſores noſtri modò ne pigeat, & ſibi fortè loquentes audient Philoſophos & medicos, & cenſores. Cætera quæ paulò antè propoſuimus, ex intimis Hippocraticæ & Peripateticæ doctrinæ fundamẽtis ac penetralibus eruta ferè comperient omnia.

Ampliſſimus equidem huiuſce decertationis campus totum hominem & cordatum requirit, tùm in ipſa arte, cùm in artis operibus apprimè exercitatum. At quantum priuatis ſtudijs concedimus, tantum exercitio publico detrahimus: ipſum verò medẽdi munus, vix vllas muſis ſeuerioribus & adſtrictioribus liberas horas eſſe ſinit. Pera-

grandæ vrbes & pagi, exteræ etiam nationes sæpe: plateæ discurrendæ, nunc aulica agenda vita, nunc vrbana, nunc rustica. Dies integra ferè danda ægrotis, nobis nox haud semper integra: quicquid à diurnis occupationibus reliquum est temporis, in agendorum scriptione aut meditatione impendendum. Quid faciam? ab incœpto opere desistere turpe fuerit, sed principibus adstandum? ægrotis seruiendum? seruiendum & musis: pensum absoluam, ita me DEVS adiuuet. Tu interim (Lector candide) *priore ista parte fruere, factum iudica, si me amas, candidè, ego tuum iudicium expecto, si rem improbas, mentem proba. Addam animos & veluti aculeos currenti mihi, cùm vtrumque tibi probatum acceptumque esse intelligam. VALE.*





INDEX GENERALIS
EORVM QVÆ ISTA PRIORE PARTE CONTINENTVR.

Quæstionum series & ratio. 79.


Aphorismus tertius cum commentario. 211

Quæstionũ series & ratio. 217.

Aphorismus quartus cum commentario 407.

Quæstionū series & ratio. 416.





Auctor ad librum.

I *Liber, ignotos tutus percurre penates,*
Celtas, Iberos, Theutonas, Italos, Scotos.
Pæonias arces, Medicæ sacra templa caterua,
Lycæa doctis vocibus sonantia.
Ingredere intrepidus. Quid te mens inuida terret?
Petit alta liuor, æmulos virtus parit.
Zoïlus an Coo? anne tibi Galene pepercit?
Quemcumque liuor oppetit, magnum putat.

Ad Zoïlum.

Magnus homo dici cupis, & cupis vsque videri
Dum nostra dente scripta mordaci petis.
Non bene scis quid agas; vis dicam Zoïle qui sis?
Quemcumque liuor occupat, paruum putat.

Idem ad eundem.

Dictaque & acta ferus laceras mea dente canino,
Si scis, dic meliùs Zoïle, fac meliùs.

Ad eundem.

Zoïle quod reliquis placeo tibi displicet: vnum
Hoc mihi ego placeo, quod tibi displiceo.



AD CLARISSIMVM

D. CHRISTOPHORVM CAchetum Serenissimi Lotharingiæ Ducis Consiliarium & Medicum ordinarium, Bernardi Lordelij Virdunensis Medici carmen.

PErge agedum musas decus immortale colentum
Atque Machaonij, docte Cachete, Chori.
Nunc fœlix parias reliquos ex ordine fœtus
Quos tibi mens dudum, turgida parturijs.
Hoc age, diuitias mentis, mysteria pande
Abdita, quæ paucis cudere multa potes.
Hoc age, nam Genij turgent tibi lacte papillæ,
Et nobis partus bis geminare potes.
Sic tua gemmato viuax rumore virescet
Gloria, & æterna laude perennis eris.

AD LECTOREM.

Aggreditur methodo facili qui grandia, vicit
Si ſimul & doctè vicerit ille magis.
Auctor vtrumque facit: methodum ſi ſeruet eandem
In Medicis ſcriptis, dic mihi quantus erit?

STEPHANVS REGNARD
Tullenſis Medicus.

AD LECTOREM PARÆNETICVM AVCTORIS GRATIA CARMEN.

Suſcipe, Lector, opus doctum, & ſimul arte refertum,
Doctrinæ aut artis ſi videaris amans;
Attonitus ſtudium Auctoris mirabere ſolers
Et vigiles curas, ingeniumque ſagax.
Hoc ita perfectum eſt opus, (vt perfectus & auctor)
Inuidus *vt nemo, quin ſit & ipſe* auidus.

NICOLAVS GVIBERTVS
Lotharingus Doctor
Medicus.

AD EVNDEM BERTHEMII SVÆ CELSITVDINIS SERENISSIMÆ CONSILIARII ET MEDICI ORDINARII.

Abdita cùm referes artis mysteria sacræ
Cachetum dic qua te ratione vocant?
Forte quod in cryptis Peonis condita, pandis
Obscura illustrans hoc tibi nomen erit?
Nam dudum latuêre tua sub mente feraci,
Quæ nunc explanas ac in aperta trahis.
Difficiles tricas tam docta detegis arte
Fax vt magna breuì fulgeat Hippocrati.
Nescius hinc lethi viues, dum gloria Coi
Viuet, & à fausto hoc omine nomen habes.

AD EVNDEM IOANNIS MOVSINI SVÆ C. CONSILIARII ET MEDICI ORDINARII.

Gallia Fernelio celebris, Valesio Iberi,
Pergama Galeno, Thuscia Mercurio
His non ingenio inferior, non arte, Cachetus
Dicatur Lotharæ gloria prima togæ.

ALIVD EIVSDEM.

Hippocrates genio celebris, docta arte Galenus:
Nomine qui celsus, celsior eloquio.
Non tibi deest genius, non ars, non gratia linguæ,
Sunt illis laudi singula, cuncta tibi.

AD EVNDEM IOANNIS LE Feure eiusdem Celsitudinis suæ Consiliarij & Medici ordinarij.

Migrare in viuum defuncto è corpore corpus
Si credis mentes, nempe quia αὐτὸς ἔφα
Mens in te docti redijt Cachete Galeni:
Diua in te Coi transijt aura senis.

AD EVNDEM MATHÆI SERENISSIMÆ PRINCIPIS CAtharinæ à Lotharingia Medici ordinarij.

Languentes morbo, quid plebs, mirare, Cachetus,
Quod mira stygijs eripit arte vadis?
Desine mirari, mirum magis illius arte
Quod moribundæ arti lux rediuiua micat.

Ad eundem Petri Lataxij I. V. Doctoris.

Hippocrati quantum debet medicina parenti,
Tantum à Cacheto debet & Hippocrates.
Ille vſu, ſophiaque artem luſtrauit, & arte
Hic vſu, & ſophia luſtrat, & arte ſenem.

Ad eundem Africanus Cachetus Prior Rimocurienſis.

Lis erat è Medicis cui debita palma: Cachetus
Litem è re Medica tollit, & è Medicis.

Ad eundem.

Ergòne ex Fratrum nec ego corona,
Queìs tua ſuccurris ope vſque gratis
Tam pio occurrens operi tot inter
Gratuler ægros?
Ergòne ingrati vitio laborem,
Marte quem gratìs Sophico erudiſti,
Saphico quin te hoc celebrare gratus
Carmine curem?

F. I. Lolier Franciſcanus.

A MONSIEVR CACHET

CONSEILLIER ET MEDECIN ORDINAIRE DE SON ALTESSE.

Madrigal en Paronomaſe ou alluſion à ſon nom.

Par vne fiction Poëtique de quelque rencontre d'vn Lecteur à lacheuement de l'Impreſſiõ du preſent liure en la Ville & cité de Toul.

QV'ACHEPTE ce Lecteur, dont il faict tant de feſte?
Que CACHE il de ſecret? à mon ſain *iugement,*
Il eſt cher, ou nouueau, *ou* rare *extremement*
A le veoir tant cherir, pour le lyre en CACHETTE.

Eſt-ce point d'un Iupin la Diphthere, ou tablette,
Ou fueille de Sybille, Oracle, ou moniment
CACHETTE au grand Sêel d'vn ſacré Parlement.
Vn Leucôme, *ou depoſt de Veſtale ſecrette?*
Mon eſprit en ce CAS CHET comme en paſmoiſon,
Que ſonge-il tranſporté? *Há! prompte* gueriſon.

Propice Medecin, *ie ſens bien ta preſence*
(Ceſt toy, qui es CACHE') *qui* m'allege
le poulx.
Argument tres-certain, que rare *en ta ſcience,*
Aux eſprits, & aux corps ſeras heureux, &
doulx:
Æſculape nouueau, qui CACHE' à la
France
As choiſy de veoir Toul *pour eſtre* veu de
tous.

Cil qui n'ayant la monſtre
CACHE' de ton renom
Pour ample foid en monſtre
Le CACHET de ſon nom.

Malgré toute ⎫
Tout à mon ⎬ enuie.
Et rien par ⎭

Maiſtre SEBASTIEN THIERY
Aduocat à Toul.

AV ZOILE SIXAIN.

TOy, *qui dans ton enuie aymes à te mirer,*
Et tout œuure enlaidir de ton haleine
ingrate.
N'approche ce miroir, que tu vois admirer
Repreſentãt les traicts de l'ancien Hippocrate.

Narcis, soit ton miroir; ne vien cy t'empierrer
Tu y verrois Meduse, *& elle vn* Harpocrate.

Au mesme, Quatrain.

VEux-tu sçauoir ce QV'ACHEPTE ta langue
En voulant vendre à faux pris ce CACHET:
Tu perds au trocq: QV' ACQVESTE ta harangue,
Qu'vn cadenat à ton trop de CAQVET.

Au mesme, Distiche.

LAisse nous dans nos doigts ce CACHET par tous droicts;
Pour CACHET à tes dents nous te laissons tes doigts.

AD AVCTORIS NOMEN ET Cognomen, opus & operam.

ΧΡΙΣΟΦΟΡΟΥ *vt nomen meritò* fers Christias, *Auctor,*
Χρησοφόρυ *sic* fert vtile *nomen opus:*
Vult tuum idem Antiphrasi cognomen opusq; ΚΑΧΗΤΕ,
Quod malus *haud Auctor, nec* κακόηθες *opus.*

Inuitis inuidis, nec inuitus, nec inuid⁹.

Sic alludebat M. Seb. Thiery Leucus, causarum apud Tullingos Patronus.

CONTROVERSIÆ



CONTROVERSIÆ THEORICÆ PRACTICÆ, in primam Aphoriſmorum Hippocratis Sectionem.

APHORISMVS PRIMVS.

Ὁ βίος βραχὺς ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. Δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα καὶ τοὺς παρέοντας, καὶ τὰ ἔξωθεν.

Vita breuis, ars longa, occaſio pręceps, experimentum periculoſum, iudicium difficile. Neq; verò ſolum exhibere ſeipſum oportet conueniẽtia facientem, ſed & ægrum, & aſſiſtentes, & exteriora.

Commentarius.

Hic Aphorismus præsentis operis, atque adeò totius in vniuersum Medicinæ præfatiuncula est, quâ tum Aphoristicæ breuitatis tacitè vtilitatem commendat, tum etiam Medicum hortatur, vt non modò in suis partib9 exequendis gnauum se præbeat, atque in ļustrium, verùm etiam circa ægrotum ipsum, ministros, externaque omnia prudenter & singulari studio, mētis & corporis aciem, dirigat. Vitæ quidem humanæ ratio, in eas redacta est angustias, vt nec vel in triplum prorogata, singulis quæ ad artem faciunt exactè pertractandis satis esse queat. Vix enim numerando percenseat quispiam, quàm varia & multiplici rerum (penè dixerim omnium) disquisitione inuoluimur. Abditissimos terrarum recessus, & inaccessa Oceani penetralia subimus. Neq; in his inferiorib9 modò subsistimus; verùm, & per sparsas aëris regiones discurrim9, & cœlestes globos, à quibus fouetur vis omnis sublunaribus impertita, curiosè perlustramus. Naturam deniq; omnem, ipsumq; naturæ Archetipum [hominem intelligo] ad cuius conseruationem ars tota componitur & refertur, nobilissimam (inquam) Diuinæ essentiæ imaginē, tanto labore,

Gal. 3. de diff. pulsuum cap. 1.

tanta animi contentione intuemur, vt nihil ſit vndequaque, aut tot difficultatum plexibus obuolutum, aut tanta caligine ſuffuſum, aut tam abſtruſis ſedibus reconditum, quin explicari magna ex parte, tandemq́; in propatulum emitti noſtræ artis beneficio poſſit. Vt verbo dicam, Medico ἅπαν ἄπορον πόριμον, Omne inuium peruium, vt meritò quam ægiptiis Medicis tribuit ſcientiæ gloriam Poetarum Coriphæus, eandem cæteri quoq́; Hippocratis ſectatores ſibi ſuo iure vendicent.

Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων Ἀνθρώπων (inquit ille) — *Homerus Odyſſea δ.*

Nullus non medicus, quo nemo doctior inter Mortales

Iiſdem certè finibus quibus naturæ imperium, non anguſtioribus, Medici cognitio circumſcribitur. Longa igitur & planè ardua eſt ars medica; Id quod triplici medio confirmat Hippocrates. Primum eſt præceps occaſionis lapſus in materia præſertim fluxa & inſtabili, cuiuſmodi humanum corpus. Alterum periculi grauitas in experiūdo, ſemel enim admiſſus error, corrigi amplius & reſarciri ſæpè numero non poteſt, & extremo malo in præſtãtiſſimi animalis interitum

terminatur. Tertium iudicij, hoc est rationis difficultas, quæ in distinguendis causarum differentiis, certòq; definiendis ac dijudicandis euentibus, etiam expertissimos quosq; ita variè torquet, vt in maximè dissentientes abeant plerumque sententias, totq; inueniantur capita, quot sensus. Quamobrem compendiaria tractatione hæc artis prolixitas vitæ breuitati fuit adæquanda.

Vltimæ porrò clausulæ, quam parænеticam paulò ante diximus, talis est intentio. Nisi summâ diligentiâ intendat animum Medicus vt ægrum habeat obsequentem multòq; minus cecæ patientis cupiditati quàm valetudini seruiant assisdentes, sintq; externa ita composita, nullam vt ipsi vim, nullam molestiam, nullam perturbationem afferant, sua expectatione cadet, quantumuis peritè, & concinnè suas partes expleat, vanaq; ac irrita nonnunquam experietur documenta, breuib⁹ hisce capitibus comprehendenda.

Porrò quid per externa intelligatur, docet abundè in Commētario Galenus, Quæ, quanquā sic comparata esse decet, omnia nostrum vt iudicium non peruertant, primæ nihilominus partes, penes

Medici prudentiam ſunt poſitæ, neque quicquam vſqué adeò conferre cenſendum eſt [ipſo Hippocratis teſtimonio] quàm vt is prudentem ſe ſe exhibeat, ſedulòq; ad hoc ſe exerceat, morbis vt proſit aut ne quid noceat. Sed de Medico non opus hîc pluribus; eius partes & notas abundè in controuerſiis expendemus. Secundum in curatione locum tenent ægroti, quorum certè pluris intereſt, nec minus ex officio incumbit ipſis quàm Medicis morbo reluctari. *1. Epid. p. text. 50.*

His namque tribus ars medica continetur, morbo, ægro, medicóq; artis & naturæ miniſtro. Si à morbi partibus ſtet ægrotus, ne Hercules cõtra duos, vitam propriam, & Medici nomen ac induſtriam ignominiosè prodit, cadit vterq; ſua ſpe, cadit in turpiſſimam prædam maledicentiæ; Is affectatæ ruinæ: hic, malè inſtitutæ curationis. Multa hîc multi agitant, plerique etiam ad nauſeam, circa Aphoriſmi & artis appellationẽ, circa occaſionem, & alia non pauca, quæ ego conſultò prætermitto. *1. Epid. p. 2. text. 51.*

Homerus Odyſſeæ μ

——————— ἐχθρὸν δέ μοι ἐστὶν
Αὖτις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν.

——————— *mihi namq; peroſum,*
Rectè dicta alijs iterum ſermone referre.

Quæſitis aliquot contentus ero, quæ noſtri doctoris inſtituto reſpondebunt, & lectorib⁹ futura ſunt, nec inutilia, nec iniucunda. Horum ſeriem & rationem in ſingulis Aphoriſmis declarabo, tum vt primo obtutu propoſitum aſſequatur ſtudioſus lector, cùm etiam vt intelligat me liberè quâcũque acceptâ occaſione, extra Aphoriſmi terminos nuſquam euagari, & quæſtiones minimè ad rem faciẽtes quaſi vi intrudere.

Quæſtionum ſeries & ratio.

ARs longa, vita breuis, inquit Hippocrates. An ita ſit primùm inquirimus. Ad hanc diſquiſitionem (quoniam in anguſtiſſimos limites coactam noſtro æuo vitam hominum pro confeſſo ponimus). Illud accedit non ingratum curioſis problema, cur prioribus ſeculis fuerit humana vita diuturnior? Addit Hippocrates, periculoſam eſſe experientiam, & iudicium difficile, quorum vtrumque cum longiſſima annorum ſerie, & multa canitie firmetur, cadere in iuuenilem ætatem non videtur poſſe. Hinc orta nobis occaſio perquirẽdi, vtrùm iuuenis faciẽdæ medicinæ ſit idone⁹? In quo explicando rationis, pariter & experientiæ vim, explicamus, & neceſſariam mutuam

vtriusque coniunctionem. Quemadmodum etiam inferius quæstione quarta.

Pergit Hippocrates vlterius in artis difficultate proponenda, quæ eò progreditur, vt non solam medici industriam requirat, sed & ægrorum quoque obsequium, assidentium operam & fidem, atque exteriorum influxũ.

Nos presso pede Ducis vestigia sequuti, de medica industria primum disserimus, & quærim⁹, an vnicus sufficiat vni ægroto medicus, an plures simul præstet adsciscere. Hic nobis & cum medicis sermo est, & cum popularibus; vtrosque sui officii monemus. Illos, quomodo mutuò, inter se, & circa ægros gerere se debeant; hos, quomodo circa medicos, & de recto medicorum faciendo delectu. In quo ne quis obtingat error, quo nihil frequentius, sequenti quæstione veras veri medici notas exprimimus. Quæstione quinta ad externa descendimus: medica fortuna, (cui acceptam referunt salutem magisquàm industriæ medicæ imperiti vulgares, atque inter peritos non pauci) quantum hac in parte valeat declaramus. Vltimam quæstionem assidentibus reseruamus, & breuibus quales ipsi esse debeant perstringimus.

Vtrùm humana vita, collatione artis Medicæ ſit breuis.

QVÆSTIO PRIMA.

VItam hanc noſtram, ſi cum priore illa naſcentis orbis ætate comparetur, breuẽ omninò atque exiguam eſſe nemini dubium eſt, vt quæ vix decimã illius partem, niſi quàm rariſſimè contineat. Apud Hypanim Fluuiũ, qui ab Europæ parte in Pontum influit, Ariſtoteles ait beſtiolas quaſdam naſci, quæ vnum diem viuant. Confer longiſſimam illam ætatẽ cum ęternitate, in eadem breuitate, qua beſtiolæ illæ reperietur, imò verò in momentanea, ac ne momentanea quidem, (cum nulla finiti ad infinitum ſit proportio). Eandem eſſe per breuem, ſi in ſe ſpectetur, quotidiana docet experientia, quam ſuo calculo comprobat cõmunis experiẽtiſſimorum virorum auctoritas, qui totius humanæ vitæ curriculum aut venti, aut aëris, vel vndarum fluctuumque celeritate & inconſtantia depingũt: Plato curruí comparauit.

Cic. Tuſ. Ariſtoteles 5. Hiſtoria animal. c. 19.

Τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα
Βίοτος τρέχει κυλισθείς
Rota nam velut curulis
Properat virilis ætas.

Anacreon

Id quod intuiti ſapientiſſimi quondam ægiptii, parùm de conſtruendis palatiis ſoliciti, hu-

mili tugurio, tanquam hospites, reperto diuersorio contẽti, certius & diuturnius æuum consectati, immensis sumptibus Pyramides & Collossos artis miracula, in perpetuam sui memoriam pro tumulo erexerunt. Quanquam longè cum ijs actum est præclarius, quorum virtus, nec obliuione eorum, qui sunt, nec reticentia posteriorum, sepulta esse poterit: non enim vita hæc dicenda est, quæ spiritu, & corpore continetur. Illa inquam, illa vita est, quę viget memoria seculorum omnium, quã posteritas alit, quã ipsa ęternitas semper intuetur, quę vitę breuitatẽ posteritatis memoria cõsolatur, quæ efficit, vt absentes adsimus, mortui viuamus, cuius gradibus etiam homines in cœlum videntur ascendere. Illud itaque apud nos seriò perpendamus, tempus in cursu semper esse, fluere, præcipitari, atq; ante desinere esse, quàm venire, nec magis moram pati. Optimè consultum fore si eo non vtendo laxius, quasi fortuitò spem longam resecaremus, & spatium quod natura currit ratione dilataremus, & destinaremus bonæ menti. Nullas admittamus laborum inducias, quando ne integrum quidem vitæ tempus in studijs collocatum, nostræ expectationi respondere, atque animo integrè ijs artibus excolendo, quibus nostra continetur, satis vsquam esse possit. Et quæso quotusquisque ille est qui vel octogesimum ætatis annum attingat? Quot Simonidas hac nostra tempestate iactantes audias.

Cic. Philipp. 4.

Idem in Orat. pro Marcello & pro Milone.

Seneca de breuit. vitæ.

Symonides — Μνήμην δ' οὔτινά φημι Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν.
Ὀγδωκοντα ἐτεῖ?

Mente Leoprepidem memori nuſquam alter adæquat.
Natum annos decies octo?

Cic. de ſeneſt. — Quot eadem ætate Catones inuenias, qui aut in Græcis, aut in Latinis literis non dicam Philoſophicis, aut alijs grauioribus ſtudijs tum primum aliquid conſequi ſe poſſe confidant? Quin potius iam effœtis viribus, elanguida, fractaq; oculorũ acie, diſciplinæ ſenſu prorſus obtuſo, collapſa memoria, deſperati omnes diſcendi finem faciunt. Noſtra ergo ætas breuiſſimis terminis eſt circumſcripta. Cic. 1. tuſcul. — Quæ verò ætas longa eſt? Aut quid omnino homini longum? nonne modò pueros modò adoleſcẽtes, in curſu à tergo inſequens nec inopinatos aſſecuta eſt ſenectus? At heu! quantò breuior futura, ſi partem infantiæ dederis, decrepito ſenio alteram, ſomno, cibis, exercitationibus, cœteris vitæ muniis obeundis optimam, valetudini inſtaurandæ non minimã, rebus fortaſſe ludicris quàm maximam? vix ac ne vix quidem ad annum decimum excurret. Ad hos veluti calculos humanam reducens vitam Martialis,

Iam noſtri benè computentur anni (inquit)
Et quantum tetricæ tulere febres,
Aut languor grauis, aut mali dolores
A vita meliore ſeparentur:
Infantes ſumus, & ſenes videmur.

Quamobrem verè vt omnia Diuinus Hip-

pocrates, vitam breuem, artem longam, facta vtriusque comparatione, pronuntiauit. Enimuerò cùm artis per se spectatæ amplitudo, præceptorum grauitas, rerum varietas, experientiæ incertitudo, prœceps occasionis lapsus, iudicij difficultas, subiectæ materiæ dignitas, atque instabilis motus, naturam postulent, apprimè dispositam, indefessam animi & corporis contentionem, memoriam fœlicissimam, tersum nitidúmque iudicium nullis externis occupationibus interruptum, nulla corporis affectuum contagione à suis muniis distractum, cui contraria omnia euenient, aut saltem plurima, in tam præcipiti æratum fluxu, anne is vnquam capessendæ difficillimæ scientiæ satis erit? Quid igitur mirum si medicinam cum laude pauci, debita & conuenienti methodo paucissimi exercent? Vt omittam numerosam eorum turbam, qui ipsius difficultate perterriti, quam sibi ediscendam proposuerant exorta desperatione fuere auersati. Quo animaduerso majores nostri simulachro Æsculapij (quem medicinę parentem ferunt) nodosum baculum apposuerunt, draconem subiecerunt; Illo plusquam Gordianos scientiæ nodos, isto prudentiam Medico necessariam non obscuro ænigmate depingentes.

Verùm obstabit fortassè quispiam, & communem Doctorum omnium consensionem in medium proferet, qui cum exacto quinquennij studio medicinę candidatos ad gradus

admittant, doctoralibus insignijs & priuilegijs cohonestent, huiusmodi consuetudine, tanquam aperto suffragio, medicinę perdiscendę, exercendęque satis esse quinquennium videntur approbare. Addo florentissimarum Italiæ & Galliæ, vno verbo melius dixerim Europæ, Academiarum docendi morem, in quibus tertio quoque anno idem quasi Sisyphi saxum reuoluitur, idem auctor de nouo proponitur: quo non aliud infertur quàm noui nihil vltra triennium afferri posse. Quin etiam artem vniuersam longè breuiori spatio quidam docere se profitentur, inter quos ipso Galeni tempore Thessalus ἰατρονίκης hoc est medicorum victor, id enim cognomen impudenter assumebat.

Gal. 1. methodi. Budæus in Pandectas

Equidem concludunt aliquid hæ rationes, quibus nos ducti fatemur liberè, medicam artem nostris temporibus multorum opera ita excultam esse, vt longè breuior quàm Hippocratis ætate sit reddita, in illis enim primordijs veluti mox nata, densissimis errorum suffusa tenebris, incertis opinionum quasi procellis agitata, dubijs successibus innixa, nec adhuc veris firmisque præceptionibus stabilita nullam artis speciem præ se ferebat, sed quam sibi quisque animo finxisset illius imaginem ipsa referebat. Nobis verò quibus post antiquos illos nasci contigit, & ab ijsdem artes plurimum prouectas accipere, non paulò plus commodi ad artes ipsas datum est, vt facillimum videatur, nos ea, quæ, vt inueniret, diu

Gal. si opt. Med. opt. Philosoph.

elaborauit Hippocrates, breui tempore perdiscere. Quanquam vitam hanc nostram in pauciores iam annos contractam, fateamur quoque necesse est, vt meritò, si artem cum vita conferamus, longa illa, hæc perbreuis sit æstimanda.

Etsi verò quinquennio, vel breuiori tempore studiorum cursus absoluitur, nemo tamen inuenietur, qui si curiosè vti decet rerũ euentus contempletur, dies noctesque Doctorum scripta perlustret, cum sui similibus assiduè conferat, non possit verè cùm Socrate gloriari, se quotidie aliquid ediscendo senem fieri, vt immenso semper interuallo, mortis aduentus discendi finem præuertat. De Thessalo non est quod respondeam. norunt qui Galeno student, illum à medicorum albo penitùs obliterandũ. Non desunt tamen hac nostra tempestate illius arrogantiæ sectatores, qui Hippocratem, Galenum, cæterosq; ab ipsis maledictis lacessunt: cùmque nec longas præceptiones, neque operum artis vsum desiderent, artem integram paucissimis mensibus tradere se gloriãtur, nec minus quam Thessalus ipse medicorum victores dici ambiũt, & Fullones, Vespillones, tinctores, omnis ordinis imperitissimos quosque ad medicæ artis opera conuocant & adsciscũt, in quos, non malè torseris illud Martialis.

Qui medicus fuerat nunc est Vespillo Diaulus:
Quod Vespillo facit, fecerat & medicus.

Oritur hîc nostrâ disquisitione non indignũ problema. *Cur prioribus sæculis fuerit humana vita diuturnior?*

An dicendum est (quod nonnulli autumant) parem reuera fuisse primorũ parentum vitam nostræ, sed annos dispares? Menstruos scilicet, quales olim apud Ægiptios: aut trimestres vt in Arcadia? Fictitium est id responsum, sacrarum literarum monimentis & rationi è diametro contrarium. Ecquis quæso veritati consonum putet, si lunares admittamus, Adam, Æuam, cæterosque proximè ab ipsis procreatos, ne octogesimum quidem vitæ suæ annum attigisse, cum posterioribus sæculis centesimũ pene innumeri, centesimum quinquagesimũ ac etiam ducentesimũ non pauci excesserint.

Homerus. Iliad. α.

Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
Ἐφθίαθ' οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ' ἐγένοντο.
Illi bina hominum iam tunc effluxerat ætas,
Queis vnà victus fuit, & primordia vitæ.

Lib. 19. Cap. 22.

Inquit Homerus de Nestore. Quod malè (meo iudicio) de sexaginta solum annis interpretatur Rhodiginus, quasi verò triginta annis ætas humana concludatur, melius ipso antiquior Ouidius in eiusdem Nestoris persona sic loquitur.

12. Metamorphos.

——————————— *Vixi,*
Annos bis centum, nunc tertia viuitur ætas.

An præterea vllus est (vt ad rem redeam) naturæ operum ita rudis & ignarus, qui sibi

persuadeat Caimum ante sextum ætatis annũ eos liberos genuisse quos septuagenarius edidit? Dicent nihil absurdi consequi si trimestres cõstituamus. Inutilis hæc instantia. Nam in sacris paginis, vbi de inundatione generali sermo est, septimi, decimique mensis fit mentio, imò si ad iustum calculum mensium dierũque numerus reuocetur, annum illic integrum nostro haud inæqualẽ reperiemus. An ergô quemadmodum genus omne hominum solo excepto Noë vnà cum familia.

Genes. c. 5.

Genes. 8.

Ζεὺς Κρονίδης ἔκρυψε χολούμενος οὕνεκα τιμὰς
Οὐκ ἐδίδουν μακάρεσσι θεοῖς οἳ ὄλυμπον ἔχουσιν.
Sustulit infensum numen, quia reddere honores
Nolebant superis qui solis in arce morantur.

Hesiodus. ἔργον καὶ ἡμερ: α.

Sic eandem ob causam imminutum vitæ spatium fuit? Id quod ex sacra fortasse historia mutuatus Hesiodus, hisce versibus præclarè decantauit.

Παυρίδιον ζώεσκον ἐπὶ χρόνον ἄλγε' ἔχοντες
Ἀφραδίαις, ὕβριν γὰρ ἀτάσθαλον οὐκ ἐδύναντο
Ἀλλήλων ἀπέχειν, οὐδ' ἀθανάτους θεραπεύειν
Ἤθελον, οὐδ' ἔρδειν μακάρων ἱεροῖς ἐπὶ βωμοῖς.
Ἣ θέμις ἀνθρώποισι κατ' ἤθεα,
Ad breue degebant tempus mœroribus acti
Insulsi, nec enim damnum exitiale valebant
Propulsare à se, neq; dijs seruire volebant
Nec diuûm sacras incendere thura per aras
Vt fas est, moresque ferunt.

Ibidem.

Et sanè (si Xenophonti credimus) ἕπεται τῇ ἀρετῇ σώζεσθαι εἰς τὸν πλείω χρόνον, ἢ τῇ κακίᾳ.

Lib. de republica Lacadamonum.

Virtute in longiorem ætatem quam vitio peruenitur. Stipendium enim peccati mors: vt iure vitæ Lycurgi breuitatem deorum vindictæ tribuerit Homerus.

οὐ δὲ γὰρ (inquit) οὐδὲ Δρύαντος υἱὸς κρατερὸς
Λυκόοργος
Iliad, 3. Δὴν ἦν ὅς ῥα θεοῖσιν ἐπουρανίοισιν ἔριζεν.
Namque dryantæo paucos protracta per annos
Vita est, dũ temerè vocat in certamina, Diuos,
Et paulò inferius οὐδ᾽ ἄρ᾽ ἔτι δὴν
Ἦν, ἐπεὶ ἀθανάτοισιν ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν
——————— *Neque amplius æuum,*
Produxit, postquàm toti est exosus Olympo.

Quanquam humanæ vitæ breuitas non omninò necessarium (si ad particularia sermonẽ conferamus) nequitiæ argumentum censeri debet: Quandoquidem longiore æuo persæpè fruuntur improbi.

Menander Ὃν γὰρ φιλεῖ θεὸς ἀποθνήσκει νέος.
Ætate prima moritur is quem amat Deus.

An verò non solum ob virtutis studium verum etiam ad vtilitatem scientiarum Qualis Geometria & Astronomia (cuius inuentionem Seth eiusque successoribus deferunt) vita longior nascenti orbi concessa est? Harum enim artium ac potissimum Astrologiæ certitudinẽ nusquam illi fuissent adepti, nisi ad annum sexcentesimum vitam prorogassent, quandoquidem sexcentis annis magnus annus absoluitur ait Iosephus. Habet equidẽ probabile aliquid hæc opinio, quanquam in magni anni termino cum Astrologiæ cultoribus ipsi non conuenit:

Iosephꝰ lib. 1. antiqui. Iudai. c. 3.

Astrorum

Aſtrorum enim Planetarumque ad eundem cœli punctum, vnde vnà diſceſſerant recurſum, multi longè maiori temporis ſpatio definierunt. Inter cæteros diuinus Plato hunc ipſum triginta ſex annorum millibus terminauit.

Sed hæc tanquam aliena miſſa faciamus, & ad Phyſica progreſſi dicamus, hanc, vnà cum morbis, calamitatem pernicioſam, otij prolem venerem, & Bacchum intuliſſe. Enimuerò ſi verè Philoſophicis Poëtarum figmentis fidem apud nos eſſe patimur.

Οἶνος καὶ τὰ λοετρὰ, καὶ ἡ περὶ κύπριν ἔρως
Ὀξυτέρην πέμπει τὴν ὁδὸν εἰς ἀΐδην. *In antiq. Epigram.*

Balnea, Vina, Venus cæcæque Cupidinis artes
Accelerant greſſus in Phlegetontis aquas.

Prima namque omnium Pandora (cuius nomine voluptatem intelligimus)

——Ἀνθρώποισιν ἐμήσατο κήδεα λυγρά *Heſiod. 1. operum & Dierum.*

Difficiles peperit caſus mortalibus ægris,

Hæc ipſa nobis acerbiſſimorum dolorum principium fuit.

Νούσων τ' ἀργαλέων, αἵ τ' ἀνδράσι γῆρας ἔδωκαν *Heſiodus Ibidem.*
Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι.

Morborum & grauium per quos exorta ſenectus,
Namque repentinam accerſunt aduerſa ſenectã.

Poëtarum ſententiam ſua auctoritate com- *2. delegib'.*

probat Vniuersa medicorum & Philosophorum schola, Qua ratione motus diuinus Plato pueros ante annum duodevigesimum à vini potione arcebat: Et noster Hippocrates nec Eunuchos, nec ante Veneris vsum pueros, neq; fluentibus menstruis mulieres affligi podagra scriptum reliquit: Podagræ causam in solam venerem mensiumque defectum referendam putans: Quo tempore nondum ab inferis euocata ingluuies, nondum instituti apparatus Persici, sed conseruandæ salutis magis quàm prauæ libidinis explendæ studiosi homines, pro obsonio famem in summis delicijs habebant. Verùm si ab inferis excitaretur modò venerandus senex sententiam planè mutate cogeretur & cum Poëta dicere.

6. Aphoris. 28. 29. 30.

Virg. in Epig.

Vt Venus enernat vires sic copia Bacchi,
Et tentat gressum, debilitatque pedes.

Celsus in præfat. sui operis.

Itaque verisimile est priscis illis temporibus inter nonnulla præsidia aduersæ valetudinis, plerùmque tamen eam bonam contigisse ob bonos mores, quos neque desidia neque luxuria vitiarant, siquidem hæc duo corpora priùs in Græcia, demùm apud nos afflixerunt, Ideoque multiplex ista medicina, neque olim apud Græcos, neque apud alias gẽtes necessaria, vix aliquot ex bonis ad senectutis principia perducit. Tolerandum fortasse malum nisi tantas egisset radices vt promiscuè in mares & fœminas passim grassari audiatur: neque verò id nouum quod ante mil-

le quingentos annos à frugaliſſimo Seneca deprehenſum. Mulieres (inquit) cum virorum licentiam æquarint, corporum quoque virilium vitia æquarunt: neque enim minùs peruigilant, non minùs potant, & oleo ac mero viros prouocant, atque inuitis ingeſta viſceribus per os reddunt, vinumque omne vomitu reijciunt, atque niuem rodunt ſolatium ſtomachi æſtuantis. Ex his ita concludit. Quid ergo mirandum eſt maximum medicorum, ac naturæ peritiſſimum in mendacio prehendi, cùm tot fœminę podagricæ ſint? Beneficium ſexus ſuis vitijs perdiderunt: Et quia ſe fœminas exuerunt damnatæ ſunt morbis virilibus. Quidni modó in tantą morum corruptela eandem nobis liceąt huiuſce Problematis cauſam prætexere? hinc enim prima mali labes in parentibus vtriuſque ſexus altiús defixa, in poſteris cōſeruatur & pullulat.

Fortes creantur fortibus & bonis: *Horatius.*
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam.

Sic Canibus catulos ſimiles, ſic fratribus hædos. *Virgilius.*

Hinc etiam cùm ne hilo quidem alieno periculo ſapientiores euadam⁹, veriſſimum illud hactenus experti ſumus, fortè olim [quod omen Deus immortalis auertat] experientur nepotes, quod pridem ab antiquo illo Arato præuiſum eſt atque prædictum.

Οἵην χρύσειοι πατέρες γενεὴν ἐλίποντο *Aratus.*
χειροτέρην: ὑμεῖς δὲ κακώτερα τεξείεσθαι.

Cuius sententiæ sectator Horatius, verba carmine Lyrico sic expressit.

Horat. 3. Carminũ.

Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Virgilius.

——————————— *sic omnia fatis*
In peius ruere & retrò collapsa referri

Liceat huc curas, odia, inimicitias, inuidiam, auaritiam, cæterosque animi vnà cum sæculis inueteratos affectus referre.

Euripides.

Τίκτουσι γάρ τοι καὶ νόσους δυσθυμίαι

Nam parere morbos tædia & curæ solent.

Et hæc sæculis crescentibus crescunt, quibus crescentibus sæcula nostra decrescunt.

Non desunt qui decurtatæ vitæ causam reijciant in maleuolos cœlorum aspectus. At desineret tandem aliquandò hæc breuitas, atque vnà cum cœli facie mutaretur decursus annorum. Id quod in sæuissimis quibusdam affectibus visum est, quorum sola memoria ad nos peruenit, & in teterrimo illo scortorum flagello [quem morbum Hispanicum, aut Neapolitanum quidam vocant] cuius magna ex parte hoc tempore vis est exstincta, quondam [vt spero] viderint posteri.

Alij demùm innatum rebus singulis calorem, aut (si ita mauis) virtutem quandam diuinitùs infusam paulatim quasi defatigari & deficere autumant: ideoque terram pristi-

nam illam vim & gratiam non retinere, vt auræa ætate quando

——— καρπὸν ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα,
Αὐτομάτη, πολλόν τε, καὶ ἄφθονον———
Hoc eſt, Ouidiõ interprete.
———*Immunis, raſtroq; intacta, nec vllis*
Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus.

Sed hi temerè vt hominum culpam tegãt rerum omnium parentem optimam accuſant: vt enim fateamur vniuerſali diluuio nonnihil de illa procreatricis facultatis bonitate deperiſſe, illud peccati vindictæ tribuendum eſt. Aliàs (vt in cœteris inundationibus fieri aſſolet) potuiſſet ſpatio temporis incommodum inſtaurari. At conſeneſcere terram quam corruptionis expertem docent Philoſophi; Prolificum ipſius calorem debiliorem reddi, quẽ ex cœleſtium corporum influxu totum pendere profitetur naturæ genius Ariſtoteles: Quam ob cauſam inferiorem hanc machinã ſupernis lationibus contiguam eſſe prodidit Eiuſdem virtutem frangi atque hebetari quã certis interuallis Aratro renouatam pares prioribus fruges quandoque pręſtantiores, & antea inuiſas generare norunt omnes; hoc qui aſſerat non iam eum cum imperitis colloco, ſed aut ſtupidis aut cęcutientibus qui neque rationi quicquam, neque ſenſui deferunt, quã ſimillimum iudico. Nunquid verò alius eſt mundus ab eo qui olim fuit? aut alium ſeruant ordinem anni tempeſtates? Inquit Ga- *1. Meteor.* *Gal. ſi opt. Med.*

lenus. Id Philoſopho venire in mentem abſurdiſſimum eſt, cum ſol circuitus ſuos nulla ex parte mutatus percurrat, & aſtrorũ quodlibet ſiue fixum ſiue errans eandem omninò ſtatus rationem teneat. quanquam negari nolim ingenitum hominibus calorem rerum quas non naturales vocant, ac potiſſimùm prędictarum cauſarum violento occurſu ſenſim ſine ſenſu in parentibus imminui atque deperdi, neque vlla vnquã medica induſtria aut alimentorum bonitate pares collapſis facultates reſumere; Vnde tandem imminuto vitæ pabulo & fomite, (vel ſi ita nominare lubet) principio, aut primario animæ inſtrumento & ſubiecto, vita pariter imminuitur. Et hanc quidem principem breuitatis vitæ cauſam ſtatuo: Concludendum itaq; proprio hominum vitio diminutũ fuiſſe humanæ vitæ tempus, eademque ratione magis magiſque in dies decurtari. Quod ſi vnà imminutam terræ fœcunditatem cernimus, noſtram pariter in culpam & negligentiam impingamus. Primis namque illis temporibus excolendorum agrorum cura penes Dominos fuit quam modò ad quemlibet è fæce vulgi transferrimus impatientes laborum. Hinc (vt perfunctoriè ſuas partes exequitur fallax plebecula) ſenſim neglecto cultu deperit vis terræ priſtina, & quodammodo elangueſcit. Non enim fruſtrà à veteribus accepimus, agrum ſui poſſeſſoris oculo, hoc eſt, labore, vigilãtia, induſtria, cultu impinguari. Hûc alludens

quidam rogatus, quorſum minorem hac ætate frugum copiam, quàm anteà proferat tellus, facetè & acutè reſpondit indignari ſe in ſordidiſſimorum homuncionum manus deueniſſe, cùm prius à nobiliſſimis viris, ſummis etiam Imperatoribus, à Curijs, à Catonibus vomere aureo coleretur, Ideòque detrimentum nobis pro ignominia ipſam rependere. Porrò cùm vſque adeò commune ſit vitium vt paſſim in omnes familias, iam inde ab immemoriali tempore (vt loquuntur Iuriſconſulti) irrepſerit, hiſce temporibus maximè ſi aliàs vnquam, verùm illud Euripidis communi malo ſentimus, quod eleganter ſic latinè reddidit Cicero. *Columella*

Nemo eſt mortalis quem non attingat dolor,
Morbuſq́, multi ſunt humandi liberi,
Rurſum creandi, morſq́ eſt finis omnibus *3. Tuſcul. quæſtionū.*
Quæ generi humano angorē nequaquā afferūt
Reddenda terræ eſt terra, tum vita omnibus
Metenda vt fruges, ſic iubet neceſſitas.

An iuuenis facienda medicinæ ſit idoneus.

QVÆSTIO SECVNDA.

QVæſtionem hanc ex præcedenti negatiuè concludendam primo intuitu decernemus. Atque hæc irrepſit in vulgus

opinio, Medicum suis partibus absolutum esse neminem, qui extremum senium non attigerit: vt in plerisque imperita multitudo doctrinam & prudentiam barba & canitie metiatur, quàm ex effectis melius, ex communi virorum experientium suffragio certius æstimaret. Huius opinionis auctores potissimos arbitror fuisse ignauos quosdam Medicos, aut potius Empiricos ex familia Charõtis.

Virgilius. ——— *cui plurima mento*
Canities inculta iacet ———

In quos non iniuria illud Phauorini detorqueas, pallium & barbam video, Medicum Philosophum non video. Hi captandæ popularis auræ gratia experientiam iactitant. longa annorum serie comparatam, impossibile dicunt eundem expertũ esse & iuuenem Plurimos iuniorum erroribus collapsos, sua demum industria restitutos. Atque hi quantùm auctoritati suæ ignoratio detrahit, tantũ sibi falsa rerum à se gestarum cõmemoratione tribui volunt. Qui si virtutis illius quàm maximè profitentur [prudentiam intelligo] vel vmbram sectarẽtur, iuniorum potius studia spe adaucta excitarent, suis animaduersionibus promouerent, iuuenes ipsos apud amicos insinuarent, vt ijs confidentius credere se se assuescerent, quibus si vtendum foret terroris fortasse & detrimenti non parũ diffidentia esset allatura. Ne cui verò æmulationis nomine suspecta eorum reddatur oratio, testes citemus aliquot hac in parte omñi

exceptione maiores qui iuuenili ætati prudẽtiam denegarunt.

Prodeat in primis queribundus ille apud Stobæum Pherecrates cuius hæc eſt de ſenectute querimonia.

ὦ γῆρας ὡς ἀπεχθὲς ἀνθρώποισιν εἶ
Καὶ πανταχοῦ λυπηρὸν, οὐ καθ᾽ ἓν μόνον!
Ἐν ᾧ γὰρ οὐδὲν δυνάμεθ᾽ οὐδ᾽ ἰσχύομεν
Σὺ τηνικαῦθ᾽ ἡμᾶς διδάσκεις εὐφρονεῖν.

O quàm molesta es, quamq́ mortali grauis
Senilis ætas, vndiq́ ac in omnibus?
Nam quando fractus corporis languet vigor,
Tum recta demum ſapere nos primũ doces.

Neque verò alia ratione motus Euripides, vtramque ætatem inter ſe conferens iuuentuti ſenium anteponit.

Ὦ τέκνον (inquit) οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ
Ἐτεόκλεες πρόσεστιν, ἀλλ᾽ ἡμπειρία
Ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον.

Quam ſententiam ita tranſtulit Ouidius.

———— *Non omnia grandior ætas*
Quæ fugiamus habet, ſeris venit vſus ab annis.

Μετὰ τῆς ἡλικίας ἐμπειρία, ἀπὸ δὲ τῆς ἐμπειρίας ἡ φρόνησις.

Ætatem enim experientia, experientiam ſequitur prudentia. Id quod ſuo calculo

1. Tuscul. quæst.

comprobat eloquentiæ Parens, nihil eſt profectò (inquit) hominis prudentia dulcius, quàm vt cœtera auferat affert ſenectus, & idem Euripides his verbis.

———————— ἔργα μὲν νεωτέρων
Βουλαὶ δ᾽ ἔχουσι τῶν γεραιτέρον κράτος.

———————— *Opera iuniorum quidem*
Verum ſenectæ conſilia vim poſſident.

Hoc ipſum propria doctus experientia, Græcorum ætate ſimul & prudentia prouectiſſimus Neſtor Agamennonem in Iliade ſic alloquitur.

Homerus Iliad. 4.

Ἀτρείδη μάλα μὲν κεν ἐγων ἐθέλοιμι καὶ αὐτὸς
Ὡς ἔμεν, ὡς ὅτε δῖον Ἐρευθαλίωνα κατέκταν
Ἀλλ᾽ οὔπως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισιν.
Εἰ τότε κοῦρος ἔα, νῦν αὖτέ με γῆρας ἱκάνει.
Ἀλλὰ καὶ ὥς, ἱππεῦσι μετεύσομαι, ἠδὲ καλεσσω.
Βουλῇ καὶ μύθοισι, τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ γερόντων.

Atrides ô quantus amor mihi, quãta cupido eſt
Eſſe iterum quod eram tum cum hæc mea Ereuthalionem
Dextera confecit, ſed non ſimul omnia nobis
Dant ſuperi, tum prima fuit, nunc me occupat ætas
Vltima; conſilio ſed adhuc, nec inutilis armis
Interero, noſtros decorat prudentia canos,

S

Hinc meritò apud Perſas rei bellicæ munuspenes iuniores fuit. Ii verò qui annum quin

quagesimum excesserant, quos γεραιτέρους hoc est seniores vocabant, cùm inculpatè se se anteactis ætatib⁹ gessisset, tum demũ iudicijs & forensib⁹ negotijs quæ sola auctoritate & prudentia geruntur, fuere præfecti, norant enim policiti & sapientes viri, vt in senectute corporis vires sic ætate iuuenili prudentiam desiderari.

Xenophon lib. 1. de educ. Cyri.

—— αἱ νεότητες (inquit Posidippus)
Ἄφρονες, αἱ πολιαὶ δ' ἔμπαλιν ἀδρανέες

—— *Adolescentibus*
Prudentia, seni virium robur deest.

Qua ratione ducti antiquorum omnium doctissimi Ægiptij, iuuenili senilique forma Mercurium eadem tabella depinxerunt, vt significarent alterum alterius adminiculo indigere, eum scilicet qui cœteris præesse vellet (quem Mercurius referebat) corporis animique dotibus quas gemina illa effigies exprimebat instructum esse oportere. Quid quod in rebus bellicis, quæ totæ videntur à corpore pendere, animi quam corporis viribus longè amplius tribuit Achilles, dum vnicum Nestorem & imbecillum & senem, pluribus & iunioribus, & validissimis antepo suit. Quare Agamemnoni Achillem reconciliaturus is ipse Nestor, suo quasi iure ætatis ratione persuadendi sibi auctoritatem vendicat.

Iliad. σ

Iliad. α. Οἱ περὶ μὲν βουλῇ Δαναῶν, περὶ δ' ἐστὲ μάχεσθαι (inquit)
Ἀλλὰ πίθεσθ' ἄμφω δὲ νεωτέρω ἐστὸν ἐμεῖο.

Consilio primi Gracorũ & Marte, sed ambo
Iussa capessite, me iuniores estis vterque.

Et hæc quantò magis in re medica locum habent quæ non viribus agitur, sed consilio auctoritate prudentia? Quorsum verò externa suffragia tanto labore conquirimus? Nunquid ab Ethices schola iuniores arcet Philosophiæ parens? At hanc atque in vniuersum Philosophiam omnem perlustrarit necesse est, quisquis Medicinæ se se applicat, Optim⁹ enim Medic⁹ qui optim⁹ Philosoph⁹. Galen⁹ verò palàm disertis verbis profitetur, se in pulsuum doctrina consequenda diu multumq; magno studio versatum esse. Et hæc quidem medicinæ pars est exigua, nec præcipua, imò à summo Hippocrate planè deserta, fortè etiã neglecta. Quanto ergo annorum decursu ars tota excoletur? Nemini itaque mirum videri debet, quod Auerrhoës vnicum se peritum nosse Medicum scriptis reliquerit, magnũ scilicet Auenzoarem qui annos quadraginta sub patris disciplina rei Medicæ operam nauarat.

Hactenus multorum auctoritate stabilitum est suspectum de iunioribus Medicis seniorũ quorundam iudicium: Quorum imitatione ne quid temerè sibi persuaderi sinant cœteri quid iuuenis nomine intelligamus audiendum. Iu-

uentutem vti cœteras ætates solent medici certo annorum numero circumscribere ab ipso vitæ humanæ primordio exorsi: Ætatum differentias ab ea quæ in calore natiuo accidit mutatione depromunt: Quod in plurimis euenire longo vsu compertum est, pro regula constituunt, ita tamen vt vltra citraque hos terminos annorum numero definitos, consistere quamlibet ætatem posse non negent: nos medicorum ætatem, non ex calore innato, nō ex pube, aut barba & canitie, aut annorum defluxu, sed ex cuiusque industria metiemur: Eumque iuuenem seruata cum ætate corporis proportione, vocabimus, qui in artis operib⁹ ita versatur, vti iuuenes plerique omnes in ciuilibus negotijs: Eum verò ætate maturum qui maturo genio sic aggreditur singula, vt experientiam rationi nusquam non comitem adiungat. Ex quo consequitur vt quātò quisque altiùs in vtriusque cognitionem promouetur tantò putandus sit ætate prouectior.

Sed sunt aliqui inuita quasi Minerua nati, quidam aliquantò seriùs, mentem studijs applicant, quidam Philosophiæ Theorematum prorsus ignari, nonnulli hac nostra ætate (quę morum est corruptela) Lupanaria sibi & popinas pro Academia constituunt pro Academicis Helluones, alij contra iam inde ab incunabilis Lycæum terunt, cum Peripateticis obambulant, genio sunt ad præclara omnia prompto atq; expedito, vt non mirum sit hos etiam in ætate iuuenili maturos esse Medicos

imò dixerim ſenes : illos ne in decrepita quidem iuuenes, neque integro vitæ curriculo Medici vnquam nomen & dignitatem iure merito ſuſtinere, quibus apprime quadrat illud Anacreontis.

Τρίχας γέρων μὲν ἐστὶ
Τὰς δὲ φρένας νεάζει.

Senem ſapit capillus
Sed mens refert iuuencum.

Iſocrates roganti cuidam ex diſcipulis ſuis, nunquid ſi ſe triēnio in Rhetorica exercuiſſet, de re quacunque propoſita vti ipſe ſolebat poſſet dicere : ne vel pluribus, inquit, annis id quod poſtulas aſſequere. Diſciplinæ namque anni pro diſcentium natura multi ac pauci redduntur. Itaque quod de canitie cecinit Poeta Lyricus, de doctrina & prudentia licet proportione affirmare.

Φύονται δὲ καὶ νέοις
Ἐν ἀνδράσι πολιαὶ
Θαμὰ καὶ παρὰ τῆς ἡλικίας
Εἰκότα χρόνον.

Naſcuntur etiam Iuuenibus
In viris cani
Sæpe & præter ætatis
Congruum tempus.

Gal. 2. acut. comment. 36. Vt enim malitia ſupplet ætatem, ſic ingenium & ſtudium ſenes Medicos facit. Experientia certè quotidiana comprobat, tum me-

liores tum deteriores inueniri, quanquam eandem Palæstram sub ijsdem Gymnasiarchis sint ingressi, nempe qui perspicaci ratiocinio præpollent, ijs qui hebetiore sunt præditi siũt perspicatiores; Laboris item amantes segnioribus, exercitatiores minus exercitatis, qui firmiore sunt memoria, ijs qui minus hac ipsa valent. Equidem si quis hoc robore animi est, atque hac indole virtutis ac continentiæ, vt respuat omnes voluptates, omnemque vitæ suæ cursum in labore corporis atq; in animi contentione conficiat, quem non quies, non remissio, non æqualium studia, non ludi, non conuiuia delectent, magni præclariq; aliquid vel exiguo tempore in Medicina cõsequetur, eoq; magis si Philosophiæ in primis se se gnauiter applicuerit. Vt enim ager quamuis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus, ita est vtraq; res sine altera debilis. Cultura autem animi Philosophia est quæ præparat animos ad satus accipiendos, eaq; mandat his & (vt ita dicam) serit, quæ adulta fructus vberrimos ferant. *Cic. 2. Tusc. quæst.*

Quare meritò Galenus noster industrium negat esse quenquam posse, qui se vino obruat, aut cibis expleat, aut Veneri dedat, denique qui ventri pudendisq; indulgeat. Ex quo efficit, vt si quis verus est Medicus, idem sit vt veritatis, sic temperantiæ amicus, ac præterea methodi rationalis studiosus, Atq; id longa satis oratione prosequitur, in qua perlegẽda, vtinam qui se verè Medicos autumant, tan- *Gal. lib. si opt. med.*

tillum temporis impenderet. Illud hoc loco prætermitti nolim iuuenem Medicum hoc est [vt ego aliter explico] eum qui è scholis recens in vulgus emanarit, hæsurum in multis dubium, multa non animaduersurum, multa etiam planè ignoraturū, quæ iuncta postmodum cum ratione experientia in propatulum emittet. Rationi (inquam) innixa experientia: hæc enim duo sunt in quibuslibet artibus inuentionis organa, & horum alterum si quis medicinæ detraxerit, Solem ipsum è mundo sustulisse videbitur. Claudicat altero pede quisquis alteri duntaxat innititur. Incerta oberrat experientia, errorum caligine vndequaq; obducta, nisi rationem sequatur ducem, eiusq; veluti radijs illustretur, neq; tuta se sola ratio, quàm magistra rerum experientia non confirmarit. Neque enim Medici, non Imperatores, non Oratores quamuis artis præcepta perceperint; quicquam magna cum laude dignum sine vsu & exercitatione consequi possunt

Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. c. 3.

Gal. 9. Meth 6.

Cic. 1. officiorum.

Quemadmodum igitur si vel innata corporis habitudine careant Athletæ, aut sine exercitatione languescere ipsam sinãt, brauium nusquam reportarint: sic horum altervtro destitutus Medicus, certam sibi in humanos affectus victoriam, non dicam polliceri, sed ne sperare quidem potest. Leuem sanè alteri⁹ defectum, cumulata vnius possessio compensat, vt is meritò ad Medicinæ munia admittatur qui mediocriter artis, & Philosophiæ præceptionibus instructus, longa sit pragmatia con-

Gal. lib. si opt. Med.

confirmatus: vel qui in artis operibus mediocriter verſatus Philoſophicis Mediciſque ſtudijs & præceptionibus ſit apprimè excultus.

Quamobrem explodendi Seplaſiarij, atque id genus impoſtores, qui longa cum ægrotis agendi conſuetudine, ne delibutis quidem nobiliſſimæ ſcientiæ eiuſdemque difficillimæ, elementis faciendæ rei medicæ ſe ſe idoneos putant. Et eouſque progrediuntur ſola vſus confidentia inexplebili quadam lucri cupiditate, & arrogãtia perculſi, vt non modò quid agendum ſit intrepidè & imperioſè præſcribant, ſed & probatorum virorum conſilia (ſi dijs lubet) corrigant, immutent, atque peruertant: cæcam illam, dubiam, ac plerumque falſam, & imaginariam opinionem ſuam accuratò iudicio præferentes. Neque mirum id videri debet, ſumma enim ignorantia, inſignem comitem habet imprudentiam.

Equidem quanta in ignoratione verſentur ipſi, is facilè intelliget, qui experiẽtiæ ab arte ſeparatæ vires nouerit, quæ neque vera à falſis diſcernere, nec proprios effectus in geminas cauſas referre, nec quô progrediendum ſit internoſſe, nec vllis rebus modum adhibere niſi rationis beneficio poteſt. *Gal. 1. de diff. Feb. Cap. 2.*

Habeas licebit alterum pedem Ledæ *Martialis.*
Inſulſe, nunquid crure ligneo curres?

Quam ſæpe videas huius farinæ homines cum aut ijs quæ citra demonſtrationem ſunt enunciata credant, aut falſis demonſtrationibus eludantur, non ſolum boni nihil ex- *Gal. meth. Cap. 6.*

cogitare posse, sed etiam ea quæ per experientiam sunt cognita corrumpere. Magna scilicet rationis vis est, & magna in vtramque partem, tum ad ornandū tum ad labefactandam empiriam, quantumque recta ratio lucis adijcit, tantum vel amplius vitiosa detrahit. Vera ergò ratione destituti non tam remedia conferre, quàm dubio euentu remediorum materiam tentare solent: Vt longè capessendæ huic scientiæ sit aptior, qui ne ipsam quidem à limine salutarit, quàm qui deprauatè gerere omnia iam inde à primordijs assueuerit. Id ego sexcentis confirmarem exemplis (plena enim, magno cum dolore loquor, exemplorū sunt omnia) si extra propositum latiùs excurrere liceret. Solos Erasistratæos testes appellabo (quorsum enim nostrorum Empiricorum fieret mentio, qui semel impressas animo ineptias ita mordicùs tenent, vt non modò non rationum pondere, sed ne sensu quidem ipso ab ijs diuelli se patiantur) illi sic firmiter Erasistrati de non secanda vena sententiam amplexabantur, vt suadente etiamnum naturali & communi ratione, aduersa ægrotantium valetudine Chirurgi manum implorante, publica multorum pernicie sectæ hæresim penitùs detestāte, in contrarium nihilominus torqueri nullomodò possent. De Diatritaria abstinentia, quid opus est dicere? qua confecti miserè quam plurimi eandem cum precedentibus calamitatem longè prius incurrerunt, quàm ab instituto desiste-

Gal. libris aduersus Erasist.

Gal. 10. method. 3. & alibi.

rent, qui eam imperabant.

Non igitur cani, non rugæ repente auctoritatem afferre debent, sed ratione stabilita experientia fructus auctoritatis præbet extremos. *Cic. de senect.*

Modò (vt aduersariorum tela retundam) fatemur quidem in iunioribus Medicis absolutissimam illam diuturna praxi confirmatam experientiam non inueniri, Eam tamen inesse posse dicimus, quæ muneribus probè obeundis sufficiat, maximè si in Theoria, vt nobilia solent ingenia, se se accuratè exercuerint, Etenim vt Poëticè respondeam.

Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.

Duplum intuentur, queis iubar Sophiæ emicat. *1. prædict. comm. 15.*

Cœcutit è contrario quisquis ex obseruatione tantum medicam speculationem congerit, nec modò centum, sed mille annis opus habet (inquit Galenus) ob id paruam humilimamque eam plurimum adauxit Hippocrates, ijs quæ ex historia didicit & ipse conspexit logicam adijciens censuram. Non itaque annorum canities est laudanda, sed scientiæ, quando vt optimè Menander.

Οὐχ αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν.

Cani capilli sapere faciunt neminem.

At quæsierit fortè quispiam, nunquid securum putes eorum fidei & industriæ iacentes exponere, qui mox è scholis tanquam ex equo Troiano prodeunt, integram licet Hippocratis & Galeni doctrinam absorpserint, cum omni sint vsu destituti, & prorsus (vt

communiter loquuntur) inexperti? Imo verò quandoque in ipsis primordiis visuntur non parum exercitati, qui pari prudentia & vigilātia praxim cum speculatione iunxerunt non enim (vt perperam fortasse arbitrantur nonnulli) circa initia statim proprio marte practicæ se se applicant, qui rectæ conscientiæ stimulis, & veræ laudis cupiditate incitantur (temerarium id nimis foret Icari Phaëthontis supplicio dignum) sed assidua seniorum, hoc est eruditorum vna atque experientium consuetudine, quorum opera exacto continuoque studio intuentur, & à quibus si quæ occurrunt ardua, rationem curiosè perquirunt. Hac methodo debile adhuc & tenellis defixum radicibus iudicium progrediente tempore continua præceptionum inuestigatione firmatur, fideli obseruationum memoria accrescit, ac demum magisque in dies exemplorum imitatione perficitur. Hæc itaque exordia rei medicæ fœliciter & cum gloria exercendæ satis esse possunt, rudia tamen ipsa, solumque inchoata si cum ea quæ consequitur, perfectione conferantur. Et hęc quidem atque hactenus supposita ad Aristotelis & Auerrhois auctoritatem satis esse possunt. Ad Galenum dicimus longè diuersum esse medicinam à maioribus excultam & traditam capessere, & eandē aut aliquam eius partem ab alijs ignoratā aut contemptam propria industria elaborare & perficere. Illud à iunioribus obtineri potęst, istud ne

ſperari quidem niſi ab ijs qui ab ineunte ſtatim ætate ad extremum vſque ſenium pragmatiæ ſimul & Philoſophiæ ſe ſe grauiter applicuerint.

An præſtet vnicum habere Medicum an plures.

QVÆSTIO TERTIA.

Quæ παρεμβάσεως locum tenet.

QVæſtionem hanc vti & poſtremam popularibus erroribus inſeruit doctiſſimus Ioubertus, quare populariter vtramque pertractauit, nobis verò res erit cum vulgaribus, at cum Medicis maximè, vt quod tacitè in Aphoriſmo propoſitum eſt, expreſſis verbis intelligant, proprio quandoque vitio ſæpius etiam alieno ſua ſe expectatione falli, legitimum medendi ordinem inuerti, ſurſum deorſum ferri omnia, magno ſanè artis & ægrorum diſpendio.

Equidem cum accuratè ſingula perpendo, quæ circa propoſitum vltrò citròque afferri poſſunt, non pauca inuenio, quæ ægros pluribus Medicis cōmittendos ſuadeant, plurima, quæ dehortentur. Illinc ſe ſe offert vaſta illa ac pene immenſa ſcientiæ amplitudo quæ vno cerebro quaſi ergaſtulo concluſa detineri & comprehendi nequit. Non enim

omnia possumus omnes; Itaque vt diuersa sunt hominum ingenia, defectum vnius fortasse alter compensabit. Hic Anatomicos explicabit nodos, ille occultas stirpium vires in lucem proferet, & quæ circa ipsarum cognitionem & differentias orientur difficultates, enodabit. Alter in Theoria subtilior, alter in morborum distinctione perspicacior. Addo praxim vniuersam à cõiecturis pendere atque has ipsas á sensibus. Putredinem à fœtore nares arguunt: Tussis vehementia auditu discernitur. Cadunt in eundem sensum Borborigini singultus, stertor, stridor, aliique soni è corpore erumpentes magni certè ad plurimorum affectuum dignotionem momenti: Distinguntur tactus beneficio arteriarum pulsationes, primæque qualitates atque ex his fluentes, illæ quas tactiles vocant, à quibus in corporis habitus in singularum partium temperaturæ, atque adeò in humoris redundantis affectusque cognitionem non rarò deducimur. Suus quoq; gustui non deesset vsus, sed vetat obiectorum turpitudo, ne quæ aliorum sensuum iudicio in dignoscendis morbis relinqui possunt honestiùs ad ipsum referantur, quanquam in explorandis medicamentorum facultatibus primas huic partes inter cœteros sensus tribuimus. Oculis verò quid non deferimus? Quid tutius in praxi? Quid vtilius aut quid magis necessarium αὐτοψία? Oculis depræhenditur Hippocratica illa facies rudiorum sermonibus decantata,

& eorum omnium quæ educuntur è corpore, ipsiusq; in vniuersum corporis color. Eiusdem opera ex respirationis motu, ex decubitu, ex gesticulatione manuum, ex membrorum situ & conformatione certissima depromuntur argumenta. Ita non obiecti proprij arbiter est visus, sed & circa communia aut solus versatur, aut de ipsis quam aliorum quispiam certius iudicium facit. Leuia fortassè alicui videbuntur ista vel extranea, sed quæ tamen vim hac in parte habent non leuem. Et quæso quotusquisque ille est omnibus hisce naturæ dotibus ita fœliciter instructus non modò vt non aberret, sed ne parem quidem alium in singulis agnoscat? Aurea Antiquorum dicta omnia vti & illud, Plus vident oculi quàm oculus, quo mouemur ne vltra quàm par est proprijs viribus confisi, alieno captui fidem atque auctoritatem denegemus. Quamobrem quod in forensibus negotijs fieri solet, debet & longé accuratiùs aduersa valetudine obseruari. Illic cùm de vi, de mutuata pecunia, de retinenda possessione, aut acquirendo dominio lis est exorta, rem non vnius, at plurium quos fama inter cœteros commendat arbitrio subijciunt. Quantò quæso nos cautiores esse decet in perniciosissimis morborum propulsandis insultibus, restituenda in integrum sanitate, deniq; in conseruando admirabili illo ac pene diuino immortalis animæ domicilio? Itane de cœteris anxij quæ tota subiacēt imperio fortunæ, ipsum naturæ Archetipum

collabi nostrâ incuriâ finem⁹? Itane de accessorio solliciti, id quod princeps & primarium est, & cuius gratia sunt omnia neglecto consilio destruem⁹? Hoc omen Deus immortalis auertat.

At sunt inter Medicos nonnulli (dicam aliorum pace) aut tam arrogantes & morosi, aut ita ignorantes & inuidi, nullum vt nisi coacti socium admittant, nullũ in consilium vocent. Cœterorum contemptu id facere arrogantiæ est: peculiari quodam naturæ vitio familiari consuetudine se subtrahere, rusticitatis. Hanc ipsam pertimescere, ruditatis: æqualem non perferre, inuidentiæ: leuis sanè abiectiq; animi non leuia argumenta. Verùm agite boni viri, resipiscite tandem aliquando, cœterosque vobiscum vnà in consilium adhibete, si prudentiores erunt, vestra non aspernabuntur, at resperso sale temperabunt: sin rudiores eadem opinione sua confirmabunt, id quidem laboranti frugiferum, istud vobis etiam gloriosum, sed de his posteà. Neq; enim sic desideranda penitùs Medicorum vrbanitas vt plebeios homines ab omni errore vindicem⁹, imo verò quicquid aberratur hac in parte, ad ipsos aut omninò, aut maximè videtur pertinere. Sunt enim, sunt fermè innumerabiles quorum vt cum Poeta loquar.

Horatius 1. Epistol. *Feruet Auaritia miseraq; Cupidine pectus.*

Hi diuitias ad vsum comparatas deprauato iudicio ita saluti propriæ anteponunt, vt si quandò morbi violentia oppetiti iaceant af-

flicti, elanguidi, miseri, non modò non plures experientes viros, tanquam auxiliarias copias ad se conuocent, sed ne vnius quidem periti artificis industriæ se cõmittant. Cumq; non agrum, non fundum, non suppellectilem, imò ne exiguam assis partem imperiti rabulæ importunæ loquacitati credant: domesticos, liberos, charam coniugem, proprium caput, fallacibus vagatorum imposturis, violentis cursantium quorundam fumis, rationis expertibus Empiricorum experimentis, vanis auicularum superstitionibus, ipsis sortilegorum præstigijs & incantationibus (Dæmonum audax atque horrendum facinus) etiam scientes exponant.

Audite Anacreontem misellli, eiusq; sententiam verè auream animis vestris altiùs impressam tenete. Hæc ille iocosè, seriò à vobis accipienda.

Ὁ πλοῦτος εἴγε χρυσοῦ
Τὸ ζῆν παρῆγε θνητοῖς,
Ἐκαρτέρουν φυλάττων.
Ἵν' ἂν θανεῖν ἀπέλθη.
Λάβη τι καὶ παρέλθη
Εἰ δ' οὐδὲ τὸ πρίασθαι
Τὸ ζῆν ἔνεστι θνητοῖς,
Τί καὶ μάτην στενάζω;
Τί καὶ γοοὺς προπέμπω;
Θανεῖν γὰρ εἰ πέπρωται,
Τί χρυσὸς ὠφελεῖ με;

Si prorogare vitam
Mortalibus valeret
Seruare nitar aurum
Vt parca dum veniret
Accepto abiret auro
Sin emptam habere vitam
Mortalibus nefas est
Quid conquerār? quid vsque
Lamenta vana fundam?
Nam si mori necesse est
Quid me iuuabit aurum?

Ecce quàm probè & eleganter diuitias ad vitæ conseruationem & prorogationem, tanquam ad proprium vsum retulit. Vos contrà vitæ propriæ dispendio fortunas vestras in arculis & fiscellis curiosè reconditas in vestram perniciem asseruatis. miseri nec modò miseri sed in summa quoque rerum affluentia, ipso diuini Socratis testimonio summè inopes æstimandi: Οὐ γὰρ ἔφη Σωκράτης εἶναι τὴν ὑπέρμετρον κτῆσιν πλοῦτον, τὸ δὲ ὅσως προσήκει χρῆσθαι.

Non enim immensas possessiones diuitias vocabat, sed tantum, quantùm requiritur ad vsum decentē. πένητας ἀπεκάλει, καὶ ἀνίατον αὐτοὺς ἔφασκε πενίαν πένεσθαι, ψυχῆς γὰρ εἶναι τὸ ἀῤῥώστημα οὐ κτήσεως. Hoc est, pauperes appellabat, & incurabili ipsos paupertate premi dicebat, animi scilicet infirmitate non possessionis.

Xenophon epistola ad Lāproclē.

Ἀπόλοιτο πρῶτος αὐτὸς
Ὁ τὸν ἄργυρον φιλήσας

Διὰ τοῦτον οὐκ ἀδελφὸς
Διὰ τοῦτον οὐ τοκῆες:
Πόλεμοι, φόνοι δι᾽ αὐτόν.
Τὸ δὲ χεῖρον, ὀλύμεσθα
Διὰ τοῦτον οἱ φιλοῦντες.

Pereat is expetendi
Qui primus auctor auri:
Iubet id negare fratres,
Et negligi parentes,
Ob hoc cruenta bella,
Quod pessimum perimus,
Tandem per hoc amantes.

Pereant & malè pereant miserrimi id gen⁹ homines, rerũ omniũ indigni, stolidi, sordidi, Titij supplicio dignissimi, cuius emeritas pœnas continuis prauæ cupiditatis quasi morsibus lacessiti, ne in hoc quidem orbe effugiunt grauiora apud inferos (ni ad mẽtem redeant) experturi. Vt interim taceam quam dirè nonnunquam à suis terroribus excarnificati, auaritiæ, & imprudentiæ suæ penas in omni vita luant.

Est alterum quoddam hominum genus, qui crassa ignorantia occæcati Pseudoiatros discernere à legitimis, ac eius qui maximè expedit delectum facere non possunt. Isti (vt sunt in errorem proni) inanibus ludiorum fabulis persuasi, fictis pollicitationibus tanquam Crocodili lachrymis illecti, turpissimè ipsorum libidini, temulentiæ, impuritati, se dant in prædam. Horum equidem deploran-

da calamitas, & commiſeratione proſequenda: illorum comprimenda audacia, tolerantia Magiſtratus accuſanda. Enimuerò cùm in prædones, in ſicarios, in veneficos mulcta ſit capitis æquiſſimis legib⁹ conſtituta, perditiſſimis hominibus nobiliſſimam ſcientiam ementitis, plebeculæ crumenas emungere, atque in ipſius vitam nefariè graſſari impunè licet. Magna illecebra peccandi impunitatis ſpes, in probam indolem cum irrepſerit, periculoſa: cum in ſceleratam inciderit, peſtifera. At quorſum obſecro ſapientiſſimorum principum decreto priuilegia facultati Medicæ ampliſſima liberaliſſimè conceſſa, horum infractoribus pœnæ decretis irrogatæ, ſi Myropolis, tonſoribus & cuiuſcunque farinæ homuncionibus Medicinam factitare conceditur? Quorſum ignorantia & vulgi ruditate qui tales pro Medicis iudicat & habet, iam eò res deuenit, vt omnium artium longè viliſſima cenſeatur medicina? Ignominiæ namque pœna, quæ ſola medicis videtur reſeruata, eos non contingit, aut afficit, qui ex compoſito perſonam ipſius induerunt, ſed artem ipſam veroſque artis miniſtros. Quorſum Academiæ ipſæ immenſis ſumptibus extructæ atque ſuſtentatæ, conquiſiti hinc inde ſummo honorario viri excellentiſſimi ſtudioſi iuuenes magnis impenſis, diurnis nocturniſque laboribus & vigilijs, diuturnis peregrinationibus hiſce artibus inſtituti atque educati, ſi cuiuſlibet ſortis & conditionis ho-

Cic. pro Milone.

Hippoc. in ſua lege.

mines quæ ἀλόγῳ τριβῇ hoc eſt irrationabili vſu compararunt, vel ab aliis acceperunt, palam circa ægrotos experiri à nemine prohibentur? Sanctum illud quondam apud Ægiptios fuit, & pro Adraſtia lege habitum, vt quicunque Medicinam profiteretur iuxta normam ab antiquis, & probatis auctoribus traditam, aggrederetur curam. Si quis ſacrum ſequutus librum reſtituere infirmum nequiſſet, omni carebat crimine, qui ſecùs tractaſſet, morte plectebatur. Nulla apud nos lege punitur ignorantia atque impudentia capitalis. Circulatoribus & minus ius eſt ſua pro roſtris edicendi, miſellos eludendi, Pharmaca aut veneficia potiùs (quod probat exitus) venditandi, & (quod infamia non vacat) ſi quis (vt caſu accidit) à morbo, aut ab ipſorum potiùs manibus immunis euaſerit, cum non paucos, quandoque etiam plures eadem in ciuitate confecerint, quam ſeruarint, fœliciter magis quàm prudenter ab illis acta longè latèque ab ipſis primatibus commendantur, ſigilloque publico inſignita exteris nationibus magnificè exhibentur; quæcũque funeſtè perpetrata ſilentio obtecta diſſimulantur: ſi quæ inde exorta querimonia minimè excuſationis prætextu refellitur. Taceo innumeras obſeruationes ſuperſtitioſas, caracteres, cœteraque id genus ex intimis Auerni penetralibus hauſta præſidia, à quibus ne prudentiores quidem vulgò æſtimati dum dolent abſtinent.

Athenienſis Senatus decreto obruta lapidibus eſt muliercula, quod præter deorum & naturæ inſtitutum ſolis verbis & incantamentis nullo adhibito remedio morbos profligaret: Nos dæmonum inuenta præter naturæ ordinem, in diuini numinis deſpectum tanto ſtudio amplectemur? Illa nos ſalutaribus præſidijs ex ipſis naturæ fontibus erutis ignominioſè anteponemus? Dicam equidem de Medicina idem quod de iuſtitia Heſiodus noſtræ quam ſuæ ætati conuenientiùs hiſce verſibus decantauit.

Νῦν δὲ ἐγὼ μήτ' αὐτὸς ἐν ἀνθρώποισι δίκαιος
Εἴην μήτ' ἐμὸς υἱός, ἐπεὶ κακὸν ἄνδρα δίκαιον
Ἔμμεναι, εἰ μείζω γε δίκην ἀδικώτερος ἕξει.

Nunc verò nec ego mortales æquior inter
Eſſe velim natuſque meus: nā iuris amantem
Eſſe malum, ſi plus iniuſtus iuris habebit

Atque vtinam poſſem eadem ſpe fretus verè quod ſubijcit vſurpare.

Ἀλλὰ τάγ' οὔπω ἔολπα τελεῖν Δία τερπικέραυνον.

Sed reor hæc non ferre Deum qui fulmine gaudet.

Verum (proh malitiam hominum) eò deuecta res eſt modò, vt indubitatum illud oraculum, ſeni de filio ſuo inquirenti redditum hac tempeſtate magno bonorū omnium mœrore, & luctu experiri liceat, ὡς σφόδρ' ἐστὶ συμφέρον τὸ μηδὲν ἀσκεῖν ὑγιὲς ἐν τῷ νῦν χρόνῳ Impendio commodum exiſtere, recti nihil hoc tempore exercere. Hæc quidem Diuino arbitrio finientur: Nos interim medendi me-

Ariſtophaneas

Gal. meth cap. 2.

thodum quæ veteribus exculta, modo iacet neglecta, pro virili restituemus.

Tertium præter hos reperitur genus hominum qui quanquam Medicis non aduersantur, eorumq; auctoritati & doctrinæ tantùm deferunt, quantùm humana necessitas & virtutis splendor deferri iubent, perhorrescunt tamen congressum plurium: vnius, quem fide & eruditione præstantem putant, regulis subijci malunt. Et hi quidem tanto rationũ pondere suffulti sunt, vt in trutinam potiùs reuocanda sit ipsorum sententia quàm penitus reijcienda.

Proferunt in primis hæc ex Poeta Ascræo quæ licet in omnes qui in eadem versantur arte, iactari solent Medicis ante cœteros quadrare volunt.

Ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων
Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Hesiod' ἔργων καὶ ἡμερῶν α

AEmulus est vicini oculus, figuloq; perosus
Est figulus, fabroq; faber, nec egenus egeno
Est fidus, nec Cantorem Cantor amicum.

Hæc consueta inter pares æmulatio discordiam, discordia contentionem, contentio confusionem parit: Et sanè, dum hic reprehendendi studio bellè alioqui proposita Sophisticis argutijs conuellit, alter ostētationis gratiâ, in Logicis aut ἀλογίστοις potiùs quæstiunculis versatur: Tertius noua quædam &

inusitata à nemine (si dijs lubet) animaduersa comminiscitur, manet interim indecisa procedendi ratio, status morbi plerumque longè quàm anteà obscurior, difficilior exitus, spes salutis incertior.

Interim occasio labitur ea peragendi, quæ fortè diutiùs protracta incommodi non minùs quàm vtilitatis sunt allatura. At demus inter Medicos (quod raró accidit) priore congressu optimè conuenisse si quid in posterum noui symptomatis accessio innouari iubet, oportunū non est omnibus idem denuò conueniendi tempus, accedit iste maturius, ille serius, en abrepta deliberandi via, ab hoc ne si æger postulet inscio altero quicquam decerni nefas. Patitur interim afflictus, distorquetur variè corpore & ánimo, angitur, excandescit, clamat; clamoribus & perturbationibus ingrauescit malum, fit vigilia contumacior, febris ardentior, sitis arescentibus faucibus asperior. Ille tum obtestari assidentes, si quid facere recusant, si tantillum remorantur, obiurgare, increpare. Premit hoc ipso dolor vehementiùs. Quemadmodum igitur euenit non raró.

Hesiodus ibidem.

ὄφρα ἀποτίσῃ
Δῆμος ἀτασθαλίας βασιλήων οἳ λυγρὰ νοεῦντες
Ἄλλῃ παρκλίνουσι δίκας σκολιῶς ἐνέποντες.

Vt patiatur
Plebs regum delicta, animo qui praua volutant
Atq; aliò flectunt; oblique iura ferentes.

Sic

Sic Medicorum vitia plerũque in ægrorum caput retundere solent. Quid faciant interim assistentes blanda oratione nihil promouent, nec enim,

Sunt verba & voces quibus hunc lenire dolorem *Horat. 1. Epist.*
Possis, & magnam morbi deponere partem.

Non eloquentia sed remedijs curantur grauiores affectus. *Celsus.* At nondum de præsidijs apud Medicos definitum. Procrastinandum est.

Quam longè cras istud vbi est? aut vnde petẽdũ? *Mart. 5. Epigr.*
Nunquid apud Parthos, Armeniosq; latet?
Iam cras istud habet Pelei vel Nestoris annos.

Tali Ethopeia, hisce Dialogismis, concludunt numerosam Medicorum turbam ægrotis penitùs exitialem. Ac veluti nullo obstaculo superstite, certa victoria potiti, triumphum emeriti, ita tandem imperiosè concludunt, Quæ igitur causa fuit, vt sapientissimi Legislatores vnico tutore contenti à pluribus abstinerent, eadem in constituenda valetudinis tutela locum habeat necesse est. *Oloff. l. si tutor. §. ff. de tut. & cur. segni⁹ expediunt cõmissa negotia plures.* Verùm non hi solum sed & Philosophi quoq; vnius principatum Polyarchiæ anteposuerunt. Inter cœteros Pythagoras cum rerum omnium causas ad numeros referret, bonorum principum constituit vnitatem. Cuius sententiam Poetarum Principes suo calculo confirmarũt, sic enim in Andromache Euripides.

Ἑνὸς δ' ἀ δυνάμις, ἀνά τε μέλαθρα κατά τε πόλεας
Domi, ac in vrbe sit potestas vnica

Sic in Iliade Vates Heroicus in Vlyssis

persona quem Διογενῆ, καὶ πολυμήχανον vocat, hoc est diuinum & industrium.

Iliad. β. Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, Εἷς βασιλεύς

Haud multos regnare bonum est, rex vnicus esto.

Tantorum virorum auctoritatem multorum seculorum experientia confirmauit. Nobis instar omnium Romanorum exemplum esse potest, qui cùm nullis anteà viribus, nullis machinis debellari potuissent, Gallorũ armis insigni prælio deuicti atque prostrati tandem cesserunt, ob id potissimùm quod pluribus tribunis militaribus rei bellicæ cura fuisset commissa, quæ vnius imperio subijci debuisset. Dent modò victas manus tot tantisque rationibus euicti contrariæ opinionis assertores. Sapiant Adriani malo periculum non experti, is iam morti proximus, imprudentię sibi tum demùm conscius, in perpetuam rei memoriam suo hæc monumento insculpi iussit. *Turba Medicorum perij.* Quo testimonio quid grauiùs dici, aut excogitari potest? Erat is summus Imperator, non deerat liberali mercede conductà ministrorũ fides, nihil in omni apparatu mancum aut imminutum proprijs se (quod in tali Principe admirationem auget.) voluptatibus abdicarat, aliena viuebat quadra, perijt nihilominùs, & perijt conquisitis omni ex parte Medicis, longiori æuo fruiturus, si vnius dumtaxat industriæ se se penitùs addixisset. Magnam sanè persua-

Plutarch. in Camillo.

dendi vim habet hæc oratio, ſed vetāt priore loco poſita ne ante in ipſius partem abeamus quam diſcuſſa fuerint ſingula. Quoniā tamen id foret longiùs quàm poſtulet neceſſitas, Lectori forſan importunum (iam enim aliquantò latiùs opinione noſtra progreſſi ſumus) conſultius arbitror ſententiam propriam breuibus declarare. Sic itaque cōſtituo. Expedit oblato difficili caſu plurium iudicio negotium committere, eius verò quod definitum eſt executionem vnius fidei & vigilantiæ relinquere: ſi quid denuò ſe ſe difficultatis offeret, iterata conſultatione perquirere, ac poſtmodum ei, cui anteà, exequēdi partes demandare. Hac vnica methodo ſcrupulum omnē eximemus, & quæ hactenus in vtramque partem fuêre obiecta, dubitandi occaſione quacunque abrepta etiam taciti conciliabimus & diluemus.

Illud de Adriano non tacendum (ne cui temerè in poſterum vitam credant principes viri) cum Medicis artib⁹ nihil is promoueret, ad Magicas confugit; moxq; incātamētis quæ in abdomine cōtinebatur aqua, recidiu āpaſs⁹, reſtitui ampliùs nō potuit. Non igitur perijt Medicorum turba, ſed impoſtorum culpa, Imò (vt veriùs loquar) ſua propria, cum ſceleratorum hominum nugis & præſtigijs id tempus daret, quod creatæ è cœlo Medicinę quod verè diuinis Hippocraticorum remedijs debebatur, Miſerandum hac noſtra ætate [lubet hoc repetere & ſæpius inculcare] Mi- *Dion in Adriani vita.*

ſerandum (inquam) paſſim cõmune vulgi [ne quos grauioris ordinis immiſceam) ad ſortilegos id genus, ad auiculas, ad quemlibet è fæce plebeculæ, tanquam ad ſacram anchoram refugium. In hac tanta morum corruptela, in hac tam effrenata, efferata potius licentia, quæ in humanum caput redundat, ne ſacerdotes quidem ipſi non monachi ſeuerioribus legibus adſtricti (abſit inuidia verbo) tam parùm in Theologia, quàm in Medicina verſati, non inſcijs Antiſtitibus & ſuperioribus palam à facienda Medicina abſtinent: multos (quæ artis eſt libertas) interficiunt, plures in ſummum vitæ diſcrimen adducunt: plurimos, cùm non multùm adhuc prouecto malò ſeruari potuiſſent, tandẽ deſperatos relinquunt infinitos (omnes penè dixerim) falſis perſuaſionibus ad ſe conuocant aperto etiam clariſſimorum Medicorum contemptu, quos ſancta & religioſa prædicatione commendare, cœteros eruditis & ſerijs concionibus à tam leui, periculoſa, exitiali & peſtifera opinione & ignorantia deberent auocare. Sed quid de Medicis dicam, qui ſalutaribus artis præceptionibus poſthabitis & neglectis, has etiam vulgi nugas, terunt? pro indubitatis & nunquam fallentibus coniecturis, vmbratiles quoſdam fucos, & aniles fabulas conſectantur? Digni ſunt equidẽ cùm Medicinam deſerant, qui à Medicorum albo ſubtrahantur, & æterna infamia notati, à ſuis etiam deſerti, ad infimos ordines relegentur.

Iam nunc tandem Coronidis loco obſecro obteſtorque vos amantiſſimi collegæ (vos enim vos mea potiſſimum ſpectat oratio) ne vllis vnquam contentionum fluctibus, ſic à propoſito veſtros animos diuelli patiamini vt proprij muneris quaſi obliti ad aliena deflectatis. Abſit à cordatis viris pernicioſa id gen⁹ æmulatio. Verùm quos ægroti fides, & remediorum expectatio conuocauit, diuerſitas in iudicando, libertas in proponendo, conſtantia in conſulendo, in diſcordiam rapuit eoſdem ſalutis afferendæ cupiditas, virtutis amor, ratio firmior, veritatis ſtudium ad concordiam reuocet, Honeſta ſané contentio, quæ veritate perſpecta conquieſcit, Tamdiu ea æſtimanda, quandiu aut proficit aliquid aut ſi non proficit non obeſt. Trahimur quidem omnes laudis ſtudio, & optimus quiſq; maximè gloria ducitur, omnes incendimur ad ſtudia gloriâ. *Cic pro Lælio.* *Idem pro Arch. Poëta.* *Heſiodus lib citato.* *Cic in Piſonem.*

ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι

Et hæc homini contentio honeſta eſt.

Vt enim leuitatis eſt inanem aucupari rumorem, & omnes vmbras etiam falſæ gloriæ conſectari. Sic leuis eſt animi lucē ſplendoremque fugientis iuſtam gloriam, qui eſt fructus veræ virtutis honeſtiſſimus, repudiare. Eſt gloria ſolida quædam res, & expreſſa non adumbrata. Ea eſt conſentiens laus bonorum incorrupta vox bené iudicantium de excellente virtute: Ea virtuti reſonat tanquā imago gloriæ, quæ quia rectè factorum plerum- *Idem 3. Tuſc.quæſt*

que comes eſt, non eſt à bonis viris repudienda. Illa autem quæ ſe eius imitraticem eſſe vult, temeraria atque inconſiderata, & plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix fama popularis, ſimulatione honeſtatis formam eius pulchritudinemque corrũpit; itaq; viri ſapientes & perfecti, atque excellentib⁹ ingenijs prædicti excitantur ſpe gloriæ quæ habet formam honeſtatis & ſimilitudinem. At virtutis gloriam præmium haud prædam putant. Præmium virtutis eſt honor iudicio ſtudioque prudentium delatus ad aliquẽ, non ſophiſticis captionibus, aut vana ac inutili oſtentatione conquiſitus. Is eſt virtutis fomes, hanc ambitio peperit, æmulatio confirmauit. Miſerrima omniũ ambitio, honoriſque contentio, à qua (vt difficile eſt cum cœteris præſtare volueris ſeruare æquitatem) iurgia, ſimultates, inimicitiæ etiam inter amiciſſimos (quales inter ſe Medicos eſſe par eſt) oboriuntur. Vt meritò ἄλγος ἔμφανες hoc eſt malum euidẽs à Pindaro vocetur. Et Δεινὸν κακὸν, graue malũ ab Euripide. Cuius grauiſſimam ſententiam noſtra omnium memoria digniſſimam, vtinam tum maximè cum circa ægritudines ineunda deliberatio, mentis oculis defixam teneremus, Is Iocaſtam filio ſuo Eteocli ita loquentem introducit.

Idem de ſenectute.

3. de Oratore.

1. Officiorũ

Τὶ τῆς κακίστης δαιμόνων ἐφίεσαι
Φιλοτιμίας παῖ, μὴ σύγ᾽ ἄδικος ἡ θεός
Πολλοὺς δ᾽ ἐς οἴκους, καὶ πόλεις εὐδαίμονας
Εἰσῆλθε, κἀξῆλθεν ἐπ᾽ ὀλέθρῳ χρωμένων.

Ecquid Dearum pessimam amplexu foues
O fili inanem gloriam? Nequam est Dea
Caueto; multas prosperas adijt domos,
Vrbesque, & abijt, inferens cladem suis.

Ex huiusmodi namque futili & inani concertatione, quid boni, quid præclari vnquam sperari in Medicina potest? Cadmæa fortasse victoria, victoribus & victis, Medicis nimirum & ægrotis, atque adeo præclarissimæ scientiæ ignominiosa, infamis, lugubris, pestifera.

Quæ sint veri Medici veræ notæ?

QVÆSTIO QVARTA.

SI ex vulgarium calculo decernenda foret quæstio; tot fortè veras veri Medici notas proponi audiremus, quot Medicos: Externas quidem illas, quibus ad viuum exprimendis, ne Appellis quidẽ opera satis esset. Nonnullis promissa barba satis ad iustã boni Medici opinionem videtur. Alijs sine canitie non satis. Quibusdam placet curiosus totius corporis ornatus, placet Medicus qui.

Non nisi vel cocco madida, vel murice tincta *Martialis.*
Veste nitet.

Ex aliorum suffragio magis ad pompam facit nitor is, quàm ad doctrinam, quæ sub sordido palliolo plerumque delitescit. Non desunt qui Medicum ex diuitijs æstiment, ex

numero ſeruorum & ſtipatu; ex domeſtico apparatu, eum extollunt.

Martialis.

Cui diffuſi iugera campi
Vrbanique tenent prædia multa lares
Et ſeruit dominæ numeroſus debitor arcæ
Suſtentatque ſuas aurea menſa dapes.

Sunt qui iſta meliùs ad fortunam quàm ad animũ referenda putent. Denique (quid enim opus eſt in ſingulis diutiùs morari?) Plerique Athenienſes atque Aſiaticos non ferunt, Lacædemonios quærunt, aut Cretenſes. Τοὺς μὲν βραχυλόγους, τοὺς δὲ πολυνοίαν μᾶλλον ἢ πολυλογίαν ἀσκήσαντας, Illos quidem breuitatis ſtudioſos, hos verò referta ſententijs magis quàm verbis, Oratione vti ſolitos (vt inquit Plato) Non pauci contrà longa oratione delectantur, imò fabulis: Curas verborum Lenocinio falli aſſerunt & dolores leniri.

Euripides in Hippolito Coronato.

Εἰσὶν δ' ἐπῳδαί, καὶ λόγοι, θελκτήριοι·
Φανήσεταί τι τῆσδε φάρμακον νόσου.

Sunt cautiones, blanda verba ſuppetunt
Quibus medelam languidis membris pares.

Sermonis copiam ſcientiæ tribuunt & comitati; ignorãtiæ, aut ruſticitati, paucitatem. Facundus comes in via pro vehiculo eſt [inquiunt] facundus Medicus in morbo pro remedio: quem alij ſilentij & grauitatis amatores. Alterum morbum vocant. Has omnes Medici notas quanquam externas, minimèq; ad Medicum, quà Medicus eſt, ſpectantes,

noster Hippocrates annotauit, paucis vt solet, at multùm significantibus his verbis: introitus, sermones, figura, vestis, ægrotãti, tonsura, vngues, odores. Quæ ita copiose suo commentario illustrauit Galenus, vt alio non sit opus. Et hæc sanè ad Medici commendationem, & dignitatem conferunt aliquid, ad essentiam, ne hilum quidem. *6. Epid. parte 4. t. 9. libro de Medici.*

Itaque qui rem arctiùs intuentur, ex intimioribus Medici partibus intimiores legitimi Medici notas depromunt, non vno tamen modo. Quidam ex euentu de Medici præstantia iudicium ferri volunt: Alij ex vsu, & remediorum selectissimorum copia, & delectu: Tertij ex discursu innituntur omnes suis & probabilibus argumentis, singulos seiunctim audiamus.

Qui ex effectis iudicant, communi se se prouerbio tuentur, quod pro axiomate constituunt, ex vngue leonem, ex opere operantem. Vt enim optimus es dicẽdus Architect⁹ qui affabrè elegantem construit domũ: Pictor optimus, qui rem optimè suis coloribus depingit; Optimus musicus, qui æqua vocis commoderatione ad concentum & Harmoniam vtitur; Et in cœteris artibus quarum finis actio, earundem laus in opere consistit: Sic profectò, neque optimum iure appellaueris Medicum, qui ad describendam exactiùs totam morbi idæam, integrum Hippocratem allegarit, omnes promiscuè, (quod factitant nonnulli) omnis generis herbas, radices, flo-

res, ligna, ſemina in vnam patinam congeſſerit, mox elanguida, atque imbecilla vitæ fundamenta tam inſigni congerie oppreſſerit: Eum potiùs optimi nomine donaris, qui propè exhalantem animam ſuâ induſtriâ ſuſtentarit, ſalutem attulerit. Et quæſo (ſi ad experientiam prouocemus) quot ægrotos videas magnificis eorum verbis & receptis, quorum magnifica apud omnes commemoratio, depreſſos magis quàm adiutos, ab alijs poſtmodum quibus agere prudenter, quàm loqui diſertè, faciliùs, paucis præſidijs reſtitutos? Quis verborum aut receptarum vſus niſi intentum expleas? Si ex Theoria & diſcurſu metiris hominem, en tibi literatiſſimum iuuenem mox è ſcholis erumpentem offero, quem, ſi dijs placet, ſenioribus anteponas, quibus longa deſuetudine iſta defluxerunt. Sin ex longo vſu, Pharmacopæum aliquem produco, qui plures ſolus potiones propinarit, quam decem Medici præſcripſerint: Cuinam horum palmam detuleris, niſi ei qui optimè ſanarit? ſiue enim in experientia, ſiue in diſcurſu vim maiorem collocaris nulla vtrique maior, quàm à reddita ſanitate gloria comparatur, quocunque tandem diuerteris exitus acta probat. Equidem qui ex verbis hominem non ex geſtis probant, pluris in re militari fecerint Philoſophũ illum coram Hannibale de re militari grauiter & copiosè diſſerentem quàm ipſum Hannibalem. Ac Vlyſſis loquacitati potiùs quàm Ajacis fortitudini toties exploratæ Achillis arma adiu-

dicarint, at Philoſophum illum exploſerit Hannibal. Verboſitatem cum abiecti animi nota Vlyſſi exprobarit Aiax, *Ouid. in Metamor.*

Sed nec mihi dicere promptum,
Nec facere eſt iſti, quantumque ego Marte feroci,
Inque acie valeo tantùm valet iſte loquendo.

Pari ratione, Medicum reiecerit Medicinæ parens qui ſuam induſtriam oratione non opere confirmarit. Δηλοῖ δὲ ἡ ἴησις inquit, oſtendit autem ſanatio: nempe ijs quæ ſingulis artibus ſolerter ſunt inuenta ipſumetiã ab euentu rei teſtimonium accedit. *2. Aphoriſ. 17. & Gal. in Cõment.*

Retundunt harum rationum ſpicula, ſua etiam retorquent Empirici, prodeunt in publicum tabulas, Chirographos, ſigilla, à Rebuſpublicis & Ciuitatibus à Magnatibus in rerum à ſe preclarè geſtarum fidem conceſſa magnificè oſtentant, palam Venditaria ſecreta iactitant, multorum ſeculorum experientia à ſe, ſuiſque maioribus comprobata, quę nunquam euentus fallat. Addunt & qui quotidie circum ægrotos verſantur, cauſarum obſcurarum, & naturalium actionum quæſtiones quas dogmatici agitant, aut ſuperuacaneas eſſe, aut incomprehenſibiles: comprehendi non poſſe patet ex mutua eorum qui de his diſputarunt diſcordia, imò nec inter eos etiamnùm conuenit qui vnius auctoritati ſe ſe deuouēt. Duo ſimul aduoces vnius eiuſdemque vtrumque ſectæ, mox diſſidia, mox ambages, probabiles vtrinque rationes, at *Celſus in præfat.*

quas secteris? Quis ægroto portus in tam vasto difficultatum pelago, tot, tam varijs, tam inter se diffidentibus opinionibus concusso? Quis earum certus vsus, si omnes incertæ? Quamobrem à certis potiùs & exploratis petendum præsidium, id est his quæ experientia in ipsis curationibus docuerit, sicut in cœteris omnibus artibus. Non ne Agricolam quidem aut Gubernatorem disputatione, sed vsu fieri videmus.

Aliàs Medici omnium optimi forent sapientiæ studiosi, quibus non ratiocinatio, non verba desunt, at medendi scientia, experientia (inquam) & praxis, An verò his rationibus morbus tollitur? An eloquentia se persuaderi sinit? An remedijs cedit potiùs experimento cognitis? Hæc ergô quàm illa longè pluris interest didicisse quibus ars tota construitur, atque terminatur, à quibus pendet laus potissima medentis, & ægrotantis salus. In his vera medentis nota, neq; expetendus exitus vt sententiam feras: Id in bonis perpetuò habēdum, quamuis aliquãdo non succedat quod pluribus simili casu contulerit. Nam neque Galenus, neque ipse Hippocrates, aut quicunq; alius eiusdem sortis, ægrotos omnes ab orco reuocauit. Qui rationi primus & discursui tribuunt, vrgent hos vtrosq; rationibus & discursu, ne verò ambigua discursus significatione implicetur animus, discursus nomine, rerum circa ægrotos agendarum imaginem, prout mente concepta est, & ratiocinio deducta, represen-

tatam volunt intelligi; non ipsam verborum seriem Oratorijs flosculis adumbratam, ad ornatum, ad titillandas aures, ad concitandos animorum motus compositam: quo sensu de discursu loqui videntur, qui morbos non eloquentia, sed remedijs curari, obijciunt: à quibus audierim lubens quid remedium vocent? An Syrupos, an Electuaria, an Simplicia, an composita in Pharmacopæorum arculis curiosè recondita? Hæc, remediorum materiam nuncupat Galenus, at quænam erit forma? Quæ? nisi conueniens eorum vsurpatio? Quę? porrò recta & legitima applicatio, nisi quæ ex iudicationibus nascitur? Et hæ quidem ex ratiocinio, seu tertia mentis operatione, cuius artificiosam inuentionem prodit hic quo de loquimur discursus. Itaque non aliter à Medico procedit sanatio quàm per discursum, vt potè cuius hæ solæ partes agendorum materiam scripto aut verbo definire: Quare non aliundè meliùs aut certiùs de Medici præstantia, quàm ex eius Oratione iudicium depromi potest. An tu quæso præter hoc aliud Medici munus agnoscis, nempe vt curet appositè ad sanandum? Tu si ita censes medentis officium cum fine confundis, vt ergô optimus is Medicus, qui optimè suum munus exequitur; & optimè is suas gerit vices qui appositè curat, hoc est, debita quantitate, & modo præsidia adhibet (optatum licet non sortiatur finem) Sic profectò neque ex euentu, neque ex Empiria, aut concinnè elaborata medicamenti

In consilio p Epilectico.

formula, sed ex intentione, quæ per discursum innotescit, de Medici bonitate iudicandum.

Equidem non vna ac eadem omnibus natura, quæ vnius eiusdemq; medicamenti vim innoxiè perferat, imminuta etiam quantitate: non vna morbi essentia quam vnico veluti Collyrio eluas: eiusdem morbi causæ plures, ac plerumque contrariæ; hanc si tuo præsidio eximis, pullulat vberiùs altera: nisi pro caussarum varietate, & affectuum complicatione, varias intentiones elicis, & varia pro intentionum varietate remedia, trahis ægrotantem in ruinam. At quotusquisque ille est, qui tam infirmæ censuræ existimationem suam commiserit, vt velit à secretis nescio quibus, aut à sola quantumuis diuturna experientia probus Medicus æstimari? Hæc ambobus laus cum sordidissimis è fæce vulgi, cum Seplasiarijs saltem aut Tonsoribus plerumque communis. Quis tam dubiæ aleæ famam ac dignitatem suam credat, vt illam ab affectu solo pendere patiatur? vt enim in multis fuerit apud vulgus pro perito fuerit in non paucis fortè pro imperito. Agenti quod debes sæpe pro arbitrio non succedit, neque quisquam est rerum Medicarum vsque adeò gnarus, quin sæpe sæpiùs, (si ad hanc trutinam reuocetur) non possit videri non gnarus. Verè inquiebat Ion Poeta, fortunam, quanquam longissimè à prudentia dissitam, primos nihilominùs prudentiæ effectus frequenter exercere: Quæ licet in prudentes nullum (si sapientiæ fides est) dominium ex-

ercent, Medicinam tamen noſtram, quæ præ cœteris artibus prudentia nititur, ab eius imperio non excludit prudentiſſimus Hippocrates, quemadmodum ſequenti quæſtione eluceſcet. Quamobrem conſentaneum eſt, vt rem firmiore lance ponderemus, id quod ſtabile eſt ac perpetuum, vix ac ne vix quidem in errorem pronum intuiti, potiùs quàm vaga, lubrica, & fallaci innixi coniectura fortunæ & popularis auræ ludibrio volentes exponamur, ſummo nobiliſſimæ ſcientiæ dedecore, proprij nominis tantillo momento naufragium facturi.

Hæc vltrò citròque iactari intelligas, quorum effugere aciem non difficile fuerit illi, qui, eorum quæ ſecunda quæſtione dicta ſunt, recordabitur, vbi ſatis profusè & dilucidè neceſſariam inter rationẽ & experientiam coniunctionem eſſe docuimus. Cuius enim rei non eſt certa notitia, eius opinio certum reperire remedium non poteſt, verùmque eſt ad ipſam curandi rationem nihil plus conferre quàm experientiam. Ratione verò opus eſt ipſi Medicinæ, & ſi non inter obſcuras cauſſas, neque inter naturales actiones, tamen ſæpe. (inquit Celſus) Eſt enim hæc ars coniecturalis, neque reſpondet ei plerumq; non coniectura, ſed etiam experientia. Et interdum non febris, non cibus, non ſomnus ſubſequitur, ſicut aſſueuit. *Celſus in præfatio.*

Eum certè optimè curaturũ fatemur, quem primæ cauſſæ non fefellerit, at non ideò pro-

batissimorum remediorum selectum, multò minùs vsum experientiamq; relegamus. Non vna vis omnium, non pauca alijs, ad affectus quosdam tutiora, plerumque etiam potiora. Ista confirmat vsus, quæ tamen ad rationem tanquam ad Polycleti normam reuocanda, cùm simul conspirarint omnia, de exitu dubitari non potest, nisi fortè aut morbi cognitio humanum superet captum, atq; peritiam: eiusdem nouitas, nullum experientiæ dederit, aut vsitatis præsidijs locum: eius denique vis & contumacia Medicam eludat industriam. Aut industriæ Medicæ nullam cōferat operam facultas naturalis: vel fortuitò quicquam intercidat ab euentu quotidiano alienum: aut demùm ægrotus ipse in propriam salutē conspiret, vel à ministris, siue blandimenti specie, siue nequitià, seu temeritate, aut ignorantià prodatur: minimè negandum interim ea quæ ex arte sunt instituta, suo postmodum successu quodam veluti corollario confirmati. Quanquam non ex successu, sed ex ratiocinio seu discursu, cum probatis remedijs & experientia coniuncto, de Medici bonitate & præstantia concludendum. Quemadmodum ergò his tribus Medici præstantia continetur, ab ijsdem simul præstantis Medici notæ legitimæ sunt eruendæ. Num qui in Medicina fortunæ sit locus, ne quis dubio ex præcedentibus supersit, inquirendum.

* *
*
*

An detur

An detur fortuna Medica?

QVÆSTIO QVINTA.

Soleo ſæpe ante oculos ponere, & crebris inter familiares vſurpare ſermonibus, verè miſerrimam præ omnib9 Medicorum ſortem, vt quæ non à fortuna modò, ſed à viliſſimis quoque mancipijs & ſordidiſſimis mulierculis non rarò dependeat, quarum errore aut incuria grauiſſimorum virorum iudicia interturbari, atque expectationem falli in dies cernimus. Vt illud ſilentio prætermittam ad ægros plerumque accerſiri Medicos, ad moribundos (inquam) qui aut barbitonſorum, aut neſcio quorum vilium & nouorum hominum culpa, autipſius morbi violẽtia mox animam reddituri, Deo poti9 indigeant ſemimortuos excitante, quàm homine, naturam non omninò collapſam ſubleuante. Vt enim gubernatores optimi vim tempeſtatis, ſapientes fortunæ impetũ, ſic Medici præſcriptam naturæ legem ſuperare non poſſunt. Et quoniam de veris, falſiſque Medicis facta à nobis in ſuperioribus commemoratio, conſentaneum videtur de fortuna, & aſſidentibus conſecutione quadam orationem inſtituere, quo facilliori negotio Medicos conuicijs laceſſendi, & apud ægrotos malè agendi, omnis præripiatur aſſiſtentibus occaſio.

Plato in Gorgia. Sed iam video circa ea quæ diximus iniectum lectoribus ſcrupulum, atque in contrarium obijci Platonem & Ariſtotelem, qui fortunam imperitiæ ſociam, & artis inimicam *Ariſtot. 1. Metamor.* eſſe aſſeruerunt, ideoque prudẽtes viros à fortunæ ditione ſubſtraxerunt. Quorum auctoritati ſubſcripſit Poëta quidam non ignobilis hoc diſticho.

Iuuenalis. *Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia, ſed nos*
Te facimus fortuna Deam, cœloque locamus.

Nam ſi verè ab Ariſtotele eſt proditum circa obiectum idem verſari fortunam & intellectum, omninò conſequitur ab huius imbecillitate & defectu illam exoriri: eatenus enim fortuitus eſt effectus, quatenus ab intellectu minimè præuiſus. Qua forſan ratione motus oratorum φιλοσοφώτατος, & Philoſophorum eloquentiſſimus: Hæc verè aurea ſuo *Cic. 5. Tuſcul.* in Tuſculo literis conſignauit. Sapientis proprium eſt, nihil quod pœnitere poſſit facere, nihil inuitum, ſplendidè, conſtanter, grauiter, honeſtè omnia: nihil ita expectare quaſi certò futurum, nihil cùm acciderit, admirari vt inopinatum ac nouum accidiſſe videatur. Omnia ad ſuum arbitrium referre, ſuis ſtare iudicijs, quò quid ſit beatius mihi certè in mentem venire non poteſt. Vnde iure merito vexatur Theophraſtus & libris & ſcholis *Cic. ibidẽ.* omnium Philoſophorum, quod in Calliſthene ſuo laudarit illam ſententiam.

Victum regit fortuna, non ſapientia.

Negant ab vllo Philoſopho quicquam

dictum esse languidius. Absonũ itaque Medicos sapientissimos homines (Medicinę namque sapientiam Democritus sororem vocat) absonum, *In Epistola ad Hippocratem.*

ἐπισαμένους τά τε ὄντα *Orphaeus.*

Ὅσσα τε πρόσθεν ἔην, ὅσσ' ἔσσεται ὕστερον αὖθις.

Scientes

Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Imò turpe est tantos & tales viros fortunæ ludibrio submittere, vt enim constans ac firma est tota Medicina (ait Hippocrates) & doctrinæ optimæ in ipsa compositæ minimè fortuna egere apparent. Nam fortuna sui iuris est, nec vllius subest imperio, neque est optantis ad illam peruenire; scientis verò imperatu facere cogitur, & facilè est ipsam fœliciter assequi, si quis sciens vti velit. *Lib. de locis in homine.*

Deinde quid opus est Medicinæ fortuna? si enim morborum Medicamẽta clara sunt & perspicua (velut equidem arbitror) non expectant sanè fortunam ad sanandos morbos, si quidem sunt medicamenta, si verò cum fortuna exhibere ipsa prodest, non magis medicamenta quam quæ medicamenta non sunt vna cum fortuna adhibita sanos faciunt. Hæc Apollo noster, vbi tandem concludit. Mihi fortunatè soli hi assequi, vel infortunatè non assequi videntur, qui rectè quid & malè facere sciunt, fortunatè enim assequi, est rectè facere, hoc autem hi qui sciunt faciũt. Non assequi autem hoc est, si quis non sciat,

hoc non rectè faciat. Quam hæc communiter accepto fortunæ nomini dissentanea: Alibi idem naturæ genius dum aduersus eos disputat qui à morbis liberatos fortunæ ope non artis beneficio euasisse autumant, interrogo [inquit] qui fieri possit, vt sanati aliquid præter artem ignoscant, cuius vsu & ministerio sint sanati? Nudam enim fortunæ speciem respicere ac sequi noluisse eos ex hoc apparet quod se arti crediderunt, quare à gratia fortunæ referenda liberi sunt, ab ea verò quæ arti debetur, minimè se vindicare possunt, quò minùs ipsi sanitatem acceptam ferant. In hoc enim quod se ei commiserunt, palam est ipsos speciem eius esse contemplatos, cuius vim patrato opere cognouerunt. Iam si exemplis agendum est, prodeat in medium Asclepiades, qui eò processit artis suæ confidentia, vt auderet sponsionem facere cum fortuna (Mureti verbis loquor) ne Medicus haberetur si vlla vnquã vi morbi toto vitæ tempore tangeretur, demùmque ad extremum senium victor permansit, dum tandem scalarum lapsu exanimatus est, hisce auctoribus his rationibus Medici à fortunæ Tyrannide se subducunt. At cõquiescat tantisper animus, dum ego me singulis difficultatum plexibus expedio.

Lib. de art

Duo in Medicina inuenio fortunæ dominio quodammodo subdita, non artem quidem non artificis industriam quæ est ad iudiciũ penitus referenda: Quid ergo? reme-

diorum exitum & Medici famam. Enimuerò prosperis virorum ἀμυμόνων hoc est integrorum & irreprehensibiliū, inuida reb9 fortuna, inuida nomini ignorationis parēs, mille struit dolos (vtor communi loquendi consuetudine) quibus nostra plerumque nobis inscijs labefactatur intentio, mille artes adinuenit quibus illa funditus euertitur Medicus (exempli gratia) viso ægroto, se se atque vnà ægrotum ipsum ægrotique domesticos & familiares in certā fœlicis euentus spem erigit, quod ægritudo postulat decernit: sedulò ægrotum monet à salsis, ab acribus, à vino abstineat: vetat seriò ne quid à ministris exhibeatur, quod recuperandæ pristinæ valetudini obstare possit, fastidiūt illico rectè præscriptas viuendi regulas cōtrario modo fiunt omnia. Si vinum neges (inquiunt) vires non ferent, elanguescet ventriculi robur; si alimenta detrahas, ipsam partium substantiam depopulabitur malefica vis morbi. Interim defertur ad Pharmacopæum Medica præscriptio, addit is de suo aliquid, aut fortasse detrahit, aut aliud pro alio falso substituit, aut inualidis atque obsoletis medicamētis vtitur. Hisce non offenditur mediocriter, aut non multum equidem subleuatur ægrotus. Admittitur interea creditor importun9 aut alius quispiam non admodum laborāti gratus fortè etiam suspectus, is exhibiti medicamenti remoratur eius timore concitato aut verecundia, vel vim promouet iracundia com-

mota. Mox ſymptomatum exaſperatur furor, accenduntur ſpiritus, febris toto corpore vehementior, inexpectata omnia: Quid multa? moritur æger, notatur inſcitia Medicus, infamis ars redditur in præſcriptũ Pharmacum mortis occaſio detorquetur: Negat quicquam præter Medici præſcriptum à ſe aut ſuis actum Pharmacopæus iurat, imò peierat. Quô te vertas Medice? Tua hæc prima fortuna, ſed non vltima. Miror equidem (& cum Hippocrate miror) quanam memorabili ratione moti vulgares morientium intemperantiam aut externos errores mortis cauſam non ſtatuunt, ſcientiam verò eorum qui medentur accuſant. Quaſi verò Medici ea quæ non conueniunt imperare poſſint, ægri verò & qui aſſident imperata tranſgredi non poſſint. Atqui longè magis rationi conſentaneum eſt exequi non poſſe ægros quæ imperantur, quàm Medicos non conuenientia iubere. Medici namque ſana mente, ſanoque corpore rem aggredientes & præſentia conſiderant, & de preteritis ſimiliter iuxta præſẽtia ratiocinantur: Ægri verò neque qua parte laborẽt, neque ob quam cauſam, neque quid ex præſentibus futurum ſit ſcientes Medicorũ imperio ſubiacent, dolentes quidem ob præſentia, timentes ob futura; Et pleni morbo, ciborumque inanes, ea quæ morbo grata ſunt, quàm quæ ad ſanitatem faciunt, aſſumere malunt quibus aſſentiuntur & applaudunt qui ſubſeruiunt.

Hippocr. lib. de arte

Altera fortuna est ad eum vocari qui ægritudine leuari non possit, quando suus cuique constitutus est terminus in ipsis vitæ primordiis, in quibus posita corruptionis necessitas, sed & eò magis ignominiosus est Medico patiẽtis interitus, si delitescat intus mali fomes, & quasi per cuniculos adoriatur hominem (id quod in malignis & pestilentib⁹ affectibus fieri assolet) metitur enim ex apparentibus indicijs morbi magnitudinem vulgus ignarum facileque dum interitus coniectura euidens non cadit in externos sensus Medicam peritiam arguit, & pro laboribus impensis conuicia, pro mercede rependit infamiam.

Addo etiam in morbis, si quæ necessitate quadã oboriantur mala, culpam in Medicum reijci, neque necessitatem vllam quæ fieri id cogit agnosci. Nam si ad febricitantẽ aut vulneratum ingressus admotis quamprimum remedijs non opituletur, sed postera die peius habeat æger, Medicus accusatur. *Hipp. l. de morbis.*

Sunt præterea quædam quæ nulla Medicorum ignorantia aut scientia euenire fatendum est, sed sua sponte & fortuitò prosuntque & nocent iuxta eandem rationẽ. Quemadmodum si mulieri exhibito quod bilem aut pituitam deorsum purget medicamento menses alias non fluentes erumpant; aut alteri quod superne euacuet propinato Pharmaco mota infernè aluo fœtus propellatur.

Ecce tibi ipso Hippocratis testimonio cõfir-

matam duplicem quam statuimus fortunam
de qua vtraque intelligendus Celsus dum non
minùs arte valere fortunã asserit. Illa quam
in remediorum successu positam diximus vel
ab ægrotante pendet vel assistentium & externorum imprudẽtiæ ac erroribus imputenda, infortunique nomine donanda videtur, non fortunę. Vel denique forte fortuna obrepit præter intentionem operamque agentis vel præter iudicium; prosperaque esse potest vel aduersa; Quanquam imperitis qui toto ipsius legibus seruiant cedit in fauorem crebrius quàm peritis. Vt minimè mirandum sit, succedere illis quandoque ex animo, ijs etiam casibus qui aut admodum difficiles aut à peritioribus sunt pro neglectis habiti, & pro desperatis. Alteram Medici fortunam in opinione vulgi collocauimus quæ sanè plurimis è sapientibus (si ab ea pendendum foret) parum tuta: paucis beneuola & amica. Vt enim in maledicentiam naturæ impetu fertur plebecula scientiæ hostis infensissima leui momento in experientissimorum hominum famam inuolat. Equidem si auctoritati experiẽtiam lubet annectere, paucos omnino reperiemus qui plures non sint experti præclarè & artificiosè à se gesta fortunæ tribui: infelicẽ valetudinis exitum, cùm ex arte peracta sunt omnia sibi malitiosè à plerisque imputari. Nihil enim tam volucre quàm maledictum, nihil faciliùs emittitur, nihil latius dissipatur, interea homines opinione non mi-

Lib. 3. Cap. 1.

nus famæ quam certa aliqua ratione commoueri solent. Quanquam apud probatos & sapientes viros ne tantillum auctoritatis habent maleuolæ id genus plebeiorum aut his similium calumniæ: At quemadmodum ignis in aquam coniectus continuò restinguitur, & refrigeratur, sic referuens falsum crimen in purissimam & castissimã vitam collatum statim concidit & extinguitur. Hæc de fortuna Medica, nunc de assistentibus promissum breuibus exoluamus,

Cice. Cluentio.

Idem pro leg. Mani.

Idem pro Roscio

Quales esse debeant aßistentes.

QVÆSTIO SEXTA.

Multa hic quæri possent, illud vnum disquiremus, vtrum ministrare ægris expediat eum qui in Medicina nouerit aliquid, an prorsus ignarum? Quæ res meritò apud Doctos in dubitationem cadit, neque desunt probabiles hinc & inde rationes, quæ nos variè commoueant.

Qui pro peritis disputant, varios ægritudinum motus in medium proferunt, qui plerumque adeò sunt anxij, vt dies intermissus vnus aut nox interposita sæpe perturbet omnia, & totam expectationem præripiat nonnunquã repentina mutatio. Quam igitur vtile est habere te absente qui huiusmodi perturbationibus non præuisis illico

mederi poſſit. Addunt præterea affici variè circa cibos ægrorum appetitus: His abſente Medico legem præſcribit miniſter non imperitus. Deniq; referet is ad Medicum longè fideliùs omnia, quæ patientes afficiunt & curationem remorantur, aut promouent, quàm ignari.


Alia retorquent incommoda qui rudiorum partes tuentur. Fallit (inquiunt) plerumque ſimilitudo rerum eos, qui adumbratam ſolùm cognitionẽ ſunt adepti, quamobrem hi, quàm prorſus ignorantes, magis ſunt in errorem proni. Dum enim ſibi aſſumũt aliquid, labuntur in ijs facilè quæ propriæ ſibi ignorantiæ conſcij non eſſent aggreſſuri. Et progreditur ipſorum audacia plerũq; latiùs, vt non modò præſtitutis terminis ſe ſe non contineant, ſed & Medicum ipſum abſentem in multis arguant, eius decreta, per imprudentiam, impudenter conuellant, omnemq; remediorum ordinem & proceſſum, ac vitæ præſcriptum peſſundent & ſuſpecta reddant. Ex quibus inferunt, quemadmodum nihil ſentire meliùs eſt quàm praua ſentire: ita quoq; foret tutiùs illum ægroto præficere qui nihil ſciat, quàm qui aliquid, ſed imperfectè. Nam quicquid ab altero nobis abſentibus dubio in caſu ſperatur auxilij, planè infidum eſt ac dubium. Securiùs omninò inconſulto Medico in grauioribus præſertim affectibus, nihil moliri, quem ſi rogaueris, exigente neceſſitate, vel intempeſtate nocte accedere non pigebit.

Cicero pro Cluentio.

Ego vero ne quis factam sibi iniuriam queratur, vtrosque admitti velim. Gnaros non recuso, modò ne temerarij sint, arrogantes, adulatores, maledici, perfidi. Neque reijcio imperitos, modò ne præceptionum immemores, stolidi, importuni, ignaui, sordidi. Vtriq; præmio fuerint & laude digni, si neque in necessarijs deficiant, neque in leuioribus vltra præscriptum Medicum seueriores laborantem plus æquo torqueant, neque in grauioribus faciliores, nimium indulgeāt, aut vltra quàm par est deprauatis aut curiosis ægrorum cupiditatibus blandiantur. Talibus efformandis nostra omnium interest mentem ac studium adhibere.

Hæc circa primum Aphorismum.





Εν τῇσι ταραχῇσι τῆς κοιλίας, καὶ τοῖσιν ἐμέτοισι, τοῖσιν αὐτομάτως γινομένοισιν, ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρονται, ξυμφερει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν. ἢν δέ μὴ τουναντίον. δ᾽ οὕτω δὲ καὶ ἡ κενεαγγέμι, ἢν μετά οἷα εἶ γίνεσθαι γίγνοιτο ξυμφέρειτε κὶ εὐφόρως φέρουσιν, ἢν δὲ μὴ τουναντίον. Επιβλέπειν οὖν δεῖ καὶ χώρην, καὶ ὥρην, καὶ ἡλικίην, καὶ νούσους ἐν ᾗσι δεῖ ἢ οὔ.

In perturbationibus ventris & vomitibus spontè factis, si qualia purgari decet, purgentur, cōfert & facilè ferunt; sin minùs, contra: Ita quoque si vasorum fiat euacuatio qualis fieri debet, confert & facilè tolerant; sin minùs contra. Considerare igitur oportet, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus conueniat aut non.

Commentarius.

Quanquam ars dux certior quàm natura æstimari solet, illa enim experientiæ & rationis ductu, hæc innata solùm propensione, cognitione nulla ad opus dirigitur: huius tamen probæ actiones, illi pro norma constituendæ sunt, à quibus vel latum vnguem recedere, imperiti sit artificis. Hanc viam secutus prudentissimus naturæ non solùm contemplator, sed etiam imitator, Hippocrates, deducto à spontaneis, hoc est, naturalibus purgationibus argumento, Qua ratione Medico ineunda, & quibus coniecturis æstimanda sit debita euacuatio, breuiter & luculenter edocet. Ritè quidem instituendæ vacuationis modus ab humoris eijciendi qualitate petitur, frustrà siquidem flaua bile infestãte, pituitam detraxeris, illam ne attigeris quidem, imo verò fortassè non sine detrimento: Hoc enim quasi freno excusso quo arctiùs repressa tenebatur, bilis efferatur vehementiùs, grauiorémq; ruinam concitat. Rem verò ex voto & arte cessisse, quæ consequuntur indicabunt, conferentia nimirum & tolerantia quæ ambo Criticam & legitimam euacuationẽ à symp-

tomatica & extraordinaria diſcernunt. Horum quidem duorum illud ad effect corporis, hoc ad vires refertur, quæ primarias conſtituunt in omni actione Medica intentiones. Nimirum vt præter naturam affectus præueniantur atq; profligentur : virtus, ne opprimatur. Hînc tolerantia oritur, inde conferentia.

8. Apho. 3. Quæ Coronidis loco adſcribuntur [conſiderare igitur oportet &c.] diſtinguendis ſingulorum humorũ differentiis accommodantur. Quemadmodum enim Auctore diuino Hippocrate, morborum alij ad alia benè vel malè ſe habẽt. Et ætatum quædam ad tempora, & loca, & viuendi rationes: ſic & humores pro morborum, ætatum, regionum & temporum varietate, varii in nobis cumulantur: Quæ ſingula non oſcitanter examinanda erunt, quò certiori methodo peccãtis humoris ſpecies dijudicetur. Quod in Controuerſijs faciemus.

Ad huius porrò Aphoriſmi veritatem ſupponendę ſunt conditiones nonnullę, quæ paſſim ab Hippocrate recenſentur, in praxi diligenter obſeruãdæ, cuiuſmodi
1. Aph. 21. ſunt iſtæ: Quò natura vergit per loca cõ-
1. Aph. 22. ferentia, eò ducendum. Concocta medicanda non cruda, neque in principiis

purgandum, nisi materia turgeat. Corpora, vbi purgare voles, reddenda fluxilia. Sub cane & ante canẽ difficiles purgationes. Tabidi per superiora non purgandi, vti neque illi qui ad vomendum sunt difficiles. Et aliæ id genus quibus neglectis licet talia euacuentur qualia euacuari decet, anxia nihilominus difficilis & nocua plerumque euadit purgatio, nec sine insigni virium dispendio.

2. Aph. 9.
4. Aph. 5.
4. Aph. 7. & 8.

Quæstionum series & ratio.

Nonnulli præsentem Aphorismum ordine primum inscribendum putant, & Præfationis nomine donandum præcedẽtem: Nos secundum inscripsimus maximam sectati maximorum interpretum partem: Galenum in primis cui præ cæteris addicti sumus. Continet porrò primus hic Aphorismorum liber quem explicandum aggredimur, Tria potissima trium Therapiæ partium capita; Purgationem, Sanguinis missionem, ac Diætam ferè vniuersam. Non simul quidem & distinctè, sed sparsim & confusè nulla habita ordinis doctrinæ ratione. Purgationi præter istum secundum Aphorismum dicatus est vicesimus, & qui hunc sequuntur quinque postremi. Soli sanguinis euacuationi, solus tertius: Re-

liqui ſexdecim, Diætæ. Nos Hippocratis veſtigijs preſſo inſiſtemus pede, neq; aliam inibimus viam, quam quæ ab ipſo trita: non alias difficultates afferemus, quam quæ ad eius mētem; Denique non vbiq; tractabimus quæ ad ſubiectam materiam facere videbuntur ſingula, ſed quæ ad ſingulorum Aphoriſmorum intellectum.

In hoc agitur de purgationis ritè inſtitutæ coniecturis, & rectè inſtituendæ modo. Rectè inſtitutæ indicia ab humoris expurgati qualitate ſiue differentia petuntur, itemq; à conferentia & tolerantia. Rectè inſtituendæ media ex regione, ætate, tempore, depromuntur, & morbis à quibus peccantis humoris hauriuntur notæ, & ad quæ proportione adhibita reuocanda cætera parem cōditionem ſortita. Verſabimur nos in eodem argumento, & Controuerſiam omnem in octo veluti Claſſes digeremus.

Prima diſputabitur, vtrùm de qualitate ſola ſermo ſit in præſenti, vbi quid qualitatis nomine ſignificetur audiemus.

Altera purgationis eſſentiam (quæ præfatam qualitatem tanquam rationem formalem includit) mutuata ex Galeni commentario definitione aperiet; definitionem ipſam, vt quæ dicendorum eſt baſis, quàm accuratiſſimè expendet, & à mordacibus contradicentium

tium spiculis & vocibus illæsam, quamtum fieri poterit, vindicabit.

Tertia, ne qua supersit difficultas, purgationem in sua membra distribuet: Definitione quippe & Diuisione integra rei natura continetur, quamobrem mutuò se ambo consequuntur.

Quarta breuiter, ac veluti consecutione quomodò purgatio fiat declarabo, multa consultò prætermittens, ne extra proprios Auctoris terminos latiùs euagetur.

Quinta postmodum id quod in praxi princeps est, atq; apprimè necessarium (indicationem intelligo) ex antedictis, ex Hippocrate ipso & Galeno, ex ratione venabitur. Binas huic inuestigationi dabimus quæstiones.

Prima Purgationis indicationem proferet. Altera, occasione verborum Hippocratis, qui tolerantiæ, hoc est, virtutis mentionem facit, inquiret numquid à virtute indicetur purgatio. Docebit septima, nunquid ex Conferentia & tolerantia recti iudicij vel erroris testimoniū ferat Hippocrates, An quod aliud ad praxim documētum inferat. Et quoniam, vt palam res ipsa facit, actorum potiùs quàm agendorum notas exhibent συμφορία & εὐφορία, *cùm ex humoris qualitate purgationis depromatur intentio, redundantiam in corpore singulorum humorum indicia pro-*

ponet Classis vltima, eaq; ex Galeno congeret quæ ab Hippocrate prætermissa: Inter alia somniorum meminerit & animi morum, de quibus pulcherrima insurgit dubitatio, digna sanè curioso Lectore, quam duplici quæsito enucleabit.

Primum erit, An ex insomnijs de humoribus in corpore stabulantibus conijcere aliquid liceat?

Alterum, An, & cur animi mores humorū sequantur prædominium.

Accingamus nos ad singulas quæstiones à prima exorsi quæ est.

An de qualitate sola in præsenti loquatur Hippocrates?

QVÆSTIO PRIMA.

DE qualitate sola Hippocrati sermonem esse ex ipsomet loquendi modo colligit Galen⁹, eosq; coarguit qui aut de quantitate, aut de Inedia, aut venæ sectione sententiam istam audiendam contēdunt, in quos huiusmodi iactat Enthymema. Qualia inquit Hippocrates non quanta, ergô de qualitate agit non de quantitate. Rem confirmat verbum καθαρεσθαι hoc est purgari: Est enim purgatio humorum non quantitate sed qua-

litate peccantium euacuatio, quam definitionem sequēti quæstiōne illustrabimus, ex qua hæc quoque fiet illustrior.

Nunc quò faciliùs omnium difficultatum plexibus nos extricemus notādum venit qualitatis nomine haud qualitatem nudam significari vt puta calorem, frigus, humiditatem, siccitatem, aut earum aliquam quæ secundæ vulgò appellantur, siue solitariam, siue cum alia complicatam; Non accidens aliquod de prædicamento qualitatis sed ipsam humoris speciem, aut differētiam, quæ harum vna, vel pluribus qualitatibus molesta esse solet.

Talem fuisse Galeni mentem palam indicat commentarius, cùm inquit purgationem esse humorum non autem qualitatum euacuationem; Ideoque pituitam, si redundet, modis omnibus vacuandam: sin atra bilis infestet, à pituita abstinendum. Idem alibi docet expressis his verbis. Non solùm ratione euacuationis Hæmorrhoides melancholicis & renum vitio laborantibus subueniunt, sed & ipsa qualitate humoris vacuati, vt quæ humorē fæci similem exhaurire natura aptæ sunt. Vbi per qualitatē humoris vacuati non solam frigiditatem aut siccitatem, aut crassitiem aut hæc omnia simul, sed melancholiam ipsam intellexit. At quorsum Galeni mentem scrutamur exemplis, cùm ipse rem apertè definierit. Qualitas (inquit) siue differentia [hæc enim ambo licet vt libet appellare] motus velocitas sunt & tarditas. Idem ergo à

6. aphoris. Comm. 11.

2. de sanitate tuenda C. 16.

Galeno ποιότης & διαφορα. Verùm ne illius auctoritati in Hippocrate explicando magis quàm rationi deferre videamur, hanc quoque proferamus.

Qualitas nuda (si de primis secundisque accipiatur) præter naturam aucta, ad iustam moderationem contraria qualitate inducta reuocatur. Neque vnquam qualitati per se tribuitur euacuatio, sed tantùm attemperatio: Quanquam ex accidenti dici potest purgari, quando vnà cum humore à quo ipsa fouebatur, è corpore extruditur, quo modo Rhubarbarum siccum natura sua & calidum refrigerat & humectat, cùm bilem calidam & siccã suis qualitatibus interiora molestantem, ventris solutione, aut vrinis deijcit. Itaque cum ab Hippocrate dicitur si qualia purgentur humorum purgandorum differentiæ significantur,

Verùm hac in parte sibi ipsi & rationi dissentanea commentus videtur Galenus. Nam ex verbo purgari, de qualitate infert pertractari, cùm tamen sigillatim humorum euacuandorum exempla profert, sanguinis modum excedentis vti cæterorum mentionem facit. Qua in re duplici modo lapsus videri potest tum quod redundanti sanguini purgationem attribuat (aliàs enim frustrà purgationis meminisset, neque cum præcedentibus cohærerent consequentia) tum etiam quod peccantis quantitate humoris, non qualitate (quod probandum erat) sanguis sit exemplum. Vt

indè consequatur potiùs contrarium, nempe Hippocratē de quantitate non minùs quàm de qualitate pertractasse. At Galeni nomine responderit fortasse quispiam sanguinem si naturæ suæ limites sit prætergressus aut in bilem aut in melancholiam degenerare, atque hac ratione purgationem exposcere. Verùm implicatur magis hac solutione nodus, non dissoluitur, sic enim spectatus sanguis vti naturam, ita & nomen sanguinis amittit: Neque amplius ipsi vt sanguini, sed vel vt bili, aut vti melancholiæ purgatio adhibēda. Præterea huic eidem sententiæ repugnant è diametro quæ alicubi in Galeno scripta reperiuntur, hunc in modum: Nobis dedit Hippocrates de quantitate iudicandi viam ex facilitate tolerantiæ: sed facilitatis & tolerantiæ mentio fit in hoc Aphorismo, ergo fieri debet & quantitatis. *1. Aphoris. Com. 23.*

Non minùs quoque experientiæ aduersatur interpretatio Galeni, neque enim id quod Hippocrates pollicetur, proferet vnquam purgatio, quamuis humores sua qualitate molestiam afferentes expurgentur, nisi quibusdam ipsa terminis & limitibus septa teneatur. Nam si pauca è corpore excludantur nullum affatu dignum emolumentum afferet, sin copiosa admodum, violēta forsan erit deiectio quam sine graui aliqua iactura virium corpus non feret. Addo etiam largam profusamque excretionem, magnam necessariò spirituum dissolutionem cōsequi, à qua

exolutio: Igitur quantitati aptius conuenit hæc dictio, Postremò pars illa Aphorismi vltima, (*inspicere oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat aut non*) quam Galenus de qualitate sola interpretatur, quantitati longè meliùs & accõmodatiùs applicatur. Quocunque enim tempore & ætate quocunque in morbo & regione expedit nullo discrimine humorem noxium exturbare, at in quantitate decernēda, diuersitas est, tanta ferè, quanta & ætatum, & regionum, & temporum, & morborum, & personarum, non enim eandem omnes, nec vbique nec quauis tempestate, nec in acutis & Chronicis æqualiter tolerant. Quamobrē ad hoc institutum videtur omninò pertinere
4. Aphoris. 5. quod alibi admonet Hippocrates sub cane & ante canem difficiles fieri purgationes, nam quæ ex purgantis medicamenti violentia pertimescitur exolutio virium, eadem non minùs ex euacuationis quãtitate prouenire consueuit. Diligenti ergo & accurata animaduersione perpendi debent atque æstimari præfata omnia, quo medicamenti vis & quantitas, humorum quantitati & patientis viribus respondeant, ne aut exigua quædam nullo emolumento repurgentur: aut largiore euacuatione principibus facultatibus vis inferatur.

Hæc atque huius generis alia commodò definiri poterunt si intelligamus, ad conuenientem remediorum vsurpationem non ip-

sorum qualitatem dumtaxat, sed & quantitatem, & vtendi modum sedulò attendenda. Neque enim modo qui quis affectus, aut quid præter naturam in corpore reperiatur, sed & eius copia & magnitudo spectari debet, & quam præcipuè partem obsideat: Ab illo præsidij genus, ab altero quantitas, ab vltimo vtendi ratio desumitur. In his omnibus discernendis ab ijsdem ferè principijs cõiecturas mutuamur. Eminuerô ad præsidij inuentionem attinet contemplari, simplexne sit affectus an compositus, an ab vna, an à pluribus causis sustẽtetur tumque ad humoris qualitatem siue speciem deuenitur, in qua tam qualitates primas, quàm ab his fluentes secundas perpendimus.

Humoris porrhò differentiã distinguimus, partim ex naturali ægrotantis habitu, partim ex affectu ipso, naturalem habitum demonstrant temperies corporis, partium conformatio, situs atque insita constitutio, ætas & consuetudo, ad quam vitæ institutum & victus rationem referimus, nec non & regionem & anni tempus & cœli statum, quibus tanquam certissimis indicijs in materiæ excedẽtis cognitionem deducimur, vti demonstrabimus inferiùs. Hæc ipsa in statuenda quoque quantitate, & vsu medicamentorum contemplamur, vt certò definiamus semelne & simul an partitis vicibus, paulatim an confertim, breuibus an longis interuallis, leuibus & blandis, an vehementioribus, solidis an li-

F 4

quidis, interioribus an externis auxilijs sit agendum. Denique an hac an illâ viâ, quoue tempore parsit euacuationem moliri. Quod intuitus Hippocrates monebat æstate quidem superiores ventres magis, hyeme autem inferiores potius expurgandos: Graciles quoque & ad vomendum faciles per superiora, cauendo hyemem: At mediocriter carnosos, & vomitioni ineptos per inferiora cauendo æstatem. Quæ nos exempli gratia attulimus vt ἀναλογίᾳ quadam ad quantitatem transferantur, non enim est hui⁹ loci diuti⁹ in his immorari, vnicum intendim⁹ ostendere, scilicet ab ijsdem tum qualitatis, repurgandorum humorum signa ferè omnia depromi, quo quidem quantùm satis est declarato non difficilè est obiecta dilüere.

4. Aphoris. 4. 6. & 7.

Ad primum in quo duplicis erroris arguitur Galenus respondeo ex purgationis verbo optimè colligi, de qualitate sola sermonem esse, vt in sequẽtibus fusiùs docebimus. Hac verò dictione tum vsus est sapientissimus senex, cum de vomitionibus & deiectionibus solùm loqueretur, in quibus humores solùm qualitate peccantes primariò euacuãtur. Quæ duo spontaneæ euacuationis genera postmodum ad quamcumque factam arte vacuationem traducens, siue illa humori quantitate peccanti vt sanguini, siue qualitate noxio, vt reliquis à sanguine separatis, applicaretur optimè & conuenientissimè largiore vsus est vocabulo, cùm dixit, *Et vasorum inanitio*, si

talis fiat, vt vnà cum cœteris humoribus redundantem ſanguinem complecteretur. Nam euacuationis largiùs acceptum nomen, ſanguinis euacuationi & purgationi commune eſt. Vt hic ſententiæ Aphoriſticæ ſit ſenſus, quemadmodum ſi ſponte naturæ ſurſum deorſumue expurgetur humor expurgandus, ſequetur conferentia, & tolerantia: Eodē modo in artificioſa omni euacuatione dirigenda ad humorem quomodocunque peccantem intentio. Illa itaque verba (*Qualis fieri debet*) non ſunt præciſè accipienda, vt humorem dumtaxat notent qualitate peccantem, ſed in genere quamcunque humoris quocũque modo peccantis differentiam exprimunt. Quanquam (vt ex producto exemplo colligere eſt) ad purgationem aliquantò peculiariùs pertinet hic Aphoriſmus, veluti ſequens ad ſanguinis euacuationem. Dices quorſum igitur à Galeno reprehendũtur ij qui τῆς κενεαγγείας, hoc eſt vaſorum inanitiones nomen ad inediam, aut venæ ſectionem transferunt? An quia hic Aphoriſmus de inedia aut venę ſectione accipi non debet? Nihil minùs: verũ toto cœlo aberrabant ij, qui quod vniuerſaliter ab Hippocrate dictum eſt ad particulares haſce duas euacuationes reuocabant.

Ad ſecundum dico ex facilitate tolerantiæ non de quantitate ſolum ferri iudicium, ſed etiam de qualitate, quod eodem commentario allegatio innuit idem Galenus his verbis, nam ſi humor ſuperexcedens euacue-

tur, tunc ipsum seipso fieri leuiorẽ ægrotum & tolerare meliùs necesse est: Quod si aliquid etiam ex ijs quæ sunt secundùm naturam excernatur, dissolui & debilitari ægri vires, & tolerantiæ difficultatem persentiri: quod perindè est ac si dicat si non talia educantur qualia educi conuenit, hoc est alia humoris species quam quæ in vitio est, non facilè sustineri. Quare non benè idcircò inferri potest de quantitate audiendum hunc Aphorismũ, potiùs quàm de qualitate, quamuis in vtrũque quadret hæc oratio, soli enim qualitati præcedentia conueniunt, ac prætetea de quãtitate pertractatur in sequenti, ideoque generalia ex mente proferentis sunt particuliaribus applicanda seorsim, & ad ipsa restringenda.

Ad tertium conceditur ex dictis in legitimá purgatione, non solam humorum purgandorum qualitatem & differentiam attendendam (vti sexcentis locis docuit Medicorum princeps) afferendum nihilominus de qualitate sola hìc esse institutum, neque fuisse opus quãtitatis meminisse de qua mox agendum erat maximè cum ταυτολογίας vitium Aphoristicæ sentẽtiæ breuitas abhorreat. Procedit etiam hæc solutio circa eas conditiones quas in commentario percensuimus.

Ad vltimum fatemur quoque postremam Aphorismi clausulam quãtitati æque ac qualitati conuenire, non inde tamen inferendum est de quantitate esse hanc, vti neque reliquam

orationem, quandoquidem generalia præcepta ſuis ſigillatim partibus & intentionibus adaptantur. Patet autem meridiana luce clariùs non immeritò inſtitutæ, de qualitate orationi, fuiſſe hæc addita, ex quibus redundantis humoris indicia petuntur: vt non ſolm à poſteriori ex conferantia & tolerantia, verùm etiam, imò multò vtilis à priori ex euidentibus proprijſque ſignis & cauſis legitimæ euacuationis cognitio peteretur. Huius deciſionis veritas declarata purgationis eſſentia, clariùs innoteſcet. Quare ad ipſa veniamus.

An purgationis definitio rectè tradita ſit à Galeno in Commentario?

QVAESTIO SECVNDA.

DEfinit purgationem Galenus, *Humorum ſua qualitate peccantium euacuationem*, Veram eſſe hanc definitionem non tamen omni purgationi communē aſſerit Fallopius; In quo ſanè vehementer lapſus eſt, cùm vera eſſe nequeat, niſi ſit vniuerſalis. Nam ſi id concedamus modô (quod accuratiùs poſtmodùm perſcrutaturi ſumus) purgationem etiam humoribus ſua ſubſtantia (quomodo ſubſtantiæ nomen ſumit Fallopius) aut quantitate mo- *Libro. de ſimpl. med. purg. C. 1.*

lestiam afferentibus, conuenire. Consequitur omninò falsam esse definitionem, quæ asserit purgationem soli qualitatis vitio quadrare. Verum fortassè voluit Fallopius, admittendũ quidem, deberi purgationem humori qualitate peccanti, sed non soli: proindeq; veram definitionẽ cùm de qualitate loquitur; mancam & imperfectam, cùm cœterorum obliuiscitur; falsam atque à veritate alienam, si hæc ipsa excludit. Age igitur quibus argumentis motus, ab optimo docendi Magistro desciuerit, audiamus.

Obijcit in primis humori aqueo ad pulmones irruenti atq; illapso purgationem deberi omnium Doctorum consensione, sed is qualitate non afficit, quamcumque enim intemperiem sit sortitus, quemcumque substantiæ modum, seu putridus sit, aut secùs; vias obstruendo sua substantia morbum in conformatione efficit, vnde manifestè concluditur purgationem esse humoris etiam sua substantia noxij.

Affert prætereà purgationem menstruam, quæ accidit non qualitatis, sed quantitatis ratione, quam, ex recepta veterum appellatione, veram purgationem esse concludit. Sanguinem porrò menstruũ, qualitate prima non infici Galeni auctoritate comprobat, & ratione: vt potè cùm is sit, quo mulier alitur, quo fœtus gignitur, fouetur, formatur, sustentatur, augetur. Quamobrem reliquum est vt propter copiam expurgetur, suam opinió-

nem confirmat, tum vomitionũ, tum aliarum purgationum exemplo, quæ non ſunt eorum quæ ſola qualitate lædunt.

Addit poſtremò arenulis ipſius Hippocratis teſtimonio, veram purgationẽ conuenire, ſua tamen qualitate nocent, ſuaq; ſubſtantia meatus obſtruunt.

Ex his colligit purgationem eſſe euacuationem eorum omnium, quibus vel ſpiritus, vel ſolidæ corporis partes impuræ redduntur.

At quanto interuallo à veritatis ſcopo aberret, facilè quiuis vel ipſo Fallopij teſtimonio ſibi perſuadere poteſt, (neque enim eſt quod futilem ſententiam mutuatis aliundè rationibus impugnemus). Equidem vt Galeni opinionem euertat, humoris aquei in pulmones delapſi euacuationem, purgationẽ veram eſſe aſſerit; quemadmodum & ſanguinis menſtrui, & arenularum. Sed ab his neq; ſpiritus, neque ſolidæ corporis partes impuræ fiunt, ergô vel imminuta eſt Fallopij definitio, vel ſanè propoſitæ euacuationes, ex purgationum numero ſunt elidendæ.

Hæc concluſio ſequitur indubitatè ex præmiſſis, minor probatione vix indiget, quæſo enim qua ratione humor ille aqueus, ſpiritus aut ſolidas partes impuras reddit? An ſua qualitate, in qua nullum vitium ineſt? ſi Fallopio credimus. An quantitate? at quis vnquam quantitati per ſe talem tribuit actionem? An quia obſtruit ſua ſubſtantia? ſed neq; id niſi ex accidenti facit obſtructio: imò etiam non

nisi inducta aliena qualitate, & putredine, cuius parens vulgò æstimatur, Neque necesse est tantum esse hunc humorem vt obstruat, sed vt functiones impediat, partes proritet, tussim moueat, hocq; nomine sui expulsionẽ indicabit.

Substantia verò immediatè spiritus labefactare nequit, sed mediante praua qualitate quâ ipsa contaminata est & polluta. De Arenulis, idem audiendum. Quod si quærat quorsum Nephriticos dolores febris vt plurimùm comitetur? Dicam non impurioribus redditis, sed accensis spiritibus. Si instet putridam non rarò exoriri febrem. Dicam non Arenularum vitio id accidere, sed ex dispositione corporis in putredinẽ prona, huius namque putredinis non arenæ sed humorum agitatio & cõcitatio caloris extranei in materia disposita, causa immediata censeri debet. Denique vllane à menstruis impuritas, quæ pura & omnis labis expertia disertè supponit Fallopius? Quorsum ergò (non malè obijciet quispiam) suppressis mensibus fieri ex vtero morbos scriptum re-
5. Aphoris. liquit Hippocrates, ita experientia compro-
57. bante, nisi quod ex retentis mensibus aliqua in reliquum corpus redundat corruptela, à qua inficitur? Respondeo triplici ratione morbos ex vtero prouenire.

Primùm sanguine sola copia molestante, túmque non magis ab hoc inquinatur spiritus & partes solidæ, quàm à reliquo sanguine in reliquis venis redundante, vt huius euacuatio

non sit magis purgatio, quàm reliqui sanguinis.

Secundò, sanguine circa vterum prauam qualitatem contrahente: sed neq; huius expulsio purgatio est, si vera Fallopii regula. non enim prauus duntaxat, sed & laudatus quoque cum illaudato, purus cum impuro nullo delectu menstrua purgatione excluditur.

Postremò fit retentis cum sanguine mēstruo prauis humorib⁹, qui non modò sua qualitate peccant, verùm etiam tempore putrescunt loco calido & humido conclusi; & his vera purgatio debetur non sanguini, quāquam vnà cum sanguine plerumq; foras erumpunt, vno veluti impetu vtramq; euacuationem natura moliente. Omnibus hisce casibus contendit Fallopius veram institui purgationem, vti ex ipsius dictis nullo negotio colliges: nihilominùs in primo nulla fit inquinatio spirituū, cùm nulla aliena qualitate infecta sint menstrua: In secundo nulla est purgatio, cùm non sit humoris determinati, sed promiscuè omnium. In tertio nulla nisi humoris qualitate peccantis iuxta Galeni doctrinam. Vt meritò hoc nomine explodenda sit Fallopiana descriptio.

Non minùs quoque reijcienda est cùm in vniuersum purgationē circa ea omnia versari profitetur à quibus partib⁹ accedit impuritas.

Si ita est spolianda protinùs sua conditione purgatio, nempè vt circa determinatum versetur subiectum, imò & circa solos determinatos humores: Nam si circa humores solos, ergò non circa omnia quæ corpora cōspurcāt,

quorum plurima ſub humoris genere nequeunt collocari, Qualia, venena externa, aër infectus, & peſtilens flatus. Si circa quælibet determinata ſubiecta; aſſignandæ Catharticorum differentiæ quæ determinatis ſingulis venenis educendis, aut excludēdo aëri infeſto, & peſtilenti, & flatib⁹, & quibuſcunque alijs accommodantur.

Itaque ſuperflua eſt hac in parte Fallopii deſcriptio, ſed ex altera manca & imperfecta cùm ſpirituum tantùm & ſolidarum partium mentionem fecit, humores prætermiſit: Diuiſioni Hippocraticæ ſtandum erat doctrinæ Hippocratis ſectatori, qui corpus vniuerſum in tria partitus eſt, contenta, continentia, & impetum facientia, in quorum ſingula cadit impuritas, cadunt & ſui particulares ab impuritate, & alijs cauſis internis externiſque affectus; à quibus etiam tripartitam febrium differentiam ſumpſit Galenus. Neq; cōmodè ſub his aut illis contenta video comprehendi; Non ſub ſolidis, cùm fuſa ſint & liquida: non ſub ſpiritibus, quibus plerumque toto ſunt genere contraria; ſolus ſanguis aliqua cum ijs ſimilitudinis & naturæ conditione ac lege ſociatur, ab ijſdem in plurimis diſſitus. Imminuta igitur eſt Fallopij deſcriptio cùm in legitima partium enumeratione defecerit.

Sed cùm pluribus vitijs ſcateat quàm ipſe expurgandus humor, quid opus eſt in illa diluenda literis & otio diuti⁹ abuti? noſtram potiùs, quæ Galeni eſt, illuſtremus, ſparſam vndique

vndique Fallopij argutijs caliginem, vt primùm illuxerit veritatis iubar, nobis etiam tacentibus tirunculi dissoluent.

Purgationem itaque definiuimus euacuationem humorum qualitate peccantiũ, circa quod quatuor breuibus consideranda, Primum euacuationis nomen, alterum humoris, Tertium peccantis; Quartum & vltimum qualitatis euacuatio generis locum obtinet, cuius in se spectata significatio amplissima quacunque cuiusque corporis in nobis contenti exclusionem designat; sed restringitur à Medicis vulgò ad eam quæ infesti est corporis: Quo sensu à doctissimo Fernelio definitur eorum quæ in corpore præter naturam continetur expulsio.

Sic accepta euacuatio in vniuersalem & particularẽ distinguitur. Vniuersalis est; quæ totum corpus aut plurimas eius attingit partes. Particularis, quæ circa singulas occupatur.

Vtraque in quadruplici est differentia: naturalis enim est, vel artificialis, neutra, vel mixta: quarum tres priores simplices, postrema composita. Naturalem voco quæ principium motus medium & finem ab ipsa natura habet, nullo accedente adminiculo externo quam αὐτομάτως γινομένην appellat hoc Aphorismo noster Hippocrates.

Artificialis est, quæ tota artis ministerio completur, nullum auxilium natura, vel alia quauis exteriore causa conferente: Eiusmo-

di eſt puris, humorum, grumorum, alienorum, (vt ſemel dicam) corporum vacuatio, quæ ſuctione fit, abſorptione, extractione, vel alio quolibet artificis ingenio.

Neutra eſt, quam neque naturæ, neque arti referas acceptam, ſed vel mobili; hoc eſt ei quod euacuatur; vel fortunæ, aut caſui: ſic lumbricorum cœterorũque animalculorum exitum è corpore motrici eorum facultati ſæpè debemus; Et puris aut cuiuſlibet humoris effluxum; puri ipſi aut humori, ſua vel tenuitate vel acrimonia viam ſibi paranti, ſuaque poſtmodum quantitate, & grauitate collabenti; vel mouenti externo nullo conſilio, nulla cognitione impellenti.

Mixta eſt quæ partim ab vno pendet, partim ab altero, vel à pluribus. Et hæc iterum multiplex pro diuerſo copulationis modo. Nam vel motus principium à natura petitur, arte cœptum promouente, vel mobili, vel fortuna aut caſu: vel contrà ab arte, aut cœteris mot⁹ inchoat, à natura abſoluitur, aut à reliquorũ aliquo. Singulorũ exempla ſuopte marte ſibi facilè cõponet ingenios⁹ lector, ſingularumq; mixtionum differentias colliget.

Quæ ab arte incipit mixta vacuatio in duas ſpecies ſecari poteſt, vel enim motus principium arti debetur effectiuè, ad quem ordinem pertinent medicamẽta inſita & propria vi peculiares humores trahentia. Vel diſpoſitiuè tantùm: idque vel impedimenta ſubtrahendo, vt abſceſſus, & venæ apertio: vel hu-

mores fluxiles, aut sequaces reddendo, detersione, incisione, attenuatione, etiam incrassatione, vt in tussi ab humore subtiliori: vel excitando proritandoque expultricem, quod acria faciunt, & quæ acido pungentique sapore prædita. Vel suo pondere comprimendo. Vel vias parando, qualia quæ leniunt, laxant, aperiunt. Eadem diuisio reliquis adaptanda (sed ab ea incœpimus, quæ & ex arte tota est, & ex vsu) vel enim natura mouet, & non promouet: vel materiam solum ad ad motum disponit: crassa, calore fundendo cõcreta dissoluendo; tenuia incrassando, & sic de reliquis, tum in quod deficit natura, arte id absoluitur, & hæc ad quotidianos etiam vsus referenda, & quæ mox dicentur.

Humor quoque sua copia grauis suopte motu delabitur ex parte quapiam, si quid hæret ac subsidet natura vel arte, vel sorte depellitur. Aliàs, dispositiuè dumtaxat eidem humor ad motum concurrit; Crassus nempè & terrestris per inferiora; leuis & tenuis per superiora paratior est & sequacior.

Idem de mouente fortuitò statuendum, nam vel motum efficit impellendo, comprimendo, concutiendo; vel solùm ad motum disponit, sic calor solis, aut ignis calligando: sic alia quædam impedimentum subtrahendo. Qua ratione hostis hostem aggressus, illius thorace confosso, ruptaque vomica purè erumpente, offenso vitam attulit, cui se putabat abstulisse. Istud si ex agentis inten-

tione & arbitrio ſucceſſiſſet, arti erat imputandum.

Modò nequis haſce diuiſiones quaſi per ſomnium à me excogitatas ſibi perſuadeat, illas ex Hippocratis & Galeni locis aliquot inſinuemus, quorum imitatione ſtudioſus lector non pauca aliundè compilabit, ſimulque intelliget quantam ad praxim vtilitatem conferant, & quàm appoſitè ſingulis ad propria capita reuocandis viam præmuniant. Helleboro Epoto iubet Hippocrates ad motionem corpora ducere, deprōpta à perturbatione quæ ex motu corporis nauigantibus accidit, experientia, quæ ducere oportet quo natura vergit, per loca conferentia ducere iubet idem Hippocrates, duplicem nobis intentionem exhibens (inquit medicari æſtate ſuperiores magis, hyeme inferiores: melancholicos etiam infra, habita vtrobique humoris motus ratione: nam bilioſus maxima ex parte æſtate exuperat, vt hyeme pituita. Æſtate natura animalis tota propter ambientem caliditatem magis ad ſuperiora fertur, hyeme contra. Superna petit bilis, pituita & melãcholia inferiora: Quam ob cauſam ſupra ſeptum tranſuerſum dolores qui purgatione indigent per ſuperiora indigere ſignificant: qui verò inferiora, per inferiora: Vnde in pleuritide deſcendente, ſumpto ab humoris motu argumento peplio purgat & helleboro ſuorum præceptorũ curioſus vbique obſeruator. Hæc imitentur ſtudioſi, in

4. Aphoriſ. 14. & 15.

1. Aphoriſ. 24. & ibi. Galen⁹ in comm.

4. Aphor. 4. & 9. & ibi Galenus.

4. Aphoriſ. 18.

2. acutorũ

quos prolixum meum ſtudium prolixiorem fortè me reddidit.

Redeo ad euacuationum differentias, quarum hæc poſtrema in præſentia antedictis ſubijcienda, quod vel circa humores propriè dictos occupentur, vel circa humida quæcunque & liquida fluidaque aut ſolida corpora, vel in nobis genita vel aliundè tranſmiſſa, pro quorum diuerſitate diuerſas ſortiuntur appellationes quibus inuicem diſcernuntur.

Quæ circa corpora ſolida occupantur, vel humida quibus humoris non quadrat appellatio, generis nomen retinent cum additione ſubiecti. Sic vermium, tophorum, grumorum, excrementorum alui, flatuum, aquæ vini euacuationem dicimus.

Humorum propriè dictorum euacuatio bipartita eſt. Vel enim ad ſanguinem dirigitur & ſimpliciter ac per excellentium euacuatio paſſim ab Hippocrate & Galeno nuncupatur vel ad reliquos humores à ſanguine alienos, & ea eſt de qua nobis inſtituta oratio.

Purgatio itaque euacuatio eſt humorũ hoc eſt humidorum fluidorumque corporum quæ ex alimentis gignuntur (vt definit Auicennas) ſed peccantium, hoc eſt quæ à naturali ſtatu receſſerunt, ſiue quæ præter naturam in corpore ſtabulantur. Peccant autem vel propria ſua ſpecie, vel quantitate, vel qualitate,

Solius quantitatis vitio dicta ſimpliciter euacuatio ſubuenit. Qualitatũ primarum aut ſecundarum exceſſus aut defectus alteratione

corrigitur, quæ fit per contraria. Sua ſpecie peccantibus humoribus purgatio ſatisfacit. Eſt ergo in definitione allegata accipiendum qualitatis nomen non pro accidenti de prædicamento qualitatis, ſed pro ipſa humoris differentia & ſpecie, quæ ex ſe nutritioni eſt inepta. Vno verbo pro κακοχυμία hoc eſt ſucci prauitate, quæ nutritionem corporis labefactat, & pro laudabili & familiari ſucco, vitioſum & alienum reponit.

Huius generis ſunt humores omnes à ſanguine alieni quamprimùm vltrà legitimam proportionem adaugentur, ſolus ſanguis ſeruata priſtina ſucci gratia & bonitate plurimùm ſuprà modum & proportionem increſcit: Quare ſolius ſanguinis incrementũ plethorica ſymptomata conſequuntur, quibus vocata ſimpliciter vacuatione occurrimus: reliqui cum exuberãt prauæ nutritionis ſymptomata inducunt, & purgatione depelluntur. Quamobrem non iniuriâ Leonicenum accuſat Fuchſius, quanquam iniuſto titulo, quod Galeni verba Κάθαρσιν ἦ ὅταν οἱ μοχθηροὶ κατὰ ποιότητα κενῶνται, ita latinè reddiderit, purgationem verò quando praua qualitate affecti euacuantur. Dignus equidem reprehenſione Leonicenus, vt qui ſua interpretatione ſanguinem à purgatione non excludit. Eſto enim ſanguis praua aliqua qualitate afficiatur, nonne iuxta Leoniceni ſententiam ad purgationem recurrendum? Niſi fortè prauæ

Gal. lib. de plenitud.

2. Aphor. comm. 17.

qualitatis nomine illa intelligitur, quæ sanguinem à propria natura in alienam conuertit, itaut nè sanguinis quidem appellationem mereatur; sed hæc loquendi ratio, noua est & parùm vsitata, & nouo op⁹ habet interprete. Dicendũ potiùs fuerat purgationem esse cùm humores secundùm qualitatem molesti vacuantur, id est secundum speciem quam à Galeno multis locis per qualitatem significari: & ita communiter in medicina vsurpari nemo ibit inficias,

Leoniceni vt diximus lapsum optimè deprehendit Fuchsius, sed malè reprehendit. Nam si humores, inquit, quantitate non excesserint (vt sæpe fit) qualitas non purgatione, sed alteratione corrigitur. Quid hinc sequitur ô Fuchsi? multa absurda.

Illud in primis quod supponis paucum humorem sola alteratione perpetuò corrigi si prauam qualitatẽ contraxerit. Alterum quod qualitati nudæ purgationem concedis: Tertium quod huic ipsi qualitati purgationem tribuis, non quatenùs qualitas, sed quatenus coniuncta cum qualitatis excessu, itaut potissima purgationis ratio à quantitate dependeat.

Quoad primum attinet, docet quotidiana experientia, paucum imò paucissimum quandoque humorem nulla vi alterantium redire cum natura in gratiã posse: cuiusmodi sunt illi, qui ex insigni putredine maligna aliquam qualitatem contraxère, ac prorsus veneficam:

confutabimus) ita vt quotiescunq; humorum hi vt ad externi veneni naturam accedunt quamproximè, paria cum venenis inferunt symptomata, quanquam minima sint quantitate, neque temperari vsquam possunt aut retundi, neque ante funesti esse desinunt quàm penitùs excludantur. Exempla requiris? Galenum cōsule, ab eo accipies à tantillo humore venefico veneficam auram exsurgere, quorum vtrumque sua tenuitate & paruitate visum effugiat, solo tactu percipiatur: hanc vt primum mentis arcem ferit mole quantumuis exigua, tanta vi corpus vniuersum cōcutit vt nulla pars eius violentiam effugiat, sua vi & mole Scorpionum, Phalangiorumque spiculis haud absimilis. Sed demus ô Fuchsi qualitatem alteratione perpetuò euinci nisi excedat quantitas, istud admittis saltē excedente quantitate qualitati purgationem deberi; Quo admisso quid est quod Leonicenum arguas? nam si qualitati prauæ iniungenda purgatio, quidni per qualitatem prauam, cuius gratia instituitur, poterit definiri? Additum fortè voluisses quantitatis nomen, sed frustra; vt potè cùm sub vacuationis nomine cōprehendatur, non enim rei vt quali, sed vt quantæ vacuatio conuenit. Sed neque vt quali conuenire potest purgatio; si nudam qualitatem intelligas, quæ non nisi à contrario per se tollitur, quare non nisi contrariam per se indicat, hoc est contrariam qualitatem, non purgationem quæ alterius est generis: non etiam vt quantò formaliter conuenit; sed hæc in

Gal. 6. de loc. affectis

ſequentem quæſtionem potiùs differantur: & videamus numquid Galeni mentem ſua interpretatione fideliùs expreſſerit Fuchſius, ſic ipſe habet: Purgatio eſt cùm humores qualitate moleſti vacuantur. Placet hæc diſpoſitio, à diſplicet, quod per humores qualitate moleſtos humoris moleſtantis ſpeciem exponit, cùm potùs exponendum fuiſſet qualitate, hoc eſt ſpecie ſua moleſtos. Longo hæc inter ſe diſſident interuallo ſpecie peccare, & ſpeciem humoris moleſtantis eſſe: ſua ſpecie peccare ſanguinem dicere abſurdum eſt, at ſpeciem humoris moleſtantis eſſe, minimè abſurdum, moleſtus quippe eſt, cum excedit, & Plethorica inuehit Symptomata de quibus ſequenti Aphoriſmo; moleſtus, inquam, eſt ſua quantitate, non ſpecie. Iam ſi proba eſſet Fuchſij expoſitio, illa pro maiore poſita ſequeretur ſanguini, vt reliquis humoribus purgationem competere, ſic enim concluderet argumentum: Purgatio eſt cum humoris moleſtantis ſpecies vacuatur: ſed cum vacuatur ſanguis peccans, vacuatur humoris moleſtantis ſpecies, ergo ſanguinis vacuatio purgatio eſt. Neque quicquam facit ad mentem Fuchſij allegatus Galeni locus ex Commentario octauo ſecundi Aphoriſmorum vbi inquit Hippocratem tunc purgatoriū exhibere Pharmacum quando vnus ex humoribus redundat, quaſi verò æquè ſolus ſanguis ac cæterorum humorum quilibet ab Ordinaria proportione & Symmetria recedere non poſſit (quod ſupponere videtur Fuchſi⁹, & paulò poſt ex profeſſo 3. Aphor. quæſtio. 3.

aliquis ſolus vltra proportionem exuperat, vera ſit & neceſſaria purgationis conſequētia, cùm humoris vnius redundantia iuxta illam ſuppoſitionem Cacochymiam neceſſariò efficiat. Verùm mentem propriam ita dilucidè propoſuit Galenus, quemadmodum in progreſſu innoteſcet, vt in huius loci intellectu hærere, hominis ſit parū in Galeni lectione verſati (quod Fuchſio exprobare nolim) aut parum accurati: Iſtud quippe ſibi voluit Galenus mittendum ſanguinem, cùm humores omnes adaugētur æqualiter, ſeruatâ ſcilicet analogiâ vel ſolùs ſupra analogiam, propriè vocatus ſanguis, vt pro humore quarto accipitur ab alijs diſtincto. Quod ſi cœterorum aliquis redundet, puta bilis vtraq; vel pituita, purgandum. Ratio eſt, quia redundare nullus iſtorum poteſt, quin protinùs Cacochymiam inducat. Et hoc nobis hactenùs decantata cantilena, iterumq; iterumq; decantanda.

Demus modò Fuchſio, cœteriſq; Galeni interpretibus inducias, & Fallopium aggrediamur, in Galenum hoſtiliter aperto campo dimicantem. Primam eius aciem nullo infringemus negotio, ſi non ignoremus qua ratione humoris in pulmones delapſi dicatur purgatio. Circa quod ſciendum obiter purgantium vſum ab obſtructione per ſe non indicari, ſed deobſtruentium: hæc cùm varij ſint ordinis, varias quoq; intentiones proferunt: Obſtructionem pariunt craſſa, viſcida, lenta: à craſſis attenuandi procedit iudicatio; à viſci-

dis, detergendi; à lentis incidendi: qualitatibus per se tribuuntur huiusmodi actiones, has sequitur obstruentis corporis euacuatio, euacuationem denique viarum apertio. Illa porrho enacuatio purgatio est, quam mixtam nominamus, ab alterantibus dispositiuè profecta, ab expultrice facultate perfecta, neque humori conuenit vt obstruenti, sed vt qualitate peccanti, hoc est, ad probam nutritionem inhabili, aliàs ortæ in vasis obstructioni à sanguine, purgatione foret occurrendum non venæ sectione; vel purgationem ac venæ sectionem indiscretè, & indeterminatè indicaret obstructio.

Secunda quæ de menstruo est, solutione non indiget, nam purgatio non est si sanguinem spectemus nisi abusiuè & impropriè, aliàs eadem appellatione donanda esset quacunque arte facta sanguinis effusio. Hoc Fallopius ipse tacitè, at luculenter confirmat, cùm sanguinem menstruum laudatum esse, suaque tantùm copia nocere docet.

Cur ergo Hippocrates? inquiet aliquis, cur Galenus? cur probatissimi quiq; Medici? cur nos ipsi vulgò menstruas purgationes vocamus? Respondeo Hippocratem cæterosque priscis vsitata temporibus loquendi fuisse vsos, neque facilè à recepto verborum vsu deflectendum censuisse, cùm aut rem abundè exprimerent, aut quid aliud ipsam cõsequens aut concomitans adnotarent, veluti præsenti casu. Euacuationem certè menstruam expri-

mario naturæ vniuerſalis inſtituto ſoli ſanguinis redundantiæ deſtinatā nulli non inter Medicos compertum, qua de causa euacuatio ſimpliciter non purgatio eſt appellāda. Verùm vt natura particularis abutitur vtero, in quem tanquam in ſentinam corporis humores putridos, & vitioſos amandat vnà cum ſanguine inculpato effluentes, ita & nos purgationis voce. Addo prætereà medicamenta purgantia nulla reperiri, quæ inſita vi & facultate, qualis verè purgantibus eſt conceſſa, ſanguinem illum proliciant ab vteri venis, vti neque à reliquo corpore: Perijt & cum ſuo inuento (ſi Galeno credimus) qui ſolus primúſque eiuſmodi facultatem in ignoto ſimplice eſt expertus, neque [quod nonnulli affirmant] hoc noſtro tempore rediuiuam puto talis ſimplicis cognitionem. Quod ſi vnquam purgationi quæ Cathartico fit ſuccedit menſtrua, accidit vel euacuatis humoribus craſſis & lentis à quibus obſtructa venarum oſcula liberum ſanguini, forte etiam craſſiori, negabāt exitum; vel proritata humorū ac medicamenti acrimonia, aut ſanè ſubleuata quò premebatur pondere natura, vacuationem nouam ac ſpontaneam moliente: à medicamentis verè purgantibus contrarium potiùs veremur effectum, nempe ne vi tractrice quâ pollent reuocato ad inteſtina humorū impetu fluorem menſtruum, remorentur ac impediant. Quam ob cauſam imperitiæ aut imprudentiæ notam vel apud imperitos vix effugeret, qui mulieri

fluentibus ex naturæ præſcripto menſibus Catharticam exhiberet. Quæ verò ciere menſes communiter perhibentur manifeſtis agunt qualitatibus, & iiſdem planè licet intentioribus, quib⁹ lactis generatio procuratur. Calida illa cùm ſint, ac propterea vtero neſcio qua proprietate familiaria, humores craſſos meatibus infarctos attenuant: Viſcidos & lentos tergent & incidunt, vias diducunt, ſanguinem fundunt, fuſi à ſolita conceptacula prouehuntur humores, quibus pro vehiculo aſſiſtunt, quæ mouere menſes creduntur dum tandem naturæ impulſu in apertum prodeant.

Ad vltimum dato Diuretica, atq; Lithontriba vera eſſe purgantia, quod planè negandum foret, non ideò concedendum arenularum eiectionem veram eſſe purgationem, quoniam ſi definitionem probè attendimus, ſolis humoribus competit purgatio. Verùm quemadmodum humorem gipſenum qui in ſubſtantiam ſolidam gipſo ſimilem concreuit, humoris nomine donamus, ſic & arenulis & calculis, quibus ſua eſt à compactis concretiſque humoribus origo, eandem appellationem conuenire, an ideò ſequetur Fallopij intentum? An purgabuntur tanquam vel quantitate infeſta, vel obſtruentia? minimè gentium. Sed vt qualitate peccant, hoc eſt propria ſpecie ſunt enim toto genere præter naturam. Sed neque cum Fallopio exiſtimandum eſt totam ab arte pendere Arenularum expurgationem, vti neque à ſola na-

tura. Non ab arte quidem cùm nulla dentur Lithontriba, quæ, vt agaricus pituitam, Rhabarbarum bilem, helleborus melancholiam, forma sua specifica tophos trahant: neque si darentur, soli arti esset imputanda purgandi actio, vti paulò post ostendemus; attractionem enim cathartici sequitur depulsio, quæ vnius naturæ est opus allectos humores non ferentis, non etiam soli naturæ accepta referenda, suam quippe operam confert Medica industria, compactos dissoluit calculos, intimas eorũ partes substantiæ tenuitate peruadens, aut asperitate ac duritie atterendo comminuit, vias lenit & amplificat, vim expultricem proritat, excitat, aut confirmat, cuius postmodum contentione & nixa quod infestat extraditur.

Hactenùs abundè enucleata videtur purgationis natura, nunc eius differentias prosequamur, vt si quis reliquus occurat difficultatis plexus enodetur.

Quæ sint purgationum differentiæ.

QVÆSTIO TERTIA.

DOcuimus præcedenti quæstione purgationem esse ex vacuationum genere, quamobrem motum includit: in motu quinque reperiuntur, termini duo, à quo, &

ad quem: medium, mobile, & mouens. Ab horum singulis oritur aliqua purgationis differentia.

Terminus à quo, vel est corpus vniuersum, vel plurimæ eius partes, vel pars solitaria aliqua. Quæ ad vniuersum corpus, aut plurimas, dirigitur partes purgatio, vniuersalis est: Quæ ad singulas, particularis.

Terminus ad quem vnus est, nempè extra corpus. humoris μετάστασιν siue transpositionem melius dixeris quàm purgationem, cum humor ab vna parte in aliam extruditur, si tamen purgationem imperfectã, aut inchoatam lubet appellare, nihil moror: hinc altera orietur purgationis distinctio in perfectam, siue inchoatam & absolutam. Perfecta erit cum humor omnino extra impelletur, sic vt nullam ampliùs partem attingat, imperfecta, cùm vel in via subsistet, vel ab vna parte in aliam migrabit, puta à circumferẽtia ad centrum, à centro ad circumferentiam, à superiore ad inferiorem; à nobili ad ignobilem; aut contra. Et hæc iterum in vtilem aut nocuam secari potest: vtilis est quæ in corporis vtilitatem cedit, qualis quæ à nobili, & principe in ignobilem: nocua quæ detrimentum affert, qualis quæ ab ignobili in principem & ad vitæ vsus necessariam excrementa deponit. Est quædam tertia inter has media, & inutilis, quæ nec proficit nec obest, medium spatium illud vocamus per quod decurrit humor qui expurgatur. Sua sunt singu-

lis partibus loca peculiaria purgationi accommodata, siue conferentia, vt loquitur Hippocrates. Cerebro, palatum, & nares; Pulmonib⁹, trachæa arteria: ventriculo Oesophagus, & venter inferior; qui ambo iecoris concauo etiam subseruiunt: At gibbo, renes, & qui renibus ipsis famulantur vrinarij meatus & vesica. Vndè purgationum alia per superiora fieri dicitur, alia per superiorum inferiorumue nomine simpliciter prolato vomitum aut secessum apud Hippocratem intellige, nam quæ per alias vias sursum aut deorsum instituitur purgatio, cum adiectione medij nominari consueuit: Per palatum, per nares, per renes, per vreteras, per vesicam, per vterum, & sic de alijs distinctionem hanc sequitur præfata altera in eam quæ confert, cùm per loca conferentia purgamus: Et eam quæ officit, cùm præter naturæ legem vias sectamur.

Mobile illud est quod excernitur, nempe humor in humore tria consideram⁹, speciem, quantitatem & qualitatē. Species expurgandorum humorum tres numerātur, Bilis vtraq;, & pituita. Quibus annumerandum quod ad cœteros refertur serum, & quatuor habebim⁹ simplices purgationum differentias, prima est quæ flauæ bili accommodatur; Altera quæ nigræ; Tertia quæ pituitæ; Vltima quæ sero; à quorum singulis inditum purgantibus officij aut virtutis nomen, hinc Cholagoga dicta, Melanogoga, Phlemagoga, Hydragoga.

Compositæ

inueniuntur, tot numero quot mixtionum in humoribus modi. Complicantur simul quãdoq; humores omnes, aut duo, aut plures, quib9 depellendis cathartica cõponimus mixtis facultatibus prædita, polychresta nuncupata. Addenda his differentijs illa paulò antè repetita quam in Aphorismo insinuat diuinus senex his verbis, si talia purgentur, qualia purgari oportet confert & leuiter ferunt, sin minùs contrà.

Alterum in humore spectandum est quantitas, quæ vel copiosa, vel exigua, vel medioeris: totumque dicit, aut partes.

Si purgationem primo modo æstimemus, nempe ex euacuati humoris copia, illam diuidemus in largam moderatam, & exiguam. Si secundo modo, in perfectam & imperfectam. Perfecta est, cùm tantum id expellitur quod exuberat. Imperfecta cùm ei9 pars tantùm aliqua. Eradicatiuam ilam nonnulli satis significantèr, quanquam barbarè fortasse nuncupant, istam minoratiuam.

Tertium est qualitas à qua variæ prodeunt purgationum differentiæ: ab acri quippe & efferato humore, grauis & violenta procedit à mitis benigno, blanda & facilis. A crudo, infesta; & symptomatica: A cocto cretica & proficua. A crasso, viscido, & lento, tarda, lenta, difficilis, à tenui & sequaci, prompta atque expedita.

Postremò à nobis propositũ fuit motũs, sine quo nulla inuenitur purgatio vt neq; motus vl-

lus mouẽs vel in se spectari potest; vel in ordine ad suã vim, suamque actionem. Mouentis in se spectati quot assignantur species, totidem & purgationum.

Mouens aliud naturale, aliud artificiale, aliud neutrum, aliud ex his mixtum. Purgatio quoque alia naturalis, alia artificialis, alia neutra, alia mixta

Naturalis est quæ tota à natura pendet, veluti præcedenti quæstione de vacuatione definiuimus. Artificialis quæ tota ab arte. Neutra, ex vi verbi illarum vtramque excludit, sed vnà cum negatione positiuũ aliud principium connotat, quodcunque tandem illud sit, modò ab ijs diuersum; ipsum scilicet mobile; vel quoduis aliud externum agens præter cognitionem, prætérque arbitrium ac intentum, casum inquam, & fortunam.

Mixta vel ab ijs omnibus pendet, vel à pluribus, neutram per participationem licet appellare.

Productis singulorum exemplis, iunioribus se se in istis imitatione nostra exercẽdi occasionem præbeamus. Perturbationes ventris & vomitiones spontaneæ, de quibus in nostro Aphorismo, merè naturales sunt: humorum suctio, absorptio & quæcunque alia purgatio à sola humana proficiscitur industria cum intentione operantis, merè est artificialis.

Quod si sua sibi tenuitate per laxiores poros exitum paret humor, ac sponte nullo

impellente percoletur & effluat: vel suo pôdere, suaque mole comprimendo, aut violenter extendendo confractis repagulis, vel acrimonia diuulsis, (vt in Hydropicis quibusdam, ac Empyicis) suopte impetu prorumpat, eo planè modo quo è vase laxiore, aut eroso, diruptoue contẽtus liquor exilit, neutram dicemus purgationem. Quemadmodũ & eam quæ fortuita expressione succedit.

Mixtæ purgationis exempla sunt purgationes omnes quas arti vulgò adscribimus: Medicamentum enim humores purgat (inquit Mesues) â natura eius actionem inchoante, limitante, dirigente ipsa humoris vacuatio naturæ est opus, sed per medicamentum naturæ artificis instrumentum. Quam ob causam naturas morborũ curatrices vocat summus naturæ minister licet propriam sibi ceterisque eiusdem ministris hac in parte non neget actionem. *Mensest. de re med. theor. 1.* *6. Epid. parte 5. t. 1.*

Verum grauis hic implicatur nodus in cuius solutione tantisper immorandum, ne in purgationis natura, & speciebus definiendis in posterum hæreamus. Obijciet enim solertis ingenij quispiam, ex nostra hac diuisione ac interpretatione consequi, nullum medicamentum propriè purgans appellari, si nulla medicamenti facultate, sed solius naturæ opera & conatu perficitur purgatio, Quin etiam sibi ipsi dissentanea loquutus videtur Mesues, cum propriè purgans pharmacum vomitorium esse docet, aut deiectorium *Ibidem.*

5. suop. cap. 20. Nec minus ridicula censenda distinctio, Galeni eo ipso libro ex quo suam depromit Mesues, vbi Galenus duas Cathartici proferens differentias, alterum (inquit) commune est eorum quæ quouis modo animalis purgant excrementa. Alterum verò per excellentiam de ijs tantummodò dicitur, quæ aut per vomitum, aut per deiectionem, nam quæ lentos crassosque humores attenuando, vel vrinam ciere possunt, aut pectori pulmonibusque suburratis sputa promouendo conferunt, purgant ea quidem quodammodò verum antedictis non similiter nuncupantur, sed alia Diuretica, alia Bethica, alia menses mouentia, hac re à superioribus disiuncta quod non habeant vim familiariũ succorũ attractricem. Futilis (inquam) ista Galeni distinctio si neque hæc, neque illa verè sint purgantia, si non his magis quam illis, sed naturæ soli expulsio, atque ex consequenti purgatio refertur accepta: Nam cui expulsio tribuitur eidem quoque tribuenda purgatio,

Vltrò nos admittimus medicamenta verè purgantia nulla debere æstimari, se præcisè terminum ad quem tendit purgatio spectemus, qui est extra corpus: nulla enim assignãtur quæ humores sua vi è corpore exturbent: Illos quidem trahunt ad se se, nec sine adminiculo naturæ, sopitam enim Cathartici virtutem, ac materiæ mole velut obrutam natiuus calor primũ excitat, mox in actum deducit. Ita esse quotidiana experiẽtia com-

pertum videmus; Et quæso quis à Rhabarbaro bilem vnquam attractam expertus est, quantumuis proximè alterum alteri applicaretur nisi vel corpori, vel in corpore animantis? Quis etiam in ipso corpore, nisi viuente? Addo nec in viuente, cuius elanguidus calor iacentem ac terrea mole oppressam medicamenti virtutem soluere ac erigere non potest. Hanc naturæ operam minimè ignorauit Aristoteles ideò namque æs, argentũ, cœteraque generis eiusdem etsi concoqui à calore non valeant, haud purgare tamen asserit, quod resolui à viribus corporis nequeant. 1. Problem. 45.
Quanquam in modo quo purgatio fit aberrat grauissimè, vti paulò post aperiemus. Libera ergò naturæ beneficio vis pharmaci nec siue altero naturæ derigentis ac limitantis beneficio, tendit ad humorem sibi proprium & affinem, eũque ad se prolicit, quod reliquum est proprio nixu exequitur natura, prolectumque humorẽ foras extẽdit: sed nõ sine humore ipso, vel non sine Cathartico aut vtroque sua vel copia premẽte, vel qualitate stimulante. Et quanquam antè postremum hunc, qui naturæ est conatum purgatio nondum sit appellanda, vt nec humor purgatus, sed à medicamento dumtaxat motus, atque attractus: ipsi medicamento nihilominùs, à quo motionis principium effectiuè communi loquendi consuetudine integræ tribuimus actionis denominationem: illudque propriè purgans nominamus tùm recepto Galeno, priscisq; & meretricis more

cum ad differentiam aliorum quæ etiã pur-purgantia, sed minùs propriè nuncupari so-lent, vt Diuretica, hysterica, & quæcunque dispositiuè solum ad motum qui in purga-tione fit, concurrunt, siue corpora reddendo fluida (vt loquitur Hippocrates) siue alia quacunque ratione in præcedentibus decla-rata. In hoc maximè quæ ad rem præsentem facit inter vtraque distinctio sita est, quod ve-rèpurgãtia nobis appellata ad vnum aliquem peculiarem & determinatum humorem fa-cultate determinata & propria ferũtur, eũ-que vt sibi familiarem trahunt. Alia, quan-quàm ab artifice ad particularem aliquem ordinãtur agunt tamen in omnes promiscuè, neque vlla vi tractrice pollent siue determi-nata, siue indiscreta. Sic attenuantia Bechica dum pituitam crassam fundunt & attenuant, eandem pariter in obuios quoslibet humores operationem exerunt. Incrassantia, si in cras-sos impinguant, crassiores reddunt quos for-tè præstaret esse tenuiores, agunt enim ex naturæ præscripto, non ex Medico. Denique attenuatio, vel incrassatio nihil ex se mouẽt aut promouent, sed mouenti naturæ humo-rem sequacem efficiunt ac obsequentẽ. Quã-obrem mixta purgatio est quæ vera & ar-tificialis dici consueuit, verèque purgans quod ei satisfacit modo explicato. Nunc de-ductas à mouentis facultate vel actione di-uisiones vnico verbo prosequamur.

Mouens aut blandum est, aut mediocre,

aut violentum. Itemque debile, aut validum aut inter ista medium.

Actio quoque aut debilis, aut blanda: vel valida, aut violenta: vel mediocris. Talis & purgatio.

Si quid fortassè accuratiùs perscrutanti videbitur prætermissũ poterit ad proposita capita reuocari. Postulat nunc doctrinæ ratio vt modum quo purgatio fit breuibus proferamus.

Quomodo fiat purgatio.

QVÆSTIO QVARTA.

QVanquàm ex Aphorismi contextu elici expressè non possit hæc quæstio, ad Aphorismi tamen, maximèque ad dictorum, dicendorumque intelligentiam pleniorem facit, ideò mihi non visa est debere prętermitti at succinctè potiùs tractari.

Aristoteli hac in parte, vt in alijs plerisq; minimè cum nostris auctoribus conuenit. Sic ille sentit: medicamenta vti ventrem adierunt resolutaque sunt, statim ad venas per easdem semitas ferri, per quas defertur cibus mox cum nihilo concoqui potuerunt, sed victrice perstitere potentia, relabi, & quæ sibi obsistunt secum detrahere, & hanc rem purgationem vocari: hæc opinio quantùm à Medicis theorematis, tantùm ab experientia

& recta ratione deflectit.

Labitur in primis cum purgandi facultatem in id ſolum refert quod incoctilia ſint medicamenta, nulla purgantis, aut tractricis virtutis facta mentione non enim ſolis purgantibus, ſed omnibus in vniuerſum medicamẽtis cõuenit, vincere non vinci; mutare nõ immutari, quo nomine ab alimẽtis ſegregãtur.

Labitur ſecundò cum illa quaquauerſum in omne corpus deferri putat, venaſque peruadere. Perpetuum non eſt, multò minus neceſſarium Cathartici ſubſtantiam omnes, aut plurimos, imò ne aliquos quidem anfractus corporis permeare: ſed vi attractrice ſibi inſita, delectu quodam cognatum humorem ex venis, & corporis meatibus ſenſum fugientibus ad ſe ſe in ventriculum & inteſtina rapit: hoc argumento quod plerique ſolis ventriculo aut vmbilico admotis copioſè expurgantur: Quidam etiam odore ſolo. Nonnulli, quibus infractus multo humore viſcido & craſſo ventriculus, larga purgatiore abſoluta, pilulas integras auro etiamnum obuolutas viſi ſunt euomiſſe. Alij aſſumptum Pharmacum illicò reddunt, & abundè purgantur. Addo nouum quorundam hac ætate inuentum qui vna eademque pilula ſæpius ingeſta, ac integré egeſta, purgationem iteratam fœliciter moliuntur.

Meſues lib. 1. theorem 1.

Errat denique Ariſtoteles cum indeterminatam eſſe vult purgantis actionem, & promiſcuè ab eo quencumque reluctantem

humorem prolectari: ſenſui, & experimentis fidem negat, Pharmaceuticus omnem regulam & diſtinctionem funditus euertit. Quæ enim compoſitionum neceſſitas? quis compoſitorum vſus, ſi vnum & ſimplex quodlibet Pharmacum humoribus quibuſcunque expellendis eſt ſatis? Cur hydrotico ad hydropum aquas vtare potius, quam cholagogo? Cur hoc ad bilem potiùs, quam Phlegmagogo, ſi quæcunque ſibi obſiſtunt horum quodlibet ſecum deducit.

Longè aliter quàm Ariſtoteles philoſophantur qui diſciplinæ medicinæ animum applicant, & præceptiones à maioribus firmiter ſtabilitas ad praxim ſtudioſè reuocant. Vident primum aſſumpti Cathartici quibuſdam veluti ergaſtulis coercitam, & otioſam facultatem viuentis calore ſolui, ſolutam, veluti latentes ſub cineribus ignes, eodem calore quaſi flabello quodam excitari, mox in actum deduci: Hæc prout valida eſt aut debilis longè latèque in diſtantes partes libera diffunditur, humores ſibi familiares aggreditur, concutit, ad ſe pellicit, quo modo magnes ferrum, paleas electrum; pellecti ſuo pondere, aut qualitate naturæ moleſtiam exhibent, inſurgit demum vis expultrix pondus excutit, onere ſe leuat & moleſtia. Qui odore ſolo mouentur, tenues habent humores, & mordaces, leui quaçunque occaſione ad motum expeditos: hi, vt medicamenti vapore feriuntur, agitantur illicô, turgent

naturam ad expulsionem prouocant (cum paulò ante quieti nullam parerent offensionē, nullum inderent stimulum) tum expellenti naturæ (vt sunt ad motum proni) facilè obsequuntur, & per consuetas vias, quà magis ipsi naturæ liberum, erumpunt. tandem imaginationi vim tribuere licet & ob eandem ferè rationem. verùm contrà nos aliquis pro Aristotele disputans Hippocratē; opponet vim peculiaris humoris tractoriā purgantib⁹ denegantē: si enim idē medicamētum, quater in anno exhibeas, hyeme pituitosissima (inquit) detrahes: vere liquidissima: æstate biliosissima; autumno nigerrima. Ecce vt ab eodem medicamento varij pro varietate tempestatum nullo delectu trahuntur humores. Huic argumento nullo negotio satisfiet, si mentē Hippocratis attendamus. Ad cuius cognitionem notent studiosi, Catharticum per se quidem hoc est facultate naturali proprium & familiarem succum ducere: sed ex accidenti, & sequelæ ratione etiam cæteros ad motum faciles & expeditos, idque maiore minoreue copia proüt plus minusue exuberant: verbi gratiâ (vt in allegatis ab ipso Hippocrate exemplis subsistam) si medicamentum afferas quod pituitam ducat, primum sua vi pituitam alliciet, hanc consequetur bilis, bilem melancholia, melācholiam sanguis: sin cholagogum exhibeas, trahetur primùm bilis bilem sequetur pituita, pituitam melancholia, melencholiam sanguis. Idem in externis li-

quoribus cernimus, quorum si plures & diuersi eodem simul contineantur loco, vno moto cœteri quoque mouentur, eo quisque ordine quo est ad motum paratior, nō æquali tamen proportione, sed pro suæ quantitatis modo. Pari ratione agitata phlegmagogo pituita reliqui pariter cum ea confusi humores agitantur, si illam trahis, hi sequuntur priùs hic, ille posteriùs proüt hic aut ille ad motum est promptior. Non ita tamen vt attractæ pituitæ maior necessariò effluat quàm alterius cuiusquam copia, sed eò quisque fluit copiosiùs, quò est vberior: nempe hyeme pituita, quo tempore redundat largior effunditur cœteris temporibus, sumpto eodem medicamento, parcior. Bilis contra hyeme parcior, æstate largior & ita de reliquis. Respondet itaque specificæ cathartici proprietati specifici humoris impulsio, huius impulsioni consecutione succedit aliorum commotio atque depulsio.

Quæres nunquid verisimile putem per sequelæ modum dilabi & exilire sanguinem post alios humores cuius tāquàm pretiosissimi vitæ thesauri maximè auara vis retētrix haud facilè patitur effluxum? An hic effluxus sanguinis purgatio est?

Respondeo neque sanguinis vacuationem quæ à medicamento prouenit purgationem esse, sed ὑπερκάθαρσιν hoc est superpurgationem, seu aliquid suprà aut vltrà purgationē: Neque ab eadem causa purgationem & su-

perpurgationem pendere. Purgationis quidem causas accepimus. Superpurgationis triplicem statuit Galenus, singulasque Cathartico refert acceptas osculorum scilicet apertionem: purgantis mordicationem: Et vasculorum imbecillitatem. Apertio fit ob medicamenti potentiam: mordicatio, ob acrimoniam: vasorum imbecillitas ob ingentem defatigationem, & intemperiem, quam dum à Cathartico lancinantur, ac veluti emulgentur, acquisière. Has ipsas causas in humorem qui expurgatur detorquere nihil prohibet. Nam spontaneis etiam purgationibus superuenit ὑπερκάθαρσις, quo casu purgans pharmacum accusari minimè potest. Aperiuntur autem vasa ab humore tenui & feruido: Ab acri eroduntur, à copioso tenduntur & dirumpuntur: à pungente vellicantur: laxantur ab humido, vel aliam quamlibet ipsi humori congenerem intemperiem contrahunt à qua debilitantur. Multa hîc alia quæri possent ab instituto nostro aliquantô longiùs dissita, vnicum nobis propositum ab Hippocratis scopo non recedere eaque tantum proferre quæ Aphorismi sententiæ ac intentioni lucem aliquam afferant, qualia quæ hactenùs tractata, & quæ mox tractaturi sumus: inter quæ quod in praxi est apprimè necessarium, à paucis fortassè satis curiosè inuestigatum, à paucioribus satis cognitum, purgationis videlicet indicans primo loco, & nostro docendi more perquiramus.

1. de sup. facul. cap. 12. & 28.

A Quo indicetur purgatio.

QVÆSTIO QVINTA.

DVbitandi nobis paulò antè præbuit occasionem Fuchsius, cùm de purgationis à Galeno tradita definitione ageremus, vbi Leoniceni interpretationem conuellens qualitatem humoris sola vult alteratione corrigi, non purgatione, nisi cum quantitate excesserit: ex quo inferri debet à quantitate purgationem indicari. Nam si qualitati non debetur purgatio nisi quatenùs cùm excessu coniunctæ, excessui certè debetur. Hæc si Fuchsij opinio est, non à Galeni mente, non à ratione videtur aliena, Galenus quidem quarto Aphorismorum vbi hæc eadem præsentis Aphorismi sententia repetitur, & explicatur, per qualia oportet, abundantiam significari dicit humorum sua qualitate infestantium, abundantiam igitur purgari oportet tanquam id quod indicat, nempè ab eo cuius gratia instituitur purgatio sumpta purgationis iudicatione. Clariùs & ex professo rem in methodo definit his verbis. Sicut missio sanguinis vel propter ipsius redundantiam, vel propter morbi magnitudinem: ita purgatio vel propter redundentis eiusdem succi, vel propter vim morbi adhibetur. Et ibidem paulò inferiùs Hiopocratis auctoritate fretus succum redundantem va-

Comm. 2.

4. Methodi. C. 6.

cuandum docet hac distinctione, vt si exuperet sanguis, detrahatur: sin alterutra bilis aut pituita Catharticum imperetur.

Cap. 61 Quæris apertiùs in Galeno suffragiũ? Habes libro de constitutione artis distinctè & disertè proditam quam quærimus decisionem paucis his verbis. Correctio morbos efficientium dispositionum summatim perstringenti contrarijs obitur: particulatim verò persequenti superfluum vniuersum rescindere expedit, quomodo superfluum sit distinguendo; an vt quantum, an vt quale, an vt vtrumque. Quod redire in naturalem statum valet, alterare per contraria; Quæ præter naturam toto sunt genere, vt venena, ac spicula defigentium virus animalium, alterando vacuandoque. Hic manifestè Galenus à qualitate solius alterationis indicationem petit: à quantitate, vacuationis, sub qua purgationẽ comprehendit. Plura vndecunque ex Galeno in hanc sententiam congerent Galeni studiosi, nos veritatem rationibus exploremus.

Esto, supponamus Cystim felleam sibi familiaris humoris copia turgentem ac oppressam, sic vt neque de nouo affluenti sit locus, neque suo se pondere leuare ipsa possit nullo accedente qualitatis vitio; Quid tum remedij, nisi vt exuberantem quantitatem detrahas? Quo tandem ingenio, nisi purgatione? Quantitati ergô debita purgatio. Idem inductione patet in reliquis humoribus iuxta naturæ normam temperatis: nam neque me-

lancholiæ, neque pituitæ quorum vtrique ſuus eſt vſus in corpore niſi cùm exceſſerint vacuationem decernimus: nec aliam vacuationem quam purgationem. Si cum exceſſu receſſum à naturali craſi & ſymmetria neceſſariò adeſſe contendis, & huius receſſus hoc eſt prauæ inductæ qualitatis gratia purgationem præſcribi: Quæram qua qualitate infeſta ſit bilis, cum per vniuerſum corpus effuſa & exuperans iterum inducit? Non calore & ſiccitate febrem, aut aliam quæ in ſenſus cadat particularem vllam intemperiem excitat. Non acrimonia ferit, aut lædit, non vlli vitali actioni, non animali, nulli etiam naturali plerumque officit. At purgatione eliminanda eſt, quia ſparſa, quia exuperans. Cur in ſynocho non putrida accenſo ſanguini mutuata non à qualitatis vitio, à quo præcipua eſt læſio, ſed à plenitudine indicatione ſanguinem eximis, in præfata bilis redundantia ſolam qualitatem quæ culpa caret attendis? Promenda potiùs à quantitate indicatio vt pote quâ penitùs ſublata aut certè imminuta nulla aut exigua vis qualitatis. Non enim ex ſe ſe ſcintilla concitabit incendium in ſubiecto tantillum ad obſiſtendum idoneo: non mandragora, non cicuta, non papauer quæ alioqui trahere corpus in perniciem apta ſunt, ſine quantitate detrimentum vnquam afferent. Idem multò magis de humoribus exiſtimandum quorum multò minus aduerſa noſtris corporibus qualitas longè maiorem

Gal. 2. Aphoriſ. Comm. 12.

desiderat ad actionem copiam, quâ resecta malum pariter resecueris aut præuerteris.

Verùm obijciet fortè quispiam me mihi vltra scopum effingere in quem spicula contorqueam, cùm nullus sit qui nudæ qualitati tribuat purgationem (quo nomine anteà explosa fuit Leoniceni expositio) & in præcedentibus sit demonstratum, qualitatis voce humoris speciem esse intelligendam: Quo posito ruunt præfata argumenta. Nam biliosus humor & reliqui, licet naturalem temperiem seruent, quamprimùm exuberant, etiam cum sanguine commixti aut confusi, qualitate peccant hoc est sua specie, siue in prauum succum degenerant, & nutritionem labefactant, quam ob causam purgationem exposcunt.

Valet in vtraque bile fortassis hæc obiectio in pituita dulci non valet, quæ vrgente penuria vlteriori coctione elaborata cedit in laudatum sanguinem, probumque nutrimentum.

Denique purgatio euacuatio est sed euacuatio corpori competit vt quanto & extenso, non vt quali, ergô & purgatio.

Ecce multis nec inualidis fundamentis suffultam Fuchsij instantiam: Quæ tamen si ad Hippocratem, si ad Galenum, si ad rationem ipsam mentis & oculorũ aciem curiosè reflectemus parũ firmiter videbitur stabilita. Hippocrates quidem toto hoc Aphorismo, qui totus est circa purgationem ex communi

inter-

interpretum ipsiusque Fuchsij consensu, solius qualitatis meminit tanquam primarij in purgatione scopi. Ne quis verò falsò aliundè persuasus ad quantitatem potiùs animum intenderet, se se euidentiùs in progressu explicans litem dirimit: deiectiones (inquit) non sunt multitudine æstimandæ, sed si talia purgentur qualia purgari oportet. Essent sanè multitudine æstimandæ non qualitate, si ad humoris copiam, non ad qualitatem esset referenda purgatio. His si non satis declarata supremi dictatoris intentio, Galeni commentarios adeamus. Iubet Hippocrates verno tempore venæ sectionem aut purgationem præcautionis gratia ijs iniungi, quibus alterutrum conuenit. Docet in commento Galenus faciendum hac distinctione alterutrius delectum, nempè mittendũ sanguinem ijs qui ex plenitudine morbis sunt obnoxij, purgandos alios, qui ex humorum corruptela.

1. Aphorismus. 23.

6. Aphor. 47 & ibi. Galen⁹. in comment.

Rem posteà clariùs illustrans. Venæ (inquit) sectio commune auxilium est earum, quæ à plethora oriuntur, affectionum. Purgatio verò, quamuis, si secundum genus inaudias, vnum quoddam auxilium existat, non tamen secundum speciem: nonnullis siquidem confert humores pituitosos educere, alijs amaram bilem, alijs atram, reliquis serosam superfluitatem, pro natura earum, quæ superueniunt, passionum. Quasi ita velit, in genere quidem purgatio ab vno aliquo iudi-

catur, nempè ab humoris prauitate, verùm in ſperie à differentibus ſpecie humoribus ad eum, qui exuperat, limitatur.

Noſtra hæc interpretatio non eſt, ſed ipſius Galeni eo ipſo loco exemplis confirmata. Quemadmodum igitur ſpecialis iudicatio à vitioſo humore ſpeciali ſumitur, puta cholagogi exhibendi, ſi peccet bilis, phlegmagogi, ſi pituita: ſic & generalis indicatio ab humoris qualitate vitioſa in genere petenda eſt. Ita is ipſe habet præcitati Aphoriſmi cōmentario. Nempe quemadmodum qualitatem pro humoris infeſtantis ratione vacuare oportet, ſic & quantitatem humoris multitudini reſpondere. Ecce manifeſtas humoris purgandi, & purgationis quantitatis indicationes, illius à qualitate, huius à copia & exceſſu. Hìc interim notent ſtudioſi, fidelis interpretis limites prætergreſſũ fuiſſe Plantiũ: ſic enim ſcribit Galenus, ὡς γὰρ ποιότητα κατὰ τὸν λυποῦντα χρὴ κενοῦσθαι χυμόν: ſic Plantius vertit, quemadmodum enim moleſtum humorem pro qualitatis ratione vacuare oportet: verba ſonant ποιότητα κενοῦσθαι κατὰ χυμὸν, non è contrà, χυμὸν κενοῦσθαι κατὰ ποιότητα.

1. Aphor. Comm. 23.

Ad rem redeo, & ad Galenum, qui iuxtà Hippocratis loquendi morem vacuationem ſimpliciter vocari aſſerit, quandò humores omnes vacuantur æqualiter: Purgationem autem, quandò qualitate moleſti. Hìc firma memoria recolendum qualitatis voce ſucci

2. Aphor. Comm. 17.

prauitatem designari, communi & significãte verbo κακοχυμίαν, quæ tum accidit, cum vel alterutra bile, vel pituita, vel sero corpus infarcitur. Euidens itaque ex Galeni decreto ab humoris qualitate purgationis indicationem depromi: Verùm cum eiusdẽ auctoritate fretam videamus præcedentem opinionem, res est ad rationis trutinam potiùs reuocanda. Gal. 13. Methodi.

Quæro in primis, si purgationem indicat quantitatis vitium, quid est quod à purgatione sanguinem excludas? Nam cuicunque indicans conuenit & indicatum, cùm alternm alteri naturæ lege opponatur. Non etiã purgationem indicat qualitas de genere accidẽtis, sed qualitatem contrariam. Relinquitur ergô sola præfata succi prauitas. Quod ita probo. A natura rei proficiscitur indicatio, sed purgatio est humorum qualitate peccantium, ergo à qualitatis vitio indicatio sumenda. Clariùs: humoribus accommodatur purgatio vt qualitate infestantibus, ergo ab ijsdem vt talibus indicatur; non enim sub alia conditione spectantur, sub alia tolluntur. Denique contraria contrarijs curantur, 4. Methodi. 6. sed purgatione per se curatur κακοχυμία, ergô purgationi per se contraria est si purgationi per se contraria, ergô purgationem per se indicat. An confirmatione opus est? verè purgantia vocata prauos tantummodo adoriuntur succos; vera igitur purgatio ijsdem solummodò destinatur.

Tertiam in Galeno sententiam inuenio, cuius auctorem facit Hippocratem, qui tum in reliquis omnibus operibus, tum in eo, quod de vlceribus prodidit, etiam morbi magnitudinem ad purgationis indicationem cõſiderat, hæc eius ſunt verba. Purgatio per aluum plurimis vlcerum prodeſt, in quibus oſſi caries impendet. Præterea & quæ ſuuntur, & quæ exeduntur, & herpetibus, & reliquis quæ vlcera diuturna reddunt: Etiam quæcũque deliganda ſunt eadẽ quoque per aluum purganda. Ex his infert Galenus vlceribus omnib⁹, quoties præualida ſunt purgationẽ eſſe vtilẽ, nec non ipſã morbi vim, ſiue magnitudinem velis appellare, pro indicatrice quadam purgationis ſtatuendam. Id quod longa ſatis oratione proſequitur, ad quam ſtudioſum iuuenem velim, recurriſſe. Præter iſtas quarta quorundã opinio eſt, à ſanguinis maſſa, ſiue ab eo, quod in corpore laudabile reperitur, purgationem indicari. Neque id improbabile videtur, ſi verum eſt idipſum, quod purgatur, indicare: purgari ſanguinem ex eo probant, quod purgatio ſit quædam emundatio, ſed emũdatur ſanguis, non reliqui humores praui, imò verò in cloacam aut ſentinam impuriſſimam detruſi maiorem ſitum atque impuritatem contrahunt: ſolus ſanguis purior redditur & defœcatior. Sic veſtes, cubiculum, vaſa, frumenta, vites expurgari dicimus, non quiſquilias, aut ſordes. Et ſane medentis intentioni perbellè quadrat hæc opinio, illud

vnum quippè contendimus, comſpurcatam alienorum humorũ contagio ſanguinis maſſam depurgare, deficientem à bonitate priſtina in integrum reſtiruere ſaluas, ac integras nutritionis cœterarumque corporis facultatum actiones tueri.

2. Aphor. 22. & Ibi. Galenus.

Hactenùs diſſentientes audiuimus de purgatione ſententias, quarum rationes haud difficilè fuerit (quantùm iudico) adhibita interpretatione in concordiam reuocare: ſingulas igitur ſeiunctim diſcutiamus.

Ad primam quod attinet, repetendum ex ſuperioribus purgationem per euacuationem, tanquam per genus proximum, definiri. Euacuatio per ſe quantitatis exceſſui ſuccurrit, repletionem enim curat euacuatio, vt morbificarum cauſarum omnium per contraria ſit amotio: ſi productos à copia morbos depellit vacuatio, hæc ab illa certè iudicatur. Si ita eſt quantum ſui generis naturæ particeps eſt purgatio, tantum & indicationis quæ illi eſt propria. Verùm ex parte materiæ ſe tenet genus, generica ergo indicatio ſpeciei materialiter dumtaxât applicatur. Ampla porrò generis acceptio per ſpecificam differentiam, quam εἰδοποιὸν idcirco vocant, limitata ſpeciem, conſtituit. Ab hac eadem differentia, generica indicatio, tanquam per rationem formalem, ad ſpecificam reducitur, non aliud concludunt argumenta affirmatiua, ſi probè examinentur: non aliud conuincunt negatiua. Affirmatiua ſolam materialem in-

dicationem adſtruunt; ſolam formalem iudicationem reſpuunt negatiua. Hæc circà primam ſententiam.

Formalem rationem contemplatur ſecunda opinio, ſucci nimirum prauitatem, quæ differentiæ ſpecificæ locum in definitione obtinuit, non enim purgatio ſimpliciter vacuatio nuncupatur, ſed cum adiectione talis humoris, nempè qualitate moleſtantis, qualitatis nomine pro humoris ſpecie & differentia, ſiue pro κακοχυμία accepto, vti ſæpiùs inculcauimus. Ad hanc conditionem lata illa generis amplitudo reſtringitur. Id quod ſatis ſuperque tnm Hippocratis & Galeni calculo firmatum, cum etiam rationibus demonſtratum, Neque nos à ſententia dimouent, imò ne mouent quidem, quæ ad prioris ſententiæ confirmationem in contrarium iactantur.

Inter ea, quæ ex Galeno citantur, vnicum ex libro de artis conſtitutione mutuatum difficultatem parit : vbi cauſarum morbos efficientium indicationes diſtinguens, triplicem tantùm indicationem profert. Primam quæ à qualitate ſumitur, alteram quæ à quantitate, tertiam qnæ ab vtroque. Primæ opponit alterationem : ſecundæ, vacuationem, Tertiæ vtrumque. Vndènam modò in his Galeni verbis haurienda pnrgationis indicatio ? Non à qualitate, vt conſtat : Ergô à quantitate. Ad quod caput eadem referenda? Non ad alterationem certè, ergô ad vacua-

tionem: nam & hanc humoribus veneno similibus tribuit, quibus omni dubio procul purgatio conuenit, non appellata simpliciter vacuatio. Equidem fateri cogor non satis exactum in ista distinctione Galenum fuisse, vnumque ab eo membrum prætermissum humoris scilicet prauitatem, cui pro remedio opposita purgatio: Et hæc quidem venenatis humoribus imperanda, non euacuatio quæcunque. Purgationem itaque sub euacuationis voce cōfundit Galenus, neque distinctè plethoræ & cacochymiæ indicationes profert: Sanguis enim præter modum auctus, & efferuescens qualitate simùl & quantitate vitiosus est, alteratione͂ ideò & euacuationem requirit, non tamen purgationem.

Cætera Galeni loca quantitatis & qualitatis vnà meminère, quamobrem manifestè probant ab vtroque indicari purgationem iuxtà præfatam expositionem. A quantitate inquam materialiter, à qualitate formaliter. Rationum oppositarum facilis est solutio. Ad primam, qua arguitur coniunctæ cum redundantia qualitati purgationem deberi, non tamen ipsius qualitatis gratia (vt quæ alteratione temperanda) Ergô quantitatis. Respondeo qualitatem vitiosam, cùm temperari nequit, sui subiecti exclusionem requirere; non primò & per se, at secundariò atque ex accidenti, quoniã ad subiecti ablationem ipsa tollitur. Accidentis enim esse est inesse, quare sine subiecto consistere non po-

test: cumq; à subiecto nequeat in subiectum migrare, oritur intentio subiectum extrudendi: Ita tamen, vt à subiecti differentia sublationis modus terminetur, putà si in parte corporis solida venenata qualitas firmetur; ab afflictæ partis natura & constitutione oritur indicatio resectionis, siue amputationis, aut erosionis, quæ ferro, igne, septicis aut alio quocunque ingenio perficitur. A sanguine, aut spiritibus intēperatis, quandiu suum nomen ac definitionem retinent Phlebotomiæ, vel arteriotomiæ. Ab humoribus à sāguine alienis eiusmodi qualitate infectis purgandi. Addo qualitatis infestam quæ emendari non potest in humoribus à sanguine alienis necessario cacochymiam parere: idipsum facit excedens eorundem quantitas, vt anteà docuimus. In sanguine verò hæc ipsa qualitas plenitudinem ad vires facit, ac tandem, si latiùs dimanet, ipsam naturam sanguinis prorsus corrumpit, & vel in plenitudinem cum adiectione vocatam quæ cacochymiæ proxima est, vel in cacochymiam ipsam degenerat.

Cœteris primæ sententiæ argumentis satisfacit allata ibidem obiectio. Ad instantiam de pituita dulci, dicimus pituitam dulcem moderata copia facessere in laudatum sanguinem; & probum nutrimentum, vbi verò à natura regi nequit, aut vberiùs increscit, illicò nutritionem labefactare, & cacochymica symptomata inuehere, non autem quemad-

modum sanguis. Plethorica ad vltimam non est quod repetamus quomodò purgatio, quà vacuatio est, à quantitate indicetur.

Obijciet argutulus quispiam, si ab humoris specie indicatur purgatio, non tanquàm cõtrarium indicatur: nihil enim speciei contrarium est, quare neque purgatio. præterea quæ verè purgantia dicuntur, humorem cui destinãtur non purgant vt contraria, sed potiùs vt similia, ergò à simili petitur hæc indicatio: respondeo largiùs accipi à nobis contrariorum nomen, quàm vulgô soleat à dialecticis: contrariorũ voce quamcumque oppositionem includimus, quo sensu contraria censemus, quæ se mutuò tollunt siue per se, siue ex accidenti, Sic cathartica ijs humoribus dicuntur contraria, ad quorum exclusionem comparantur, licet quantum in se est, humoris potiùs attractionem ad se se quàm eiectionem è corpore moliantur.

Circà tertiam sententiam, audire mihi videor studiosum aliquem primo intuitu dubitantem, qua ratione à magno morbo possit purgatio indicari. Nam quæ à morbo hauritur indicatio, curatiua est, purgationis verò, præseruatiua, vt quæ solam attingit morbi causam, nec morbo solùm qui fit, sed & futuro quoque debetur. *2. Aphor. Comm. 22.*

Pro solutione aduertendum remedia omnia siue Therapeutica, siue prophylactica, ad morbum finaliter ordinari. Curatiua nuncupãtur quæ morbum ex se,, immediatè ado-

riuntur, & profligāt. Præseruatiua, quæ morbi præsentis aut futuri causam rescindunt, (quanquam quæ ad præsentis morbi causam referuntur, mixtæ quodammodo naturæ, cēset Galenus, & proprio nomine carere) hæc vt per se, immediatè causæ applicantur, per se quoque & immediatè à causa indicantur, ita tamen vt hanc indicationem limitet & moderetur id cuius gratia, nempè morbus. Iam supposito morbo præsente vel futuro, statim remedium indagandum, remedium (inquam) eiusmodi quod morbo par sit, vel præueniendo, vel tollendo. Si ergô magnus supponatur morbus, magnum pariter supponendum remediū. Constituamus modò purgationem magni istius morbi præsidium fore, purgatio certè pro magno præsidio habenda erit; at non quæcunque purgatio magnum præsidium est, sed ea tantùm quæ vero purgante nuncupato absoluitur, cuius vis peculiaris & insignis. Cæterorum, quibus etiam purgantium tribuitur appellatio, indeterminata est & infirma. Illud humorē ad se vel reluctantem rapit ista, trahenti, vel impellenti solùm famulantur, neque ex se quicquā mouent aut promouent. Illius actionē si probè administretur, vix vnquam fallit exitus, semper sequitur purgatio: agunt ista nulla certa optatæ purgationis expectatione: quæ si consequatur, non ipsis, sed naturæ soli, aut alteri causæ cuipiam accepta referenda. Hoc itaque casu eiusmodi indicabitur purgatio, quæ

5. de fuop. Cap. 20.

morbi magnitudini reſpondeat, de qua etiam intelligendus cum Hippocrate Galenus. Non enim ſimplicitèr purgationem dicit vlceribus prodeſſe, ſed addit per aluum propriè quippe purgans pharmacum, aut deiectorium eſſe aut vomitorium paulò ante ex Galeno didicimus. Circa vltimam opinionem annotandum, illud quod in intentione noſtra primũ eſt, in opere eſſe poſtremum. Nihil in rei natura humana mutat intentio, ab illa indicatio profluit, non ab iſta; illi per ſe immediatè ſatisfacit quod indicatur, iſti mediatè & cõſecutione. Exempli loco idipſum ſit quod in controuerſiam cadit, primum Medici intentum eſt, purum defœcatumque ſanguinem reddere, conſequi iſtud nequit, niſi ſeparatò impuro cuius contagione ſanguis inficitur; hinc prima in executione proximaque indicatio impuri ſegregandi, cui purgatio ſubuenit. Proximè ergô, primò, & per ſe ab impuro indicatur purgatio, poſt impuri ſemotionem purior ex conſequenti ſuperſtes ſuccus relinquitur.

Breuius dico purgationem vi propria, per ſe, immediatè, & primò circà impurum occupari, eſt enim vacuatio non puri, ſed impuri; Quamobrem ad purum, in quod vim ſuam non exerit per ſe non dirigitur, ſed impuri depulſionẽ ſequitur huius defœcatio.

Hactenùs vltrò citròque propoſita in vnũ veluti faſciculũ congerentes, præfatas omnes ſentẽtias, ſub huiuſmodi diſtinctione recipi-

mus. Primùm à quantitate indicari purgationem volumus, sed materialiter. Secundò à cacochymia formaliter. Tertiò à magno morbo, vt magni auxilij locum tenet. Quarto & postremò ab eo quod est inculpatum, sed impropriè & consecutiuè. Restat nunc altera de purgationis indicante quæstio.

An à virtute indicetur purgatio.

QVÆSTIO SEXTA.

ITa sentire videtur Hippocrates in hoc Aphorismo, dum tolerantiæ mentionē facit: duo quippe sunt in omni curatione scopi, ad quos Medica omnis refertur actio: Alter vt iuues, alter vt quantùm fieri potest virtutem integram tueâre. Iuuabis, si quæ præter naturam reperiuntur in corpore eximas, de qua intentione mox copiosè disputatū, sumpta ex Aphorismi verbis occasione. Restat ergô altera de virtute, nobis præfata tolerātiæ voce insinuata, minime si nostrum sequemur ducem, aspernanda, prima ista est & potissima, à qua tota ferè pendet expectatio salutis. Quamobrem nusquàm, vti de purgatione sermo est, à diuino sene prætermissa. Sic inferiùs deiectiones ex statu virium metitur: neque veretur euacuationes ad Lypothymiam vsque ducere, sed sub consideratio-

1. Aphorismus. 23.

ne virtutis. In eãdem ſententiam conſpiraſſe Galenum, probant eius in eoſdem textus cõmentaria. Quanquam (ingenue fateor) non tam aperte tulit is ſuam de virtute ſententiam in purgationis, quam in phlebotomiæ indicatione ſtatuenda. Sed neque iſtud fortaſſe opus fuit, cum vnum ex altero non obſcure deducatur. Manifeſta namque hæc & neceſſaria videtur conſeqnentia: à virtute indicatur ſanguinis miſſio, ergô & purgatio. Antecedens in Galeni doctrina negati non poteſt, vt oſtendemus in ſequenti Aphoriſmo: conſequentiam probatione vix indigere nonnulli fortè æſtimarint. Non enim minorem, ſi non aliquantò maiorem, ad purgationem quam ad phletotomiam virtutem requiri autumant. Quæ ergô ratio potior vt hæc quam illa potiùs à virtute indicetur? An quia probus & naturæ familiaris ſuccus venæ ſectione educitur? An quia viuifici caloris fons & theſaurus vna cum ſanguine exhauritur facta exhalatione ſpirituum, qui ab arterijs in venas commeant? An quia magna ſuccedit in vaſis omnibus ex agitatione perturbatio, venæ ſectio à facultate indicatur? Leuia hæc omnia, ſi cum purgatione comparentur. Euacuatur ſecta vena humor laudabilis. Quid incommodi? nempè quia ſua quantitate corpus opprimit & natiuum calorem ſuffocat, qui veluti ſarcina depoſita, vt ignis ſubtractis lignis in id quod reliquum eſt ſuas vires potentiùs exerit. Exoluũtur ſpiritus. quid peri-

culi in tutiſſimo præſidio cuius impetũ licet pro arbitrio compeſcere? magna fit ex agitatione perturbatio: imò plerũmque ſic exigua, vt ne molliores quidem à ſolitis exercitijs impediat. Denique excitantur ac veluti exurgunt miſſione ſanguinis facultates omnes, non deprimuntur. Ceſſat moleſtus ille grauitatis cum tenſione ſenſus, quo velut oppreſſa tenebatur virtus animalis, redit ad ſua munia vis naturalis, rurſum incipiente nutriri corpore, vt inquit Hippocrates, fit vitalis alacrior, liberiore quàm anteà diffla̧tu. Contraria in purgatione omnia: vellicantur humorum, aut medicamenti acrimonia ſentientes partes; ſæuiunt toto inferiore ventre tormina, quæ nec valido quidem corporis animique robore præditus patienter ferat; violenta toto corpore iactatio magno plerũque virtutum omnium diſpendio. Tetris vaporibus appetuntur, cerebrum, cor hepar, & cœteræ quotquot his famulantur partes: hinc languidus membrorum motus, diſtentiones, atque importuna laſſitudo, præterquàm quod nonnunquam irritatur febris, deſurgendi frequentia: fit reſpiratio difficilis; pulſus imbecillior, concitatior, interruptus ac inæqualis: vrgent cordis morſus, palpitatio, eclyſis, ſyncope. Infeſtãt vomitus creber, nauſea ferè continua, inappetentia, ciborumque horror, ſitis implacabilis. Huic calore ingenti efferueſcunt præcordia, vritur corpus vniuerſum: illi veluti gelu concreſcit, riget

Galen. 8. Methodi.

ac perhorrescit, gelidus perdura currit ossa tremor ac sudor, vt ait poëta. Quid plura? Grauissima plerùmque vel à leui pharmaco afflictarum virtutum omnium symptomata cadunt vel in constantem virum. Hoc ipso grauiora, quòd ferinos humorum aut cathartici impetus cohibere minimè licet. vt illud taceam indiuiduales quasdam conditiones reperiri, ac nescio quas naturales antipathias, quas nulla coniectura assequâre, nec nisi cum pænitenda virtutis læsione, addo etiam cum ægrotantis interitu possis experiri. Sic iniectione euacuatis multos ex eadem familia perijsse literis compertum est. Alij sola deuorata cassia interierunt. Plerique alijs eiusmodi quantumuis blandis catharticis interempti. Nequis verò maleficam solùm, medicamenti aut humoris qualitatem in indicium vocet & neget spirituum vnà cùm prauis humoribus effluxu, vires exolui, audiat diuini senis oraculum qui confertas aquæ aut puris in hydropicis, aut Empijcis vacuationes tanquàm mortiferas damnauit, ob insignem, si Galeni commento credimus, spirituum profusionem. His alijsque id genus argumenta duo concluduntur: Primum est purgationem à virtute indicari. Alterũ potiorem esse virtutis cõsiderationem in purgatione, quàm in venæ sectione, siue quod in idem recedit, maiorem ad purgationem, quam ad venæ sectionem vim desiderari. Quorum vtrumque separatim inuestigandum est.

6. Aphoris. 27.

uestigandum est.

Quod ad primum spectat omnem scrupulum amouisse videbimur si ritè illud declaremus, quod initio quæstionis pro fundamento est positum, omnem Medicam actionem ad duo capita pertinere. Scilicet vt quod prę-ter naturam est amoueatur, quod secundum naturam conseruetur. Amotio fit contrarijs: conseruatio similibus. Contraria amborum intentio, hîc similium, illîc contrariorum, quorum vtrumque cadere in vnum & idem numero minimè per sé potest: vnica quippe rei natura est, à qua indicatio promitur: vnica inquam natura sibique minimè contraria. Possunt quidem ab vno plura indicari non tamen vt vno, sed diuerso respectu, neque sub diuerso genere. (putà sub genere similiũ & contrariorum) simul; Aliâs fatendum esset idem esse & non esse, tolli & conseruari. Itaque si ab humoris qualitate petitur purgationis indicatio, eadem sumi à virtute non debet, cum illa ad sublationem per se tendat, hæc ad conseruationem.

Dices potissimam medentis intentionem sanitatem spectare, & vitæ custodiam, quæ in virtutis tutela tota sita est & hæc omnium actionum medicarum finis. Ex quo sequi videtur primam principemque purgationis indicationem ad sanitatem, ad vitam, ad virtutem referri.

Respondeo ex agentis intentione rerum ordinem non euerti. Prima fit in nostra mente san-

opere vltima. E contrario postrema est in inuentione morbificæ causæ depulsio, sed in effectu prima, ad quam sequitur integra sanitas, Sanitatem itaque secundariò in integrum restituit purgatio, morbi causam per se primariò aggreditur & depellit; Nam igitur per se primariò ab eo quod secundũ naturam indicari potest.

Neque in contrariũ quicquã probant quæ fuère producta, summa illa duo indicationum capita, morbi scilicet depulsio, & virtutis tuitio, licet in agẽtis animo simul cõsentiãt & conspirẽt licet se se mutuò in operè cõsequantur, non qui morbum tollit à quo robori vis infertur, vim ex consequenti reficit, & instaurat; pari modo qui virtutem reficit & refouet, dum ipsum aduersus morbum validiorem efficit, morbi pariter conatus & potentiam infringit: non per se tamen, sed ex consequenti & accidenti. Per se sub eadem indicatione nihil simul & morbum adimit, & virtutem tuetur, quin potiùs ex mutuo remedij cùm morbis conflictu, redũdat aliqua in virtutem iactura: vicissimque dum robur augere adiectione alimoniæ studemus, morbum plerumque adaugemus. An ergô id per se indicabit virtus à quo percellitur, cuiusmodi est purgatio, cùm ex se sui tutelam perpetuò exposcat? Quorsum ergô (inquies) in purgatione imperanda perpetua fit virtutis mentio? Quidni hìc & alibi ab Hippocrate silentio virtus obtecta? Quia

ſcilicet in tanto exolutionis metu, virtutis ſtatus ad amuſſim ſpectandus, vt actionis violentiam temperemus; quæ cum ſine aliqua illius offenſione obiri nequeat, cauendum id ſaltem ne aut grauius lædatur, aut pœnitus deſtruatur; Hanc indicationem contra indicationem ſignificantiùs appellaris, ac meliùs dixeris purgationem à virtute permitti quàm indicari, neque eſt quod aliud ex Hippocrate hac in parte inferri arbitremur: hæc circa primum. *Ad ſecundum quod attinet*, probatum fuit potiorem eſſe virtutis indicationem in purgatione quàm in venæ ſectione. Probationis à triplici fonte ſunt erutæ rationes. A mouente, à mobili, à motu ipſo. Quæ ſingula in purgatione deprehenduntur violenta, in venæ ſectione facilia, aut mediocria. Mouens quidem ſiue purgans ſapore, odoreque, imò & colore, & conſiſtentia ingratum, humanæ naturæ inimicum, inter hãc & veneficam, medium; humorem impetu, ciet, expultricem ſtimulat, proritat, cogit. Mobile ſua ſpecie infeſtum, quaſcunque permeat partes grauiter offendit, tetro halitu inficit, quantitate aggrauat, qualitate ferit furitque in quæcunque obuia. Ab vtroque vehemens illa agitatio, quæ Medicam fallit induſtriam, & ægrotos in ſummum diſcrimen vocat, quam ne valentes quidem ſine moleſtia, ſine querela, ſine timore perferunt grauioris mali. E cõtrario ſanguis tùm leui naturæ impulſu, tum motu proprio, quâ datâ

portâ liberè profluit. Quocunque tandem conuertas oculos nulla in effluxu querimonia: si quis lypothymiæ metus aut syncopes digiti applicatione cohibetur: nulla facultatũ offensio si animum, vel si oculum adhibeas.

Efficiant hæ rationes aliquid sed ab eo diuersum quod adstruunt, non enim necessariò colligunt maiorem ad purgationem, quam ad apertionem venæ virtutem exposci, sed istud tantùm, plura in purgatione, quàm in sectione venæ concurrere, quæ virtuti efficiant, quanquam non potiora, ideoque à pluribus in illa pertimescendum & cauendum, itemque faciliùs quam in ista & grauiùs posse à medentibus aberrari. Verùm si omni errore sublato, exteriusque accidentibus præuisis ambo inter se, in se se spectata conferantur, nemo est quin manibus pedibusque in hanc sententiam descendat, & lubens volensque fateatur necessariò, & per se vim maiorem ad sanguinis missionem quàm ad purgationem, requiri: Id quod vel hoc argumento conuincitur in aduersam partem à qua iactatum est hunc in modum retorto. Si in puris, & aquæ conferta effusione dissoluta virtute mors subsequitur, propter copiosam spirituum profusionem: Quantò vberiùs in effusione sanguinis effundi spiritus existimandum est, quibus tota massa turgescit? quantò magis ex spirituum profusione, exhausto simul eorundem pabulo, languescere virtutem & collabi? Qua de causa nec

ita frequenter, nec ita tutò & liberè omni ætate, sexu, tempore & natura venæ sectio, vt purgatio decernitur.

Recreatur certè imminuitione sanguinis virtus, sibi leuior hoc ipso videtur æger, nẽpè quia detractum quod superfluit: fertur exiguo incommodo id præsidium, quanquàm non exigua spirituũ iactura, dum quod reliquum est in corpore, sufficit viribus sustentandis.

Idem in purgatione accidit, si probè vtare. Si quæ purgationem comitantur, aut subsequuntur molestiora symptomata non per se fit & necessariò, sed ex accidenti: Imò verò si talia purgentur qualia purgari oportet confert & leniter ferunt. Sed neque in purgatione per se sic grauiter lacessitur virtus ac in venæ sectione; succedit nãque purgatio leni admodũ ac exiguo succi alimentitij, & vitalis caloris dispendio, quorum vtroque virtutis robur fulcitur atque continetur: vtrumque venæ sectio per se & liberalitèr effundit. Et hæc de purgationis indicatione satis, nunc quoniam suum est singulis Hippocratis verbis pondus & momentum, quid ista clausula (*confert & leniter ferunt*) salis habeat & doctrinæ perscrutemur.

An institutum sit Hippocrati ex conferentia & tolerantia ritè instituta purgationis indicium depromere.

QVÆSTIO SEPTIMA.

NOnnulli hanc sententiam sic interpretantur: summum medicinæ parentem cum septem hisce libris præcepta quædam morbis dignoscendis, cæcis rerum euentibus præsciendis, vitæ rationi debitè præscribendæ, medicationi demùm rectè imperandæ necessaria esset traditurus, primo statim hoc Aphorismo communem quandam regulam insinuasse, ex qua tum de naturalibus actionibus, cùm de artificialibus indicium indubitatè promeretur; conferentiam scilicet & tolerantiam, aut his contraria. Quæcunque enim cum conferentia & tolerantia successerint, ex probo euentu, probè fuisse tentata inferemus, contrarij euentus contraria erunt consequentia. Detur verbi gratia epoto cathartico, aut aperta vena ægrotum recreatis viribus aut ne minimum quidem offensis, mitigatis magna ex parte symptomatis, & morbo sibi se ipso leuiorem videri, nunquid ex huiusmodi successu aperto indicio colliges id genus præsidia opportunè ad-

ministrata? Idem planè de victu cœterisque auxiliorum generibus statuendum. Hanc porrhò communem legem in hoc Aphorismo sectatum Hippocratem volunt, neque amplius quicquam docuisse quàm ex εὐφορία aut δυσφορία colligendum pro bene, aut secùs fuerit instituta purgatio: Testem etiam citant Hippocratem qui morbos à satietate procreari, ex sanatione colligit. Vnde postmodum orta familiaris illa trita omnium sermone & praxi de morbo & causis à iuuantibus & nocentibus dijudicandi consuetudo, Iis enim quæ ex arte & maturo consilio fuere excogitata, ipsum ab euentu rei testimonium pro corollario accedit talem fuisse in præsentia summi doctoris mentem suo commentario confirmat summus eius interpres, non hoc quidem Aphorismo, sed secundo quartæ sectionis, vbi præmissis singulorum humorum notis, ex quarum cognitione qualis in corpore exuberet, & qualis purgari debeat internoscitur, subijcit: atque ex his omnibus exhibendi medicamenti sumuntur indicationes quod peccantis humoris expurgādi vim habeat. Media verò medicatione altera existit indicatio quæ vel cōiecturę veritati adstipuletur, vel errorem coarguat. Si quidem ægrotantis εὐφορία, id est ferendæ purgationis facilitas, rectè nos peccantem humorem coniecisse testabitur: δυσφορία, verò id est in ferendo difficultas, perperam indicasse. Nam si infestantes humores va-

2. Aphoris. 17.

cuentur, facilè ferent ægrotantes, si verò aliud quiddam, necessarium omninò est grauiter molestèque ferre. Hæc Galenus, quæ vera quidem meo iudicio sunt, sed ab Hippocratis intento quibusdam videri possunt aliena: vt enim concedatur ex conferentia & tolerantia de actis ferri non obscurè sententiam, negandum omninò videtur Aphoristicæ doctrinæ propositum fuisse id annotare, quod cuiuis è plebecula notũ, ita dictãte natura; quod lippis & tonsoribus peruulgatum, ita experientia confirmante. Et quæso quotusquisque ille est aut tam rationis impotens, aut tanta ignorantiæ caligine occæcatus, qui si intelligat deiecta aluo constare vires, dolores compositos, morbum profligatum, non illicò cónijciat & concludat illum humorem expurgatum, cui prima mali labes erat accepta referenda? Istud quotidie solo naturæ ductu audias dictitantes rusticos. Quid est ergô quod in eo proponendo literis abutatur, & otio literarij otij auarissimus Hippocrates? At verô constare ex varijs humoribus hominem, variè à varijs affici, varijs indigere propomatis quæ humorum varietati respondeant, nesciunt non pauci: Quamobrem tum his, tum empiricis qui eodem collyrio persanant omnes ad fumos, vel ad aquas deducunt (vt est in prouerbio) imò potius dogmaticæ disciplinæ candidatis scriptus hic Aphorismus, vt intelligerent non sine delectu catharticis vtendum, alijs bilem, alijs

pituitam, peculiaribus quemlibet humorem machinis expurgari suo quemque trudi cuneo: diligenti proinde opera in cuiusque cognitionem incumbendum, ne vnum alterius loco aggrediamur, eumque expellamus quem præstaret retineri, vnde pro conferentia, detrimentum, pro euphoria, iactura virium cõsequitur atque exolutio. Non est itaque ex Aphorismi instituto deducenda illatio à tolerantia & conferentia ad purgationis modum, siue ex tolerantia & conferentia de purgatione peracta iudicium ferri non debet; contrario potius modo procedendum, nempe, ita cautè in purgatione agendum, sic accuratè peccantem humorem discernendum vt nullus contingat error, quo ægrotantis virtus deijciatur, & morbus augeatur. Germanam esse hanc interpretationem palam indicat ipse verborũ contextus, qui sic habet: quemadmodum cum solo naturæ motu purgantur ea quæ purgari conuenit, cedit in vtilitatem afflicti; neque collabuntur vires, sin ea retineantur, quæ purgari expedit & purgentur retinenda, nocet, & vires ferit, ita quoque in artificiali curatione, quæ naturæ est æmula, prospero aut infœlici exitu Medicus vacuationem tentabit, proüt gnauum se & diligentem præbuerit in dignoscendo expellendoque humore qui expelli debet, aut incuriam & ignauum. Quam ob causam addita Colophonis loci hæc clausula, *inspicere itaque oportet & regionem, & tempus, &*

ætatem & morbos. Quibus in redundantis humoris cognitionẽ quaſi manu ducimur: quorſum enim illa collectiua particula οὖν, niſi vt ſignificetur hanc ex præcedenti oratione concluſionem elici? quæ certè indirectè procedit iuxta priorem interpretationem, inepta namque hæc concluſio ſi id vnum ſpectet Hippocrates, vt ex conferentia & tolerantia de inita purgatione ſententiam feramus, & quæſo quænam iſta inferendi ratio cùm confert purgatio & leniter fertur, iudicio eſt redundantem humorem fuiſſe expurgatum, itaque videndum eſt qualis pro regionis, temporis, ætatis & morbi diuerſitate humor ſit expurgandus, nunquid concludendũ potiùs foret? Itaque videndum an contulerit purgatio, & an facilè eam virtus tolerarit.

Quid quod ad dirigendas actiones ne tantillum quidem confert prior expectatio? rem enim à poſteriore colligit. At quanto magis artem ſapit, & quantô vtiliùs quomodo te ab errore vindices præuidiſſe, quàm ſcire cùm erraueris quâ viâ deprehendas errorem?

Harum certè opinionum neutra me iudice reijcienda eſt, validis vtraque nititur & veris argumentis, quorum effugiemus aciem, ſi quæ hinc inde afferentur in vnam veluti vrnulam congeramus. Galenum habebimus non tantum fautorem, ſed auctorem & ducem: Dum ait non modò proponi ſcopum vniuerſalem euacuationum omnium, qui eſt humor ſuperabundans, atque eiuſdem diſcernendi *4. Aphor. Comm. 2.*

ſigna declarari, verùm etiam notas proferri quæ à bonis vacuationibus nequeunt ſegregari, atque his contrarias, quarum fiducia rectè nos, aut ſecus vacuationem aggredi fiamus certiores. Fallunt enim in agendo coniecturæ etiam doctiſſimos ac prudentiſſimos quoſque, ſimilitudo rerũ Medicis experiẽtiſſimis imponit, vt rarò de futuris antè certò ſtatuant quam dubia inuenta, certo euentu cõfirmentur. Equidẽ valet vtrinque argumentum à cauſa ad effectum, ab effectu ad cauſam, alterum ex altero vænamur, alterum ex altero metimur: Mali corui malum ouum (vt eſt in prouerbio) mutuoque ex coruo ouum, inferimus ex ouo coruum. Legitima purgatio conferentiæ & tolerantiæ certam expectationem inijcit, quo modo cauſæ certæ, effectus certi: Ambo hæc viciſſim ſuæ cauſæ bonitatem arguunt cauſam à qua oriũtur produnt, nec non artificis in eius inuentione fortunam aut induſtriam.

Quem verò vſum conferet ex conferentia aut detrimento, ex facilitate aut difficultate tolerantiæ ducta cognitio? An vires inſtaurabit inquies, ſi exolutæ ſint ac proſtratæ? An reuocabit animam cum euanuerit? An humorem reponet qui cohiberi debuerat, cum effluxerit.

4. Aphoriſmus. 2. Quæ contrario modo prodeunt ſiſtere iubet Hippocrates. Nos eius præceptum ſequuti, media (vt loquitur Galenus) medicatione, inutili, aut perniciosa vacuatione per-

ſpecta, ipſam pro modulo comprimemus, ne fruſtrà concutiantur, vires, & morbus inualeſcat recreato poſtmodum quantum ſatis eſt robore, ſi purgatione opus erit humorem infeſtum adoriemur, ac tuto ab imminente periculo eripiemus ægrotantem. Neque ſi quietiore ægro, ſedatis, vt fit nonnunquam accidentibus, relinquatur nihilominùs virtus elanguida, falſa ſalutis ſpecies, nos vnà cum rudioribus in ridiculam ſpem eriget valetudinis firmioris. Ecce quanti iſtud ſit ad therapiam & prognoſin momenti. Hac via in diſcernendis criſibus proceſſit Galenus, non vni dumtaxat excretorum, qualitati intentus, ſed iſtorum prætereà ſtudioſus contemplator. ſi enim (inquit) dum ægrotus indicatur febris ſoluatur, & euaneſcant ſymptomata (ecce conferentiam) ſi meliùs fuerit coloratus pro ratione vacuationis, cum melioribus pulſibus, & ad ſurgendum robuſtior (ecce tolerantiam) hæc optima criſis eſt (ecce iudicium). iam ſequitur reſtrictio. Si verò ex his deſit aliquid tantum ab optima deficit quanta vis eſt eius quod deficit. Hæc igitur ambo inter ſe exactè ad certam dignotionem prænotionemque conferenda, non vni ſtandum cōiecturæ quæ in morbificæ cauſæ dignotione verſatur imò potiùs Galeni exēplo ex conferentia & tolerantia de vacuatione iudicandum; Criſis enim nomine ſpontaneam vacuationem intelligimus quæ tum optima cenſetur, cùm talia vacuantur, qualia vacuari

3. de Criſibus. Cap. 3.

oportet, non tamen à vacuatorum qualitate ad criſeos diſtinctionem Galenus procedit, ſed à conferentia & tolerantia. Quòd verò obijcitur cum priore interpretatione poſtremam Aphoriſmi clauſulam minimè cohærere. Reſpondeo non ideo ſequi Hippocratem nobis hoc Aphoriſmo præbere anſam noluiſſe de cauſa ex effectu iudicandi: E contrà potiùs id tanquam per ſe notum legentis iudicio reliquiſſe; Sed conſultiùs eſt arbitratus in inueſtigatione cauſæ occupari, quod ipſi alterum erat propoſitum iuxta ſecundam interpretationem. Cum enim humor in intimioribus partibus frequenter deliteſcat, neque vllis ſe ſe prodat euidentibus proprijſque notis atque vniuocis, artificioſa inuentione in apertum eſt proferendus. Proferetur indicijs hac ipſa clauſula deſcriptis habita nimirum regione, temporis, ætatis morbique ratione. Hæc euidens Hippocratis doctrina, quam ſuo commentario optimè expreſſit Fuchſius, dum notas proponi aſſerit quibus humores qui retroceſſerunt agnoſcamus. At fruſtra aliam rationem comminiſcitur nempè vt ſciamus quandò vacuãdum ſit aut minùs; Nam præterquam quod Galenicæ commentationi repugnat, quæ ſoli humorum differentiæ diſcernendæ clauſulam iſtam accommodat: Ipſum Hippocratem in docendo rudem efficit & nugacem: ſibi ipſi quod ridiculum eſt, contradicit, fateris enim (ô Fuchſi) ſtatim initio commentationis tuæ

de qualitate sola sermonem esse Hippocrati, testem profers Galenum: Quorsum igitur de tempore? Quid quod eundem sermonē mox, tui immemor & Galeni, ad quantitatē traducis? Tua enim hæc sunt ante allegatis immediatè subiecta. si quidem in frigidis tum regionibus, tum temporibus, minimè vacuare oportet, quod tum corpus anteà frigidum magis refrigeretur: Quare si omnino vacuandum erit parcè idipsum faciamus quidem. Hæc Fuchsius. Verum si cum antecedentibus vinculo indissolubili nectentur cōsequentia, in sola qualitate immorabimur cum Hippocrate, commentatorem optimū Galenum sectati, neque ad tempus, aut quantitatem, orationem transferemus, quibus in posterum suus dabitur locus. Occasionem Fuchsio mouit fortassis hæc particula (in quibus) quæ ad tempus potiùs videtur, quam ad qualitatem pertinere. Sed non temporum dumtaxat facit mentionem Hippocrates, addit ætates, regiones & morbos; imò post morbos subijcit (in quibus) jtavt hæc distinctio si ad proximius referatur, sit cum morbis copulanda. Neque si ad tempora, referretur valeret interpretatio Fuchsij: debet enim subsequentium sensus ex præfatis hic elici. Si ad euacuationem tutò & fœliciter moliendam non quiuis humor promiscuè lacessendus, sed is solum qui molestus est, nec in quibuslibet ætatibus, temporibus, & morbis humores ijdem cumulantur, animaduertendum seriò

quibus in ætatibus quibus anni tempeſtatib⁹, quibuſue locis & affectibus doceat hos potiùs quàm illos è latentibus vijs excludere: Quandoquidem tum ætates, tum anni tempora, tum regiones & morbi, redundantium humorum notas exhibent. Quare hæc ad qualitatem tanquam ſigna referuntur: De quibus reliquum eſt vt particulatim, quò diſtinctiùs, & maiore cum vtilitate, pertractemus.

Quibus indicijs peccantis humoris ſpecies diſcernatur.

QVÆSTIO OCTAVA.

IN enumerandis hiſce indicijs mancũ fuiſſe Hippocratem nemini mirum videri debet, non enim exactè, & ad amuſſim ſingula proſequi ſinit inſtituti breuitas, verùm ſatis ſuperque ipſi fuit præcipua quædam capita in memoriam reuocare, ſuoque exẽplo, ad reliqua perquirenda viam ſtudioſis præmunire. In hoc nos verſemur modo, quod vt minori negotio aſſequamur ſciendum eſt humorũ alios per ſumma corporis ſparſos eſſe alios in intimis viſceribus ſubſidere. Qui externa occupant cadunt in iudicium ſenſus, nullo labore dıſcernuntur, ſola dignoſcuntur ἀῦροψία, ſuo quiſque calore Epidermidẽ inficit, vnde peruulgatum illud Hippocratis

similis efflorescit color humoribus. Hoc argumento causam Icteri affectricem, tumorumque externorum differentias communiter deprehendimus, & quantum ad perfectam atque absolutam cognitionem satis esse potest, à se inuicem distinguimus, quanquã alias quoque coniecturas non aspernamur. At cum in interioribus delitescunt, artificiosa (quod solis Medicis peculiare est) coniectura comprehendi debent, & obscurioribus quibusdam indicijs internosci. Et hæc quidem facilioris doctrinæ gratia ad certa capita reuocabimus, ad ea scilicet quibus in temperamenti notitiam deuenitur. Etenim cum pro varia corporis commoderatione varij cumulentur humores, credibile est eorum nos beneficio in humorum cognitionẽ deduci, quibus medijs temperamenti dignotionem assequimur. Quanquam illud non ignorandum humoris propagationem, ex vnius duntaxat partis vitio frequenter emanare: Quam ob causam non mediocriter reprehendẽdi sunt ij qui desumpto ab humoribus nomine temperamentis appellationem tribuunt, hunc biliosi, illum melancholici, alium pituitosi aut sanguinei temperamenti constituentes; quasi verò temperamento corporis vniuersi humorum prouentus quadam necessitatis lege respondeat. Ne quis igitur hac in parte contingat error, sedulò perpendendum erit nam in eandem partes omnes temperiem conspirent, principum quam maximè habita ratio-

Libro. de humor. 4. Aphor. comm. 2. lib. de tumor. propter naturam 13 & 14 Methodo. 2. ad Glamon. & alibi.

ne, atque earum etiam quæ communem toto corpori obeunt actionem. Quoniam verò temperamentum in duplici constituitur differentia, vt alterum sit naturale, quod ab ipso vitæ primordio nobis inditum est & congenitum: Alterum adscititium quod aut annorum decursu, aut longa consuetudine contractum atque comparatum à priore defecit; idcirco non modò temperamenti ingeniti notæ in præsentia nobis erunt peruestigandæ: sed præterea perquirenda ea à quibus temperatura mutari consueuit, hæc enim ipsa generandorum permutandorumque humorum, ac temperamenti parem aut sanè superiorem facultatem sunt sortita.

Temperamenti notas tum ex habitu & cōstitutione corporis, tum ex qualitatibus primis (quas tactiles vocant) tum ex his fluentibus secundis vt colore, mollitie, duritie &c. tum ex pilorum varietate, ex sexu, pulsibus, conformatione partium, actionibus earundem & passionibus naturalibus, tum ex animi corporisque affectibus, denique ex iuuantibus & nocentibus mutuamur. Has ergô particulatim singulis perquirendis humoribus non incōmodè applicabimus, quanquam non eandem omninò vim vtrobique possident singulæ. Ne quis verò quidpiam effictum à nobis sibi persuadere possit, quæcunque in medium proferemus Hippocratis & Galeni auctoritate fulciemus, aut sanè euidenti ratione.

Prima quidem varietatis humorũ & causa, & nota, est ipsa temperamenti varietas id quod expressè testatur diuinus senex eo libello quem de humoribus inscripsit: cuius auctoritatem sequutus eius discipulus atque interpres fidelissimus, ac cœterorum doctor grauissimus calidis & siccis hominum temperamentis flauæ bilis plurimum generari pronunciauit. Quam in sententiam & sæpius & multis de humorum differentijs est philosophatus. *2. de facul. natur. Cap. 8.*

Quod ad habitum corporis attinet, crassos & obesos, frigidos atque pituitosos esse: graciles contra vt plurimum biliosos scriptis idem Galenus consignauit. *2. de tẽper. C. 9. 4. Aphoris. Comm. 2. Gal. lib. de plenit. cap. 11.*

Porrò cum in cacochimia proprij sint pulsus humorum naturæ, consentaneum est frigoris ratione in pituitosis prauos, tardos & raros esse & propter humiditatem molles. In biliosis, caloris & siccitatis causa contrarios.

Qualitates quoque tactui subiectæ humoris speciem indicant in corpore redundantis (nisi ab externa aliqua occasione oriantur) licet enim vniuersum corpus, quandiu vita fruitur animal calidum, ferè semper tactui appareat, & humores ipsi tales se se nostris sensibus offerant, diuersi tamen sunt in diuersis, gradus & effectus caloris: sic à bile calor acris, adauctæ siccitatis gratia quæ caloris est lima, à sanguine mitis & benignus, propter humiditatem in corpore excitatur.

Cadunt etiam in ſenſus externos ſecundæ humorũ qualitates:ſic pituitã ſalſam aut dulcẽ bilem amaram melancholiam acidam cœteraſque humorum differentias arguunt peculiares cuiuſque ſapores: ſic proprio quiſque colore diſcernitur (vt antea docuimus). Etſi verô tum ſolum ex colore fiat iudiciũ, cum aut e corpore effluit, qui intro continetur ſuccus aut detruditur in externas partes, nihilominus tamen in diiudicando interiorum ſtatu negligi non debet externus color, talis enim vt plurimum per cutaneas partes humor diſpertitur, qualis in imo corpore continetur & exuberat. Sic flauos crebrò videmus eos quorum in flauæ bilis generationem eſt natura procliuis. Croceos, citrinos, aut pallidos, qui croceæ, citrinæ, aut pallidæ plurimum coaceruant: nigros qui atræ: Albos qui pituitæ, rubicundos qui ſanguinis. A mollitie quoque ac duritie (quæ ad habitum referuntur vulgô) temperamenti notas mutuatus eſt Galenus in arte parua, cuius imitatione de humoribus nobis diſcurrere quadam proportione licet.

Non omninò etiam fallax eſt deſumpta ex pilis cõiectura, eandẽ enim cum ſuperioribus rationem habent. Et quidem conſentaneum eſt, ipſos eorum humorum colorem præ ſe ferre ex quibus efferuntur. Albi itaque ex pituita naſcuntur. Flaui ex flaua bile (niſi fortè à retorrido calore fulginoſus vapor deuratur, quo caſu nigredinem contrahunt pili)

2. de temper. cap. 10.

& quoniam à bile copiosa exhalat fuligo hirsuti sunt plerumque biliosi: glabri è contrario pituitosi: At hi propter abundantiam humiditatis minùs, illi propter eiusdem penuriam & defectum magis caluescunt.

De iuuantibus & nocentibus disceptatum iam anteà est, quorum vim luculenter exprimit Galenus multis in locis, inter cœtera illud ad propositum facit cum inquit contractos ex bile morbos calefacientibus exasperari, sed à frigidis remitti. De animi corporisque affectibus dicemus posteà. Conformationis partium meminit Galenus dum pituitosos vasis angustis præditos refert propter sanguinis & spirituum paucitatem. Sanguineos contra tensis & turgentibus propter vbertatem. Actiones contemplatus Hippocrates, Mentis acumen & solertiam in biliosi humoris prouentum retulit, eiusdem firmitatē & constantiam. Melancholiæ tribuit, stupiditatem, simplicitatemque sanguini: Prudentiam verò optimæ temperaturæ tulit acceptam. In quibus (inquit) quod ignis siccissimum est & aquæ humidissimum probam in corpore temperiem sortiuntur prudentissima. Cuius sententiam dissimilibus verbis, at non ab simili ratione definit Plato his verbis: cerebrum molle homines ad percipiendum quidem promptos reddit, sed parum memores: durum contrà, memores, sed parum ad percipiendū expeditos. Densum obscura rerum idola confusasque imagines re-

10. de compos. Med. secundum loca cap. 2.

2. Aphoris. comm. 44. Gal. lib. de multitud.

lib. de nat. hum.

Libro de diata.

In Theateto.

tinet, quæ omnia in humores æquè ac in temperiem referre licet. Quo ad passiones attinet, somnum, qui communis sensus passio est, in frigidi humoris prouentum vt in causam reijcit Galenus, eumque in frigidæ & humidæ cerebri intemperaturæ signis recenset. At vigilias non modò ex calida intemperie, sed etiam ex biliosi humoris redundantia profici affirmat.

Arlens. de somno & vigilia. Cap. 2. In arte parua C. 12. 2. Aphor. Comm. 3.

Sexus nil opus est meminisse, norunt omnes fœminas longè in pituitam proniores esse quam viros, sunt enim maxima ex parte frigidiores.

2. de temp. C. 9.

Iam modò ad ea quæ temperamentum immutare solent, quoniam in procreandis humoribus efficaciam nacta sunt non leuem progrediatur oratio. Quæ quoniam varij sunt generis memoriæ gratia in tres classes partiri lubet, in res scilicet naturales, non naturales & præter naturã. Inter naturales illa est ab interiore & necessaria semperque assistẽte interitus causa petita, cuius necessitate temperamenta decursu vitæ suopte motu variantur, ætatem intelligo, de qua inter cœtera scriptum illud à Galeno cõperimus. Tria sunt in nostro corpore, quæ ipsum ineuitabili quadã necessitate destruunt, siccitas ex ætate: assiduus substantiæ defluxus: & excrementorum prouentus. Ab hac igitur vti temperies corporis, sic & humorum generatio diuersa promanat. Ætate nimirum senili excrementitia superfluit pituita: inclinante, bilis atra: flori-

1. de sanit. tuenda. 3. Prognost 6. 3. Epidem.

da & iuuenili, flaua: puerili totaque adoleſcentia, ſanguis. Et horum quidem omnium diuerſitatis ratio in ipſius temperamenti varietatē reijci debet. Poſtremi quidē cum natiuo calore abundent, familiarē naturæ ſuccum plurimum accumulant. His proximi iuuenes, calore ſunt referti copioſo, ſed acri & quodammodò igneo propter adiunctam ſiccitatem, huic bilis oritur. Huic ætati quæ ſuccedit, plurimam bilem retorridam excipit. Senium denique ex innati calidi inopia frigidos crudoſque humores abundè congerit. Cœtera rebus naturalib⁹ annexa quæ temperamenti commutandi vim habènt, ſub non naturalibus comprehendemus. Non naturales ergô hæ à Galeno numerantur, Aer; cibus: potus: ſomnus, vigilia: motus, quies, excretio, retentio animi Pathemata; de quibus ſigillatim breuibus diſſerendum.

3. Aphoriſ. Comm. 3. & 29.

In arte parua. Cap. 83.

Sub Aëre continentur tempeſtas anni, regio, cœli conſtitutio, varia diei noctiſque tempora, ſuperiorum corporum latentes influxus, à quibus inſpirati aëris qualitates aſſiduè cōmutantur. Huius quidem cum tanta ſit in humanum corpus actio, quanta alterius cuiuſuis externæ cauſæ, ideò in Chronicis affectibus, mutandum ſolum iubet prudenter admodū noſter Hippocrates. Et Galenus Romæ tabidos ad tabias deductos petito ab aëris ſiccitate remedio, ait ſanitati reſtitutos. Qua ratione, ita experiētia comprobante loci maximè, ætatis & victus mutatione liberari Epi-

6. Epid. parte 5. t. 19.

5 Method. C. 12.

Hipp. 2. Aphor. 4. 5. & Gal. in comm.

Gal. 1. Epidim. com. 1. t. 1. & 9. lepticos prodiderunt. Frigidus enim humor qui Epilepsiæ causam dedit, quibusdam locis & ætatibus, propter caliditatem nusquã abundat. Verum hyeme, regione, cœli statu frigidis & humidis, multus congeritur, atque is ipse nocturno potissimum tempore exacerbatur. Æstate contrà regionibus, & cœli statu calidis bilis exuperat: quæ circa meridiẽ potissimum efferatur. Hinc indicatione sumpta, hyeme inferiora, & per inferiora; æstate superiora & per superiora purgandum censuit Hippocrates, quod illo tempore generentur humores crassi, qui suo pondere deorsum deuoluũtur, hoc verò biliosi & subtiles qui ad superiora facillimè suo impetu & motu proprio feruntur. Et hæc causa est cur Scythæ, & hæ nostræ regiones, cùm totæ continuis imbribus madescant, pituitosis quoque humoribus scateant. Et australi constitutione morbi vt plurimum à pituita dependeãt. Humiditas namque ambientis pituitam procreat & aqueas superfluitates. Denique particulari influxu cœlestium corporum Epidemici, & pestilentes prodeunt affectus, particulari & occulta quadam nec non maligna qualitate infesti, quã vnà cum aëre inspiramus. A qua post modum non humores modo in corpore detenti nouam mutationem subeunt, sed & alij quoque ab ipsis quoquo modo diuersi suscitantur, suæ causæ respondentes, quorum naturã ex symptomatis deprehendimus, pestiferosque & lethales ab ipsis procreatos af-

Libro de Dynamid. & Ætius.

4. Aphor. 4. 6. & 7. & Gal. in Comm.

Hipp. lib. de aëre locis & aquis.

Galenus 3. Aphorism. comm. 7.

fectus experientia duce, præcauemus atque retundimus.

De cibo & potu quid opus est dicere? quorum admirandas vires in frigidis, crassis, & lentis, aut calidis atque tenuibus, alijsque omnis generis producendis humoribus in dies experimur. *Gal. libris de attenuante victu & de alimento facultatibus*

Neque enim vim ipsa solum alimentitiam, sed & medicatam quoque plerumque possident, neque ex consequenti, à substantia nostra patiuntur dūtaxat, sed & ipsam quoque alterant & qualitates suis persimiles in nobis imprimunt. Vnde calidum corpus cibis interiùs refrigerari, prodidit Hippocrates. *Gal. libro de consuetud. Cap. vltimo.* *Hippocrates. 6. Epid sect. 4.*

Quod si à natura euinci nequeant quantitatis ratione, in crudiores succos facessunt, quales in helluonibus & ebrijs crapulæ, & abdomini natis copiosi aceruātur: sin qualitatis vitio id accidat, in prauum quandoque humorem abeunt, suæ naturæ finitimum. Sic allia, cœpe, porri in eam bilis speciem degenerant, quæ ab his nomen inuenit. Imò verò ne tum quidem cum in sanguinem conuertuntur, in laudabilem planè & temperatum, sed aut in pituitosum, aut melancholicum, aut biliosum, pro cuiusque alimenti aptitudine ex naturali mixtione contracta, permutantur. Qua ratione bubulæ carnes, leporinæ (quibus tamen inter quadrupedes primam tribuit gloriam Martialis) ceruinæ, cæteraque à Galeno copiosè enumerata melancholicis prohibentur. *3. de loc. affect. C. 6.*

De somno,& vigilia, motu & quiete, nõn absimili modo philosophandũ est. Quemadmodum enim ab his vita nostra cum naturæ modum non excesserint, integra conseruatur, eorumdem beneficio, purus atque defecatus sanguis cumulatur, liberum ab excrementis corpus vniuersum redditur. Ita è contrario cum moderationis limites hæc ipsa fuerint prætergressa, contraria omnia succedere nemo est qui ambigat. Ab immoderatis quippe excercitationib⁹ & vigilijs corporis sūbstãtia prorsus dissoluitur; & vitalis calor foras euocatur, vnde cibi & potionis cruditas: aut accensis spiritibus & massa sanguinea, feruidi acres & biliosi humores congeruntur. Contra verò ab immodica quiete, à diuturniori somno, natiuo calore quibusdam quasi ergastulis cohibito atque compresso, pituitosi fiunt, & aquei, aut melancholici & terrestres, & leucophlegmatia quædam toto corpore inducitur, qualem in sedentarijs puellis non raro cernimus. Hæc ita esse suo calculo ad verbum confirmauit Galenus, qui otiosi degunt (inquit) pituitosum congerunt succum: qui validè excercentur, biliosum vel melancholicum, illum æstate, hunc autumno. Neque vero nobis aduersatur dum melãcholiæ prouentum in labores referre nos in otium: Nam de atra bile loquitur, nos de naturali: Id quod palam ipse indicat dum subijcit: quin etiam vtrum diuturni labores fuerint aduertendum est, quantò enim fuerint

2. acut. vltimo.

4. de sanitate tuenda.

longiores, tantò sunt ad generandam bilem atram magis habiles & procliues.

Ad motum præter excercitationis genera priuata etiã cuiusque studia referimus, quorum tanta vis est, vt naturam nostram, corporisque & animi statum in contrariũ planè violenter rapiant. Norunt id suò malo studiosi viri, in melancholicos & pituitosos affectus ex studijs & lucubrationibus contractos, plus æquo propensi, Aduertant hic interim lectores ingenuj talem in humorũ generatione circulum qualem sæpè in externis videmus. Vt enim ex vaporibus imbres, ex his ipsis vapores denuò oriuntur.

Eodem sanè modo exuberantem flauam, bilem, vigiliæ, dolores, iræ, curæ, cæteræque perturbationes congerunt. Et vice versa à feruidioribus succis, vigiliæ, dolores turbulẽtique animi motus excitantur, excitati grauiùs efferantur. Nam vigiliæ omnes naturæ terminos præteruectæ, vel calidam cerebri intemperiem solam consequuntur, vel biliosi humoris redundantiam, inquit Galenus. Hæc itaque atque eiusdem generis alia tum vt effectus, tum vt causæ, redundantis humoris speciem designabunt.

2. de temp. Cap. 13.

2. Aphor. comm. 3.

Sub somno insomnia comprehendi velim, quæ ipsam corporis Diathesim sequuntur, & humoris motus: Quanquam non eo planè quo somnus modo sunt humorum indicia; at in hoc conueniunt saltem quod ab internis vtraque dispositionibus pendent, cõtentisque

humoribus, quorum ſigna poſtmodum eſſe poſſunt.

Ex euacuatione & repletione non minùs quàm ex cæteris in ſuperflui humoris cognitionē deuenimus. Referunt enim tam vrinæ, quam alui excrementa, & ſudores, & particulares quæque euacuationes contentorum in venis, in viſceribus, in ambitu corporis, in ſingulis partibus non contemnēda argumenta; De quibus non eſt huius diſputationis ſpeciatim, definire. Illud prætermitti nolim familiares ſtatis temporibus euacuationes nōnullis prodire, quæ ſi occaſione vlla cohibeantur, ſuſpicandum omninò erit humorem illum excerni ſolitum regurgitare. Sic hæmorrhoidibus ſuppreſſis, redundat toto corpore melancholicus ſanguis, à quo melancholicæ paſſiones. Sic retentis menſibus ex vtero, hoc eſt ex mēſtruo ſanguine, fiunt morbi. At verò ingluuies atque adeò immodica quæcunque repletio calorem innatū hebetat, ac ferè ſuffocat & extinguit, cruditatis, frigidorumque ſuccorum parens feraciſſima,

6. Aphor. 57. 6. de loc. affect. c. 5.

Quod ad animi affectiones attinet docent Philoſophi & Medici medio ſanguine & ſpiritibus tanquam inſtrumentis animæ functiones exerceri. Quamobrem pro diuerſis animorum motibus, cùm variè ſanguis & ſpiritus concitētur, fieri vix poteſt, quin ex concuſſionis vehementia ipſorum natura ſubuertatur. Sic ex timore vehementi & diuturna mæſtitia contracti plus nimio ſpiritus, &

quasi caligine suffusus sanguis in atrum succum demutantur, vt plerumque melancholici fiant, quibus timor & mæstitia longo tempore perseuerarint. Secus in ira fit, in qua cum sanguis circa cor efferuescat, præ feruore attenuatus abit in bilem. Rationi adstipulant experientia & Galeni auctoritas qui ex ira, & anxijs cogitationibus vberem generari choleram memoriæ relinquit. Quare non iniuria etiam apud vulgus mutuato ab humore nomine iracũdi cholerici, appellãtur, sunt enim in iram propensi, in vindictã cæteraq; id gen⁹ animi perturbationes qui bilem exuperant ẽ coaceruãt. Quibus verò dominatur pituita timidi,& cõtrarijs affectionibus addicti. Quantũ denique in rebus quas præter naturam vocant momentum sit positum, maiori iam ex parte in præcedentibus ostensum est; Hæc enim ipsa non naturalia, de quib⁹ hactẽn⁹, aut morbificæ causæ, aut symptomatis, aut vtriusque simul rationem persæpé induunt. Sic ardentem sirium, liberaliorem compotationem; longiorem inediam, violenta excercitia, perturbationes animi, venerem, cæteraque eodem modo, causas morborum cõstituimus: At naturalium, euacuationũ retentionem, immoderatos excrementorũ fluxus, vigilias contumaces, somnum inexpugnabilem, quandoque inter morbificas causas modò inter symptomata recensemus, aliàs vt vim vtriusque obtinent, contemplamur.

6. Aphor. 23.

1. de morb. causis.

2. de temp. C. 13.

Quod ad morbos attinet instar omnium

nobis esse potest vnius Hippocratis auctoritas à Galeno passim confirmata, & ab vniuersa Medicorum schola tanta opinionum cōsensione recepta atque stabilita, vt in dubitationē cadere non possit. Quid enim magis tritū apud nostros, imò ne ipsis quidem tonsorib⁹ incognitum quàm exquisitas tertianas, à sola bile, quartanas à melancholia, quotidianas à pituita, synochos & à sanguine generari? Nōne cum Epilepticos pituitam euacuantibus purgandos esse docet idem Galenus, palam profitetur, à morbo ad humoris ipsum efficientis cognitionem nos deduci? dies me deficiat si congestis hinc inde testimonijs, in huius rei probatione diutius immorer. Vnicum superest à iuuantibus & nocentibus argumentum, cuius hic præ cæteris meminit diuinus senex, dum ex conferentia & tolerātia peccantes humores euacuatos esse colligit: ex viriū lapsu,& dāno emergēte,cōtrarios. Quod vero de euacuātibus ab ipso scriptū est, de alterantibus etiam audiendum venit, quemadmodum enim biliosi affectus calefacientibus admotis exacerbantur, pari ratione à frigidis remittuntur, vt fatendum sit, ab effectibus remediorum, ad humoris molestantis speciem argumentari licere, si quæ alia fortè occurrent, poterunt ad ista quæ protulimus nullo negotio reuocari.

Gal. 1. ad Glanc. 2. de diff. feb. 2. & alibi.

Gal. libro quos quādo purg. opert.

10. de cōp. Med. secū. dum loca cap. 2.

Ex dictis bina emergunt dubia in iuniorum gratiam aliquantò latiùs & clariùs examinanda. Primum est.

Vtrum ex insomnijs de humoribus in corpore stabulantibus conijcere aliquid liceat? Alterum. *Vtrum & cur animi mores, humorum dominium sequantur?* Quod primum attinet. Non desunt inter philosophos & vulgares, qui longè ampliùs quàm par est insomnijs deferant: Alij ne tantillum quidem ipsis tribuendum putant: suam vtrique sententiam, ratione comprobant, teste confirmant, stabiliunt exẽplis. Qui priores tuentur partes Græcarum in primis dictionum notationem allegant. Etenim græci, in depromendis à rei natura vocibus fœlices, sõnia ὀνείρους ϱ ὀμφὰς appellarunt. Ὀμφὰς quasi τὸ ὂν φαίνοντας idquod est demonstrantes: ὀνείρους quasi τὸ ὂν εἴροντας, id quod est proferentes, vel cum Scaligero ὄνειρον dictum volunt quasi ὄναιον ἔρον bonum omen asserens: vel (si nobis idẽ quod Grammatices licet) quasi ὄνειας ἔρον vtilitatem: atque emolumentum denuncians quam fortè ob causam Διὸς ἄγγελος Iouis nuncius à Poeta nuncupatur. Et meritò sanè. *Iliad. β.* *Iliad. α.*

καὶ γάρ τ᾽ ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν
Namque ab Ioue somnia pendent.

In cuius rei fidem non difficile est probatas ex omni antiquitate hystorias conquirere. Cyro morti proximo visus est in somnijs quidam, quam humana natura præstantior à quo hæc audijt συσκευάζου ὦ Κῦρε. ἤδη γὰρ εἰς θεοὺς ἄπει. Para te Cyre; iam iam enim migrabis ad Deos. Xenophon quoque non *Xenophon. lib. 8. de pædia Cyri*

Xenophon lib. 4. de exped. Cyri minoris.

minus verum quam salutare & iucundum ab insomnio nuntium accepit, is cum in extremas angustias vnà cum excercitu redactus esset, tum demùm in somnijs hæc salutis spes ostentata est. Xenophon in quiete compedibus distineri se putauit, atque mox has ipsas disrumpi, & quo progredi vellet, licere. Non multò post inopinatus exitus somnij veritatem comprobauit. Quamobrē sapienter admodum à veteribus obseruatum est, pro indubitatis habenda de statu ciuitatis somnia, quæ aut rectori eius, aut magistratui apparuissent, aut plures è plebe simili modo cōspexissent. Sed neque Galeni parentem fefellit visa inter dormiendum Æsculapij imago; Neque ipsius Galeni de aperiendis arterijs somnia inania fuère. Neque præterea militantis in prætorio à cane rabido demorsi parens, falsam remedij cognitionem per somniū habuit, siquidem radice, syluestris rosæ (quam Cynorhodon vocant) ex lacte epota miles, cum iam aquas expauescere inciperet ex insperato seruatus est, & postea quisquis simile auxilium tentauit. Vnde plurimarum rerum atque inter cæteras præsidiorū inuentionem nonnulli ad somniorum visa retulerunt; His alijsque id genus mota exemplis antiquitas, tanquam Διόπεμπτα hoc est diuinitùs immissa nimium credula superstitione coluit omnis generis insomnia. Eorūque interpretationem (cuius inuentorem ferunt Amphictiona) pro genere diuinationis habuit. Diuinatoria pro-

Macrob. libro 1. in somnium Scip. c. 3

Galen. 9. Methodi 4 Idem de curatione. per sang. miss. cap. 23.

Plinius lib. 25. Hist. natural.

Cic. 1. de diuinat. Plin. lib. 7. Natural. hist. c. 56. Lib. de diuinat. ex insomnijs.

indè vocat Galenus. Quam ad classem referunt illud Alexandri, qui cum Tyrũ vrbẽ nobilissimam obsidione cingeret, insequi satyrum in somnijs sibi visus est, tandemque assequi. Delata res ad diuinos, satyri dissecto vocabulo, Σὰ Τύρος, tua est Tyrus ô Alexander, responderunt, responsi veritatem non multo post euentus confirmauit. *Plutarch. in Alexandro.* *Lib. supra citato.*

Eorum tamen incertitudinẽ declarat Galenus manifesto eius exemplo, qui sibi crus alterum lapideum euasisse somniarat. Cum enim hoc somnium ad seruos pertinere indicassent, qui in hisce rebus periti habebantur, is eo crure solutus est: ex quo apparuit somnium id ex dispositionibus corporis fuisse excitatum.

Qua ratione ducti fortasse nõnulli Τὸ ὄνειρον dictum putant quasi ὂν εἴρων hoc est cauillator, mendax, atque dissimulator existẽs. Vnde merito Τοῦ οὔλου hoc est perniciosi Epithetõ in Iliade meretur. Et apud Herodotũ πεπλανημένα ἐνύπνια nominãtur, id est prona in errorem insomnia. At longè adhuc euidentiùs somniorum incertitudo, inconstantia, vanitas in Odyssæa notatur. Vbi hospitẽ sic alloquitur Penelope, quam περίφρονα hoc est prudentẽ vocat Poëtarum Coryphæus. *Iliad. β.* *Odiss. τ.*

Ξεῖν' ἤτοι μὲν ὄνειροι ἀμήχανοι, ἀκριτό-μυθοι
Γίνονται οὐδέ τι πάντα τελείεται ἀνθρώποισι

Iudicium superant, animumque insomnia
fallunt,

Spemque hominum dubijs ludunt successibus hospes.

Et sanè quotusquisque est, qui somnijs apud se locum esse velit, si intelligat ne ipsis quidem Iouis mandato excitatis, fidem deberi?

Iliad. β. Hæc mens Iouis apud poetam.

Ο῎γε μερμήριζε κατὰ φρένα ὡς Α᾽χιλῆα
Τιμήσῃ, ὀλέσῃ δὲ πόλεας ἐπί νηυσινὶ Α᾽χαιῶν

Mente volutabat victori vt cedat Achilli
Gloria, vt ad naues orco demittat Achiuos.

Hoc inito consilio falsis pollicitationibus Agamemnonem ad prælium incendit, somnium pro nuntio interponit, hæc intentioni suæ planè dissentanea Agamemnoni referri iubet.

Διος` δέ θοι α῎γγελος` ἐιμι,
Ος σευ α῎νευθεν, ἐων` μέγα κ'ηδεται, ἠδ' ἐλεαίρει
Θωρῆξαίσε κ'ελευσε καρηκομόωνθας Α᾽χαιοὺς
Πανσυδίη, νῦν γαρ' κεν ἕλοις πόλιν ἐνρυάγυιαν
Τρώων.

Demissus Iouis imperio quem cura tuorū.
Tangit, quemque tui miseret tua tecta subiui,
Ille omnes armare iubet te in prælia Graios
Pulchricomos, obsessa tuis vt pergama tandem
Victa ruant armis.

Quis demum exitus? fallax somnium pro diuino Oraculo suscipit Agamemnon, ac tum certa victoriæ expectatione illectus, cum hostibus prælium committit, tandemque magna

suorum

ſuorum accepta ſtrage, non niſi aperto periculo in caſtra remeauit.

Non leuiorem Pauſaniæ cladem hoc ipſum intulit, is cùm Bizantij degeret Cleonicem iuuenculam per vim raptam ad ſe aliquantò ſeriùs aduentantem, fălſò eluſus ſomnio hoſtem ratus interemit; Torquebatur aſſiduè fictis imaginib⁹ & inanib⁹ phãtaſmatis Apollodori dormiẽtis anim⁹. Quã ſæpè videas Idrum Irumque ludicris ſomniorum figmentis perſuaſos tantillo tempore in ſumma inopia, ſumma Crœſi craſſique vbertate blandè perfrui, mox experrectos grauiore quã antea paupertatis tędio & rerũ deſperatione premi. quid plura? Nonne hæc ſufficiẽti argumento ſomniorum vanitatem & fallaciam conuincunt? Addere liceret innumera ex antiquorũ ſcriptis mutuata, niſi quotidiana experientia vnicuique noſtrum nimium frequentia in dies ſuggereret.

Plutarch⁹. in moralibus.

Plutarch⁹. ibidem.

Hoc animaduerſo ſapientiæ ſtudioſi, ſomnium omne quatenùs tale falſum eſſe profitentur: Eſt enim nihil aliud (ſi eorum definitionem admittimus) quam viſio rei falſæ & abſentis, ſub ratione veræ & præſentis, atque ex conſequenti erronea.

Spretis itaque vanis huiuſmodi ſpectris & imaginibus tanquam fictitijs fabulis, & anicularum deliramentis, vigilantiſſimi illius cenſoris præceptum amplectamur, hoc diſticho comprehenſum.

Somnia ne cures, nam mens humana quod optat
Dum vigilat, ſperans in ſomnis cernit id ipſum.

Suum tamen ſortiuntur exitum, dixerint fortè aduerſarij, quod multis antea hiſtorijs comprobarunt. Sortiuntur ſanè, contingentium nulla eſt determinata ſcientia : Totas noctes dormim9 (inquit Cicero) & nulla ferè eſt quâ non ſomniemus, & miramur id quod ſomniamus euadere. Hæc vltrò citròque pro confirmanda infirmandaque ſomniorum veritate & vanitate afferri poſſunt. Verum concludũt ambo parũ Philoſophicè (meo iudicio) dum quod ſingularum eſt partium, nulla diſtinctione adhibita toti generi applicant. Nos verò breuioris & facilioris doctrinæ gratia rem totam in proprias ſpecies diſtribuemus, quod cuique peculiare eſt depulſis errorum tenebris in lucem proferemus, At ne diuagemur latiùs quam noſtri eſt inſtituti, ſomnia diuidimus in diuina & humana. Diuina; vocamus ea quæ cauſas naturales nullas agnoſcunt, ſolum Deum auctorem habent, Deoque indigent, aut diuino interprete.

2. de diuinat.

Humanorum nomine, ea intelligimus, quæ ſuam in nobis ipſis nanciſcuntur originem; nobiſque ſunt cum brutis animantibus cõmunia; Naturalia communiore verbo dicere licuiſſet, niſi ad homines ſolos noſtra referretur oratio. Ad diuina quod attinet, arbitrabitur fortaſſè quiſpiam diuina maieſtate

Ariſt. lib. de diuinat per inſõnia

indignum esse in huiusmodi friuolis occupari, maximè cum non ad prudētissimos quosque & optimos viros, sed ad quēlibet è fece vulgi præmonstrantia demittantur somnia: Quibus argumentis confecit Aristoteles nulla ad Deum referenda. Iisdem fortè persuasi veterum nonnulli, apparentes in somno imagines futuri prænuntias, ad animam retulerunt. Illa enim (inquiūt) diuina cum sit, tunc quasi terrestribus hisce soluta ergastulis, ac in cælestium corporum consuetudinem admissa, antiquam illam arcem repetit & perlustrat, atque ibidem tanquam in speculo futura præuidet & præsentit. Vel (vt cum Herophilo loquar) eorum quæ sibi vtilia sunt aut euentura, dum functiones proprias aliquantò liberius obire licet, apud se efformat simulachra. Vel denique (vt arbitratus est Strato) sopito corpore promptior cum sit & acutior intellectus, ad cognitionem vehementiore motu & cupiditate incitatur. Hæc opinio antiquos illos quibus diuinæ fidei iubar nondum affulserat superstitiosis ritibus totos addictos atque implicitos in superstitiosā quoque somniorū obseruationē pertraxit

Plutarch'. lib. 1. opin. antiq. c. 2.

Illa nos falsæ religionis atque impietatis caligine discussa, neque somniorum obseruationem penitùs improbari volumus, neque promiscuè approbari. Quædā etiam ab vberrimo illo bonorum omnium fonte deriuare credimus, qualia in sacris paginis pleraque reperimus.

Nostræ sententiæ adscripsisse videbitur Aristoteles si locum citatum penitiùs intueamur. Causam enim reperire cur aliqui futura de ijs præsciant quæ in colũnis Herculis, aut in Borysthene sint, maius est (inquit) quã quo nostra sapiẽtia pertingat. Itaque ad Deum ipsa referri consonum est. Neque si contrarium sensisset Aristoteles, eius apud nos pluris esset quam veritatis auctoritas. Non magis à proposito nos auocant depromptæ ab ipso rationes, Quid enim diuinæ bonitati, sapientiæ, magis consonum aut dici, aut excogitari potest, quàm vt nullum ipsa tempus intermittat rebus humanis consulendi? ac ne tum quidem cùm ab externis operibus feriatur animus, tantisper ad se reuocatus desinat intelligere ea, quæ aut agere aut fugere expedit? Vel per se quidem, vel inita cum cœlestibus consuetudine, ita iubente Deo, vel immediato Dei munere & afflatu, vel alia tandem quacunque ratione.

Neque friuola ea sunt existimanda quæ fictitijs imaginibus tanquam in Ænigmate id quod verè futurum est exprimunt. Aut quasi depictis tabulis rem absentẽ tanquam præsentem oculis obijciũt, Neque absurdum est eadem simplicioribus, ac rudioribus apparere: Ne videlicet quæ à Deo ter optimo emanant, nostro ingenio, doctrinæ, scientiæ tribuantur. Neque ab re videtur (inquit Leonicus, imò Aristoteles ipse) humanã prudentiam experimentis actionibusque demersam

In præfat. in libro Aristot. de diuin. per insomnia.

humanis, ad diuina recipienda somnia min⁹ habilem & aptam videri, quæ solutus quodammodo animus, nihilque cum vitæ illius specie agens, quæ fieri cum corpore est communis, sed inseparabili illa permanens vita, suscipere nimirum, & clarè cernere censetur. Sed hæc Medicinæ & præsentis instituti terminos excedũt: Ad humana veniamus quorum occasionem in nobis ipsis inueniemus. Hæc aliàs, à diurnis actionibus dependent, ex ijsque cogitationibus, quarum species altiùs defixæ, somnii tempore solutam imaginationem subeunt, & quæ prægressa sunt, tanquam etiam nam præsentia proferunt. Quoniam vero è sensibus proficiscuntur, qui ad animalem pertinent facultatem, animalia vocantur. Aliàs à præsenti corporis Dyathesi, ab humoribus, spiritibus, vaporibus habent originem, quæ quoniam aut naturam corporis constituunt, aut ipsam proximè attingunt, aut ab ea pendent, insomnia producunt naturalia appellata.

Quædam fortè fortuna irrepunt subministratis à memoria imaginationi speciebus sensilibus, vel excitatis ijs quæ in imaginatione pridem asseruantur vel nouis productis quæ vt variæ sunt, nulloque inter se ordine cohærentes, montes aureos, & Chymeras nonnũquam effingimus, eaque videre videmur, quæ nusquam in rerum natura reperiuntur. Tres ergò sunt simplices horum somniorum differentiæ, nobis cum brutis animantibus com-

munes, quæ si inuicem complicentur, compositas quatuor efficient. Complicari siquidē vnà omnes possunt, aut alterutra cum altera sed hæ simplicium rationem sequuntur. De simplicibus igitur agamus quantum ad institutam difficultatem. Ex animalibus conijcere de humoribus quicquam non licet: Illis tamen sedulò attendendum monebat Zeno sapienter, vt colligamus quantus à nobis fiat in virtutem progressus, quandoquidem signa sunt & notæ vehementiorum & perturbationum. Ita de diuitijs somniant auari; de potibus temulenti; de popinis helluones; de Ganeo & pellicibus Ganeones; de prælijs & iurgijs iracundi; venator cum membra toro defessa reponit mens tamen ad syluas. Ab his ipsis (ne inutilem eorum in Medicina contemplationem putemus) secundæ aduersæque valetudinis indicia depromit Hippocrates in hæc verba, quæcunque insõnia mēs homini in noctem per somnum offert de diurnis actionibus, & reddit vt facta sunt ea quæ seria & iusta in re per diem acta sunt, aut de quibus consilium initum est, hæc homini bona sunt, sanitatem enim significant, quoniam anima in diurnis consilijs perseuerat, non repletione, neque euacuatione, non aliqua alia forinsecùs illapsa re victa. Cum autem diurnis actionibus aduersantur insomnia, & de ipsis pugna oboritur, cùm sanè hoc contigerit, perturbationem in corpore significat, & si quidem fortis fuerit, graue est

Plutarch^o. in moralibus.

Libro de insomnijs.

malum, si verò leuis debilius. Hæc diuinus senex: Ex quibus colligimus humorũ quidem motum ex eiusmodi insomnijs, atque agitationem eorum aliquam posse dignosci, at non speciem, quod inquirimus: in his ergò non moror, quemadmodum neque in fortuitis quorum beneficio certi aliquid in re Medica assequi, quod ad humorum infestantium distinctionem facit nemo potest. Relinquuntur modò sola naturalia quæ plurimam, hac in parte vim possident, nam cùm ab internis dispositionibus, varijsque humorum motibus oriantur, interiorum certè dispositionum & humorum quorum effecta sunt, coniecturas non leues, aut fallaces exhibent. Exempla passim à probatis auctoribus afferuntur, Medicis familiaria atque vtilia: nobis instar omnium fuerint ea, quæ ab Aristotele & Galeno proponuntur.

Inquit naturæ Genius tonuisse fulminasseque putant quorum soni exigui aures pulsant ac feriunt. Mellis, aliarumque rerum dulcium se succum percipere, quibus leuiter diffluit pituita. Et per ignem ambulare, magnoque calore affici, cùm calor exiguus aliquam eorum partem occupat. Ecce. Vt flatuum, pituitæ, intemperiei calidæ, aut calidiorum humorum motus præ se ferunt insomnia. *Libro de insom. 12. de diuinat per insom.*

Sed Galenus clariùs atque ex professo nobis idem palam facit his exemplis. Si quis in somnijs incendium videat, à flaua bile vexatur: si fumum, vel caliginem, vel profun- *Libro de præcognit. ex insomnijs.*

das tenebras, ab atra bile: Imber verò frigidam humiditatem abundare ostendit: Nix & glacies, & grando, pituitam frigidam. Qui in stercore & cæno versari se arbitrantur vel humores prauos graueolentes & putrefactos in se habent, vel copiam stercoris in intestinis contenti. Qui autem contrà sunt affecti, ac in locis beneuolentibus versari se credunt, contrariam habent in corpore affectionem. Vnde sic tandem concludit. Quæ igitur laborantes in somnijs vident, seque agere putant, sæpè hæc nobis tum humorum defect⁹, tum excessus, tum qualitates, hoc est vt antea explicuimus, species siue differentias coindicabunt.

Circa quod ne præcogitationis specimen exhibiturus Medicus, ridiculus videretur, attendendum in primis est, num quæ naturalia reputamus, alterius fortasse sint ordinis insomnia: vt si quis de poculis, de obsonijs, de venere interdiu multum aut legerit, vel audiuerit, aut cogitarit, imaginetur postmodum in somnio se vel bibere, vel comedere, aut venere vti. Non id illico vel in sitim, vel in famẽ, vel in seminis copiam referendũ. Temporis quoq;, & sumpti edulij locorum externorumque omnium habenda ratio: Si quis enim media hyeme, tempore Aquilonio, humidioribus obtectus stragulis, loco frigido recumbens, vel accessionis initio quæcum rigore, horrore vel frigore incipiat, niue sibi conspergi videatur, tempori magis, quàm

corporis affectioni tribuendum est, quemadmodum & cæteris commemoratis circũstantijs. Imo verò excedentibus toto copore calidis humoribus, pituitosis edulijs in ventriculo contentis, similis imaginatio oboriri potest. Quemadmodum si quispiam ardente syrio, calidiore conclaui dormiens, totus noctu sudore diffluat, non statim Hippocratis auctoritate moti, eum vel pluri cibo vti, vel euacuatione indigere suspicabimur, verum externa in primis attendemus, & si quæ nos effugient, vel à patiente ipso, vel ab assistentibus diligenti examine perdiscemus.

Reliquum est, vt circa allegata exempla elegans nec iniucundum discutiamus problema.

Cur videlicet exigui humorum motus tanti in somnijs appareant, vt ex bile infestante incendium: Ex tantillo sibilo & flatu, imaginemur tonitrua, cum tamen hos motus vix deprehendamus experrecti?

An dicendum est idcirco imaginationem in somno quam in vigilia vehementiorẽ esse, quod vigilantibus, tot tamque multiplices agitationes extrinsecus indicant, vt ab ijs internæ nisi magnæ sint & validæ facili negotio obscurentur? An potiùs istud accidit ratione spirituum, qui cum ab externis occupationibus sensibusque destiterint in imaginatione vniuntur, vniti validiùs afficiunt, fortior quippe est virtus vnita, seipsa disgregata & dispersa. An denique in vapores tor-

Arist. lib. de diuin. per somnia.

Arist. lib. de somn. Cap. 3.

quenda est causa, qui dum spiritus vehementer concutiunt atque interturbant, mentem pariter ita exagitant vt minima pro maximis habeantur. Hac ratione commotæ vndæ rerum species longè referunt maiores quam quietæ nec non ij qui prædonum incursum timent, quemlibet exiguum strepitum, muris aut lepusculi inopinatum occursum, aut foliorũ delapsum prædonis irruentis impetum putant.

His ita declaratis manifestum opinor quibus insomnijs & quatenus fidendum, vt necesse non sit obiectas in contrarium rationes pluribus confutare. Illud obiter dicam circa Agamemnonis insomnium inducta priscis illis temporibus dæmonum arte insomnia pro diuinis fuisse recepta: Neque mirũ videri debere, quod fallacem effinxerit Iouẽ poëta, cum eundem in grauioria vitia fecerit procliuem.

Ex hoc eodem exemplo inferre licet falsò à veteribus animaduersum, Procerum regumque de bello aut publico statu insomnia pro veris ratisque suscipienda, licet enim, dæmonis alicuius fortasse monitu, ac Deo ita permittente, Xenophonti, Alexandro cæterisque quorum plena est antiquitas, ita successerit vt somniarant, negari tamen non potest sagacissimum Nestorem elusum cæterosque vnà apud quos regij insomnij certitudinem hac oratione commendauit.

Εἰ μέν τις τὸν ὄνειρον ἀχαιῶν ἄλλος ἔνισπε
ψεῦδός κεν φαῖμεν, ἢ νοσφιζοίμεθα μᾶλλον
Νῦν δ' ἴδεν ὅς μέγ' ἄριστος ἐνὶ στρατῷ εὔ-
χεται εἶναι. *Iliad. β.*

Hæc alij si visa forent insomnia Græco
Falsa rati, potius Troianis terga daremus.
Sed vidit qui nostra suo regit agmina nutu.

Verum non desunt, qui pro huius somnij veritate disputent, & contrarij euentus culpam in Agamemnonem ipsum detorqueant, quem ideò νήπιον hoc est inconsultum vocat Homerus, quod is non satis ad vnguē perpenso atque examinato somnio, sola pugnādi cohortatione contentus, præcepto de vniuerso armando exercitu prætermisso, non omnes copias in Troianos eduxisset. Sunt enim diuina somnia quibusdam quasi tenebris & ambagibus obuoluta atque perplexa, vt discuti dissoluique neque facilè, neque à quouis possint. *Macrob. 1. in som. Scipionis. c. 7.*

Sed hoc apud se discutiat ingeniosus lector, facilè postmodum de insomnij veritate perspecta ex Iouis intentione iudiciū feret.

Alterum quæsitum erat An, & cur animi mores sequantur humorum prædominium.

PRæclarè ab Aristotele scriptum est, vbi coniectandæ naturæ rationem edocet *2. Priorū. c. 28.*

latere in corpore ſigna aliqua naturalium affectionum. Equidem ſi à corporeis diſpoſitionibus pendere animi mores admittimus, ab ijſdem indicari ipſos deſignarique concedendum eſt, à quibus oriuntur; & vice verſa ſuarum hos ipſos causarum prodere non leuia argumenta. Hoc anteà ſuppoſito quod nobis in præſentia declarandum venit, inter cæteras diſcernendorum humorum cõiecturas animi mores enumerauimus; ſed nunc ante omnia ne quem homonimia errorem pariat, animaduertendum eſt apud Philoſophos & Grammaticos familiari loquendi vſu morum nomen aliàs pro actu ipſo, aliàs pro habitu ſiue naturali inclinatione vſurpari.

In quæſtione propoſita vtroque modo accipiemus, ita tamen vt magis propriè & verè debeat in ſecunda ſignificatione intelligi. Actus enim (præterquamquod habitus & potentias conſequuntur) meliùs fortaſſe paſſiones quàm mores dixerimus. Nam & paſſiones moribus contrariæ ſæpiùs obtingunt, lætantur melancholici, truces ponunt vultus cholerici, blandi & hilares, proni in iram feruntur, ac præthereà non illicò porracta quacunque occaſione habitus in actus exeunt. Quanquàm in hoc conueniunt (quod maximè ad præſens negotium facit) quod vtraque à corpore dependent.

Libello de Virtutibus Horum inter ſe differentiã manifeſtè prodidit Ariſto. dum iracundiam definit animo-

ſæ vitium, per quod fiunt ad iram præcipites : quaſi dicat iram actum eſſe, iracundiam verò quandam ad hanc ipſam inclinationem, vt Cicero loquitur. Iam modò (vt priorem penſi partem abſoluamus) affirmatiuè concludimus animi mores humorum dominium ſequi. Et ſanè pro humorum varietate variè nos animo commoueri, ita experentia cõprobatum eſt, vt in dubium reuocari non poſſit. Experientiæ ſuffragatur communis Philoſophorum medicorumque cõſenſio, qui palàm profitentur, tum alimentorum, tum ætatum & temperamenti, tum humorum & viuendi ritu, tum etiam (quod minùs credibile duxerit quiſpiam) locorum & temporum mutatione, mutari animum, licet in contrarium vulgò iactari audiam. *2. Tuſcul. quæſt.*

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Quantam hac in parte vim conferant alimenta ſatis declarat Plato, cùm vinum adoleſcentibus interdicit, ne igne igni addito in furiam agantur; frigidum verò & exanguem ſeniorum habitum ad caloris ſymmetriam vini potione reuocat, ſenectutis duritiem, moleſtias, tædia, curas vita liberaliore emollit. Iſtud in ſe expertus Zeno, à vino pari modò ſe affici dicebat, quo ab aqua Lupini in qua longa maceratione dulceſcunt. *2. De legibus.*

Ad ætates quod attinet, diuerſa ſunt ſingularum ſtudia, imò ſic inter ſe contraria, vt quem infantem noris aut iuuenem, ſenem

eundem ſibi planè, non tam vultu quã moribus diſſimilem experiare.

2. de partibus animalium. Temperamenti ſimul & humorum vim percepit Ariſtotel. cùm naturã ſanguinis cauſam eſſe ait, vt multa animãtibus veniant tum per mores tum per ſenſum ſuis quippe contrarijs præpollent ea quæ ſanguinem habent frigidiorem & tenuiorem. Sed optimè conſtant quæ calidum tenuem & ſyncerum poſſident, vt potè quæ vna & viribus corporis & animi dotibus plurimum valeant. Ariſtotelicis reſpõdent hæc Hippocratica quæ à Galeno referuntur. *Lib. quod animi mores. c. 8.* Quorum vena in cubito pulſat ij furioſi ſunt, iræque præcipitis, quorum autem immota perſiſtit τυφ'ωδεις hoc eſt ſucceníο ſtupori oportuni. Nam ex vbertate caloris cordi inſiti hæ ſi aliquando pulſant arteriæ, furioſoſque & in iram procliues caloris copia, pigros autem graues ægrèque dimobiles frigiditas facit temperamenti.

In Timæo. De humoribus priuatim ita loquitur Plato; acidæ ſalſæque pituitæ aut quicũque etiam amari bilioſique humores corpus peruagantes, vbi per ſpirationem foras, non eruperint, ſed intenſi, halitum ab ipſis prodeuntẽ animæ penetralibus admodũ permiſcentes ſeſe corruperint morbos varij generis, tùm grauiores leuioreſue, tum plures aut pauciores animæ ingerunt, quibus ad tres eius ſedes proúectis quocunque appulerint ſinguli difficultates varias, & quaſuis animi moleſtias, ſæpè verò & audaciam & timiditatẽ iterũq;

obliuionẽ atque hæbetudinẽ constare oportet. At quid opus est Philosophi testimonio apud Medicos, quibus quotidiana experientia peculiares singulis humoribus mores tribuere, vnumque ex altero deducere monstrauit?

Nunc ad viuendi rationem & educationem cuius facultatem nobis prodidit Galenus cum de victu infantis temperati agit: huius (inquit) fortis homo cum arti sanitatis tuendæ traditur educandus, fortunatus vtique sit si statim in lucem editus ei committatur, ita quod ad animi quoque affectus nonnihil lucri faciet; ipsa nimirum recta victus ratione mores quoque probos reddente. Et paulò post. seruatur verò quodque ijsdem planè generibus quibus corrumpitur. Corrumpuntur autem animi mores praua consuetudine cuiusque horum, cibi, potionis, excercitationis, videndi, audiendi, totiusque musices. Itaque peritum horum omnium esse eum Medicum decet qui sanitatis tuendæ curam suscipiet, nec ea opinione esse, quasi ad solum spectet Philosophum animi mores effingere. Denique locorũ & temporum meminit & copiosé & elegãter summus Hippocrates eo quem de aëre, locis & aquis scripsit libello, inter cætera dum Europæ Asiam confert. Omnia (inquit) longè maiora pulchrioraque in Asia gignuntur, regio, regione mitior est, & mores hominum mitiores; horum autem causa est temporum anni temperies. Ecce quod de humoribus

Lib. 1. de sanitate tuenda. c. 7. & 8.

ſolùm probare inſtitutum fuit, de reliquis etiam ex multis & grauiſſimis auctoribus probatum. Quæ tamen non alia ratione parere aliquam in moribus mutationem videtur, quam quod humores pariter attingant & immutent. Plura qui volet Galenũ adeat, nos interim rationem cur hæc ita ſint perquiramus, in qua ille perquirenda falſo nixus fundamento veritatem aſſequi non potuit. Nam animarum eſſentiam nihil aliud eſſe vult, quàm temperiem: Quo nomine Andronici peripatetici dicta reijcit, ac colligit, animas inter ſe differe eſſentialiter vti corpora. Neque etiam rationalem ab aliarum cenſu excludit. Cùm enim docuiſſet corpus vnumquodque ex materia & forma conſtare, & qualitatibus quatuor materiæ aduentantibus corpoream ex ijs naſci temperiem quæ neceſſariò conſtituenda ſit forma ſiue εἶδος, ſic tandem concludit: ſi ergo & quod ratiocinatur ſpecies animæ fuerit mortale erit, nam & ipſum quoddam cerebro temperamentum eſt. Quo poſito facilè ſeſe difficultate propoſita extricabat: nempè mirum non videri debere ſi mutata ab humoribus temperie, hoc eſt anima, eius pariter mores immutentur. Contrà verò fatetur ingenuè admiſſa Platonis de immortalitate animæ ſentẽtia, ſe ne per imaginationem quidem longa & accurata diſquiſitione adhibita, potuiſſe vnquam conſequi, quomodò incorporea ſubſtantia, quæ per ſe ipſa eſſe poſſit,

Lib. quod animi mores.

Ibidem. C. 3. & 5.

possit; à corporis societate in contrariã sui naturam traducatur: si nec qualitas vlla sit corporis, nec species, nec affectus, nec facultas. Igitur qua ratione id fiat docendus est, relictis Platonicorum, & stoicorum figmentis. Arbitrabantur quidem Platonici immortalis animæ, cælitus in corpus delapsæ eiusque humiditate quasi demersæ, vim intelligendi sopitam esse atque obrutam, donec humiditate imminuta proprio ipsa munere liberiùs fungatur. Quare prudentiam in siccitate collocabant (vndè illud Heracliti, splendor siccus, animus sapientissimus) nostrunque scire aliud nihil esse asseuerabant quam reminisci. Ex hac porrò connexione concretionèque corporea animam contrahere affectionis quasdam brutorum animantiũ quam hominum magis proprias. Quales sunt inuidia, iracundia, intemperantia, libidines, cæteræque id genus vnicuique, variè pro varietate corporis obtingentes. Et hæc quidem Platonicorum opinio, quanquã multis ambagibus referta est, proximè ad veritatem accedit: Ideò neque damnãda penitùs, neque omni ex parte recipienda, vt in progressu patebit sed explodenda Stoicorum sententia est, qui singulos homines nasci ad virtutem pronos, & consequendæ virtuti Idoneos putant nullasque agnoscunt passiones mali: peruerti verò à non viuentibus & deprauari asserunt, aut voluptatum blanditijs delinitos, praua viuendi consuetudine à recto

Platonis sententia in timao.

Stoicorum sententiã.

virtutis tramite detorqueri. Quorum absurdissimos errores & dementiæ proximos validissimis rationib⁹ compescuit idem Galenus, quas in hunc locum transferre non pigebit.

Lib. quod. animi mores C. 11. Si percuncter (inquit Galenus) de hominibus, qui primi extitère nullumque ante se habuerunt, à quo hi deprauati fuerint, dicere non poterunt. Quemadmodum pueros flagitiosissimos intuentes, quis eos flagitia edocuerit: ac potissimùm cùm multi simul videantur ijsdem vescentes alimentis, ex ijsdem parentibus orti, ab ijsdem præceptoribus eruditi, longissimè tamen inter se natura dissentire. Si verò omnes voluptatis quæ bona non est, sed (vt Plato inquit) maxima illecebra peccandi, familiares efficimur, natura omnes mali sumus, quod si non omnes, sed aliqui, Illi soli natura praui erunt: Ex quo id efficitur contrà Stoicos, inserta ab ipsis naturæ primordijs in hominibus tam vitiorum quàm virtutum semina. Sed hæc aliquantò longiùs à proposito nos abduxerunt institutum fuit demonstrare, qui fiat quod animus diuinus & immortalis cùm sit, humorũ quasi motibus subseruiat?

Dicendum est duplici id ratione accidere, quarum altera, ad humores ipsos, altera ad animam referri debet.

3. symp. 4. 3. Quæres in symposiacis Plutarchus quæ causa sit, cur vino promptiùs capiantur senes quàm mulieres? Hanc inter cæteras profert; Valentes etiamnùm senes ijsdem acci-

dentibus corripi, quibus ebrij ſolent, exigua proinde motione noua quidem non excitari, augeri tamen ea que ab ætate.

Pari modo de animantibus Philoſophandũ eſt, quæ quoniam vnà cum elementorũ ſubſtantijs ipſorũ quoque qualitates ſunt ſortita, & alteratiuę à Philoſophis vocatæ qualitates quandã habẽt cum affectionib⁹ animi ſimilitudinẽ, nil mirũ eſt, pro diuerſis humorũ dominantium motibus, vti varias qualitates, ita & varias affectiones ipſa induere. Non ita tamen vt aut totum viuens, aut animã immediatè afficiant humores, tanquam ipſi ſint quib⁹ anima cum corpore vnitur, ſunt enim (vt noſtra fert opinio) inanimati omnes, ſed mediante ea parte, in qua dominantur, & ad quam confluunt ex vi animæ. Exempli cauſa, iram dicebat Ariſtoteles ex ſanguinis circa cor efferueſcentia prouenire: ſanguis ergô circa cor efferueſcens vim habet paſſionem hanc commouendi, & conſequenter alterandi, ſiue afficiendi animam mediante corde. At remanet adhuc prima difficultas indeciſa, quorſum anima incorporea, & æuiterna, patiatur à corporeis, & caducis? Audiant modò Galeni hac in parte ſectatores (ſi quos inter Chriſtianos inuenire licet) non minùs Phyſicam, quàm Theologicam de immoritura anima ſententiam.

Illudpro indubitato ſupponi velim rationalem animam, quamuis à corpore ſeiungi, ſeparariqne poſſit, vt potè quæ ab eius po-

testate non sit eruta, sed afflata diuinitus, veram tamen formam esse non assistentem, vt nauta nauis (quidem censuit Plato) verũ vt (Aristotelis verbo vtar) veram ἐνδελέχειαν. Seu actum primum corporis naturalis organici, potentia vitam habentis; quæ definitio non minus immortali animæ quam cæteris in communi tribui solet & debet. Iam si forma corporis est instrumentalis corpore sanè tanquam instrumento vtatur necesse est. Quemadmodum igitur ars naturæ, imitatrix pro varia instrumentorum qualitate diuersimodè operatur: ita etiam pro varia organorũ dispositione quibus vniuntur & anima & eius potẽtiæ, variari quoque inclinationes & actiones fatendum est. Exemplum (si ita lubet) ab externis sensibus depromamus.

2. de anima. t. 6.

Qui fieri putamus quod hic odoratu alteri præpolleat. Ille auditu? An ad animæ potentias causam referemus, quas æqualem in se perfectionem ab ortu naturæ consequutas fuisse, certum est? An potius ad instrumenta? quorum tot differentias videmus, quot capita? Quid quod in eodem homine sensuum actiones immutari, imminui, vitiari, ac funditus aboleri in dies cernimus? An dicemus animas, animæque facultates, Protheo mutabiliores, quascunque vicissitudines perpeti, tandemque corruptioni obnoxias? Absit tãtus error à Christiano homine, veræ Philosophiæ studioso. Sed intrepidè culpam omnem in terream hanc molem cuius compagi-

bus irretita tenetur cæleſtis anima, cum Philoſophorũ principe reijciemus. Etenim ſiue obſtructus neruus opticus, viſibilis ſpiritus ad oculum defluxum intercludat: ſiue vapores è ventriculo aſcendentes, falſas muſcarum volitantium imagines obijciant; ſeu affuſa in ipſum oculũ bile flaua, externa omnia crocea appareant aut pallida: ſeu denique confoſſo truncatoque videndi inſtrumento collabatur penitus viſio atque deficiat, erit quod in corpore vitium requiramus. At videndi potentiam, quæ ab anima deriuat, quanquam in ſe immutabilem materiæ nihilominus cui coniungitur vitio iudicem⁹ impediri. Quando (vt præclare Philoſophus) ſi ſenex haberet oculum iuuenis, videret, vt iuuenis. Non enim ſicuti corpus, Ita animæ facultates decurſu temporis conſeneſcunt, ſimili quadam ratione affectiones ſenſiles, rationalis anima corporis contagione ſuſcipit, quamuis non omnino ſimili: Non enim Illico, quemadmodũ obiecto in Sphæra actiuitatis poſito (vt loquuntur. Phiſici) organo probe diſpoſito, neque repugnante medio, neque mente ægrotante, non poteſt auris non percipere ſonos, odores naſus, guſtus ſapores, tactus quaſlibet primarum qualitatum differentias: Ita pro humorum conſtitutione & motu varios neceſſariò mores induit animus, atque huc illuc, inſtar Euripi fluctuãtis, tumultuarijs paſſionum procellis concuſſus, inexpugnabili quadam violentia diſtor-

1. de anima textu. 66.

quetur. Clauum tenet quandoque ratio, & more periti nauarchi moderationis & iustitiæ Anchoram figit, ne vi tempestatum vnà cum naui cùi non inhæret quidem at quam informat, abrepta, in vitiorum scopulos & vada deuoluatur. Quamobrem proprijs belluarum perturbationibus nusquam irretiri se sentiet quisquis rationis imperio se submittet. Id quod grauiore musa dignum verè & eleganter sed Lyricè ita nos edocet Horatius.

3. Carm. ode 3.

Iustum & tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis Tyranni,
Mente quatit solida: neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ.
Nec fulminantis magna Iouis manus,
Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

Cicero. 2. Tuscul. quæst.

Cic. 3. de natura deorum.

Hoc est (vt verbo dicam) probum & sapientem virum nullis machinis à ratione diuelli: Hæc vt imperet illi parti quæ obedire debet id videndum est viro velut seruo dominus, velut Imperator militi, velut parens filio. Sed sunt homines qui rationem bono consilio à dijs immortalibus datam in fraudem malitiamque conuertunt, sunt plerique penè dixerim omnes, ita parum in edomandis prauis affectibus occupati, vt leui quacunque agitatione grauiùs concitati, humorum concussione & impetu ad aliena deferantur, vnde accidit, vt non ineptè ex animi moribus de humorum dominio indicium

feramus, id quod euenire vt plurimum animaduertimus pro regula constituentes. Hæc est ergò breuis & dilucida quæsiti solutio, rationalem animam prædictas affectiones contrahere ex vnione & commercio corporis cui se accommodat tanquam formã; Eòq; in illas esse proniorem quod humores quib⁹ ipsa vtitur tanquam instrumentis quibusdam, non parua affinitate moribus respondeant; Atque hanc causam esse, arbitror ob quam nostrates in excolendo locupletãdoque vernaculo idiomate longè studiosissimi, pro moribus humores vulgari sermone vsurpare consueuerunt.

Ex hac porrò mixtione non modò affectiones corporis contrahit animus, sed vicissim ab animo variè corpus immutatur.

Ex immoderatis quippe amoribus ex ira vehementi, ex diuturnis mœroribus non graues dumtaxat affectus, verùm etiam humores singulis perturbationibus affines in corpore procreantur. Vt enim cupiditatibus Principum & vitijs infici solet ciuitas, ita quoque animi Pathemata in corpus velut in subditum, aut in domicilium redundant. *Cic. 1. de legibus.*

QVæsierit hoc loco fortassè quispiam, nunquid aliam præter temperamentum essentiam animæ cognouerit Galenus? Cùm ita accuratè antiquorũ omnium tum maximè Platonis & Aristotelis de ipsius immortalitate sententiam perlustrarit, quæ reuera immor-

talis non foret, si à temperie non distingueretur.

Equidem multorum opinio est, corporis temperiem formam esse ex Galeni mente, non quidem rationalis hominis, sed Medicam; vt poté, quæ sola in Medici contemplationem cadit. Illud enim quod neque seruari præsens, neque absens restitui potest, cuiusmodi est intelligens anima negant ad Medicum pertinere. Ideòque solum temperamentum formam humani corporis esse dicunt, quatenus videlicet sanabile est aut ægrotabile. Et hæc quidem interpretatio ab ipsomet Galeno videtur desumpta, qui postquam multa de animæ essentia dubius præmisisset, Hæc subiecit. Cæterum superuacaneam Medicis de animæ substantia cognitionem esse arbitror, satis est enim artē Medicam cum ratione tractantibus illud nosse, quoad scilicet ipsius cerebri ac spiritus in eius finibus contenti naturalis temperies inuiolata seruatur viuere posse animal: si verò contentus spiritus aut prorsus corruptus sit, aut à naturali temperatura vna cum ea quæ in cerebro est longissimè discesserit mortem necessariô consequi.

6 de morb. vulgar. parte 5. text. 5.

Sed excusari Galenus tali distinctione hoc in tractatu nequit, qui sibi omnem excusationis ansam eripuit, dum apertè Platonis de immortalitate animæ placitum euertit; Non vt Medicus, sed vt Physicus, tota siquidem Physica est illa disputatio quam eo

libello prosequitur, cui inscriptio est, *quod animi mores*, corporis temperamentum sequantur, eiusque finis cognitio est non actio.

Addo prætereà. Non in eo solum libello sed alibi quoque Galenum dum Physicè agit suam in inuestiganda animæ natura ignorantiã ingenuè profiteri. Hæc enim ab eo scripta sunt. Animæ quidem substantia quænã sit affirmare non possum, cum à quibusdam audierim incorpoream illam esse. Et paulò inferius: fateor me de animæ substantia dubitare, nec vel probabile quidpiam habere quod asseram. In ijs verò libris qui de placitis Hippocratis & Platonis inscribuntur qui toti sunt Phisici, cum multa de anima disputet, mentẽ propriam nusquam disertè aperit, euidens dubij atque ignorationis argumentum.

Libro de format. fœtus cap. 6.

Ecquis verò in definienda quæstione proposita tueri audeat Galeni partes? Supponamus temperamentum formam esse Medicam cui acceptæ referendæ sunt actiones, quid sequetur? Illud certè; quemadmodũ pro temperamenti varietate variantur formæ sic & ipsarum actiones pro varijs temperaturæ dispositionibus necessitate quadam determinari. Vlterius itaque progrediendum est, ac genuinæ formæ, quæ æuiterna est, cælestis planè ac diuina, libertas agnoscẽda, hæc à corporeis quidẽ dipositionibus ex parte pẽdet, quatenus ad alterutrum ab ipsis inclinari potest, cogi tamen, ac indomito quodã & ineuitabili impetu rapi, impellique, minimè potest.



Ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραὶ ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν· οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὔτε ἀτρεμέειν, ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐκ ἔτι δ' ὑνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἀποδιδόναι. Λείπεται οὖν ἐπὶ τὸ χεῖρον. Τουτέων οὖν εἵνεκα τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψεως λάβῃ τὸ σῶμα, μηδὲ τὰς ξυμπτώσιας ἐς τὸ ἔσχατον ἄγειν. σφαλερὸν μέν. Ἀλλ' ὁκοίη μὲν ἡ φύσις ᾖ τοῦ μέλλοντος ὑπομένειν ἐς τοῦτο ἄγειν.

Ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ κενώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι σφαλεραὶ, καὶ πάλιν αἱ ἀναθρέψιες, αἱ ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐοῦσαι σφαλεραί:

Habitus in Athletis optim⁹, ſi ad extremũ venerit, infidus. Non enim ſubſiſtere in ipſo poſſunt, neque quieſcere. Cũ verò nullam quietem interponant, neque in meliùs progredi valeant, relinquitur vt in peiùs ruant. Horũ igitur gra-

tia bonum habitum non lentè ſoluere expedit, quo nutriri denuò corpus incipiat: Neque concidẽtias ad extremum ducere, periculoſum enim. Sed qualis natura fuerit eius qui perlaturus eſt, ad hoc ducere.

Sic & euacuationes ad extremum deducentes dubiæ: & rurſus in extremo conſtitutæ refectiones minimè tutæ.

Commentarius.

PRudenter admodum vti cœtera diuinus Plato res arduas exẽplis optimè declarari aſſeuerauit, hæc enim exẽplorum vis, hæc natura eſt, vt rem omni penitus diſcuſſa caligine rudiorum etiam ſẽſibus, quaſi viſendam obijciant, quamobrem meritò hac procedendi methodo in præſenti aphoriſmo qui paradoxõ quibuſdam videri poterat, vſus eſt Hippocrates. Nouum enim fortaſſè fuerat & inauditum, optimam corporis habi- *in politica.*

tudinem, damnare id quod proposito Athletarum exemplo etiã apud vulgus fidem nancisci potest. Non enim rudiores ignorant inuentos aliquos, qui cum ad huiusmodi habitum prouecti essent, repentina morte abrepti, periculi in quo versabantur grauitatem cœteris confirmarunt. Huius Porrò habitus periculũ demonstrat Hippocrates Enthymemate ex integra partiũ enumeratione deducto hunc in modum. Neque persistere in eodem statu summa hæc plenitudo, neque progredi in melius potest, Quamobrem in deterius ruat necesse est. Non datur aliquod quartum. Rectè itaque infertur huiusmodi habitum soluẽdum esse, adhibita tamen sufficienti virium cautione. Idem iudicium faciendũ est, in quocunque habitu Plethorico, seruata semper debita proportione, quatenus videlicet magìs aut minùs ad Athleticum accedit. Iam nunc singulas propositi exempli partes illustremꝰ, Quiescere non possunt Athlete, neque in eodem subsistere, quia nunquam sic otiosus est, natiuus calor, quin cõcoquat, distribuat immutet, agglutinet, & partibus quantùm in se est, applicet alimentũ. At quæcunque horum fiunt, nullo sunt in som-

ma ἐνεξία emolumento, Quandoquidẽ pleno corpori nihil eſt quod adijcias, ſunt enim ſingulis anima cõſtantibus, ſui termini, magnitudinis & paruitatis. Quænam igitur erit ingeſtorũ vtilitas? Equidem in detrimentum, Et perniciem cedent, idque duplici ratione. Aut oppreſſa penitùſque extincta vitali naturalique facultate, aut diſruptis violẽta diſtentione vaſis. Quid remedij? Bonum habitũ ſoluere non cunctanter expedit, quò nutriri rurſum corpus incipiat, hoc eſt: ſi nouo excipiendo alimento locum eſſe velis, protinùs id quod exuperat euacuatione detrahendum, hic interim accuratam doctoris induſtriam in hac voce μὴ βραδέως, lector colligat: Qua tacite (imò verò aperte) innuitur ſubeſſe periculũ in mora. Quæret aliquis, Qua euacuatione ſit perficiẽda ſolutio: Id tanquã per ſe notum Breuitatis ſtudio prætermiſit, Hippocrates. Et ſane cum liquido conſtet hunc habitum laudati ſanguinis copia vndequaque refertum eſſe, grauiſſimis proinde atque repentinis caſibus obnoxium: cui dubium fuerit magno ſimul, & extemporaneo, atque vniuerſali præſidio opus eſſe, à quo redundãs humor eximatur? Quamobrem

Ariſtote. 2 de anima C. 4. t. 41. Idẽ habet Ariſt. 1. Phyſic. C. 4. t. 36.

Galenus 6 Aphorís. comm. 47. ad venæ ſectionem quæ ſanguinem, & ociſſimè, & maximè ex vniuerſo detrahit, tanquam ad ſalutarem anchoram recurrendum. Verùm ex particularibus (quod in omni diſciplina fieri ſolet) deducamus ſi lubet, vniuerſale documētum: Latent hic in ſingulis ferè verbis miſteria palàm breuibus proferenda.

In acutis. Dixerat alibi diuinus ſenex mittendum ſanguinem ſi magnus ſit morbus, æger florenti ætate, roburque virium adſit, addamus ſi placet, ſi ſanguis exuberet, hæc cùm in omni copioſa ſanguinis extractione requirātur omnia nobis in præſenti inſinuauit: Ætatis quidem nominatim nullam mentionem facit, quoniā Athletica vita vegetam ętatem ſupponit fortè etiam, quia ſub viribus ipſam contineri putat. Plenitudo ſumma, ſummè bono Athletarū habitu denotatur. Morbi magnitudo his verbis cōprehenditur. Horum gratia, id eſt metu impendentis mali, Ne ſcilicet corpora in deterius ruant. Anteuertit enim Hippocratis doctrina, quâ nos docet quæcunque morbis præſentibus ritè peraguntur, Eadem aut incipiētibus aut imminentibus præuertēda. Moxque (vt ἐμφατικώτερα eſſet oratio) ſubiecit bonum habitum ſoluere

Gal. libro de cur. ratione per ſang. miſſ. Cap. 9.

expedit, (Non autem dixit, vt poterat & fortaſſè clariùs, ſanguinem detrahere expedit) vt vnà cum iudicato, id connotaret, cuius gratia inſtituenda erat hæc actio. Virtutis denique apertè meminit dum inquit, Naturam, hoc eſt (Galeno interprete) vires eius ſpectandas qui perferre debet. Et hoc quidem alterum primarium indicans (ſi Galeno credimus) verùm primarium contra indicans potiꝰ appellandum, ſi magis propria & accõmodata voce vti velis, à Galeno neque ignorata neque prætermiſſa, ſed quodammodò neglecta, Nequis verò in metiendis viribus facilè aberraret, illas ex continentium vaſorum ſtatu definiuit, dum concidẽtias ad extremum minimè ducẽdas monuit, hoc eſt non eò progrediendum eſſe dum concidant in ſe ſe inanita vaſa.

Eodem lib. de cur. ratione cap. 9.

Vltima Aphoriſmi clauſula bina ex præcedentibus documenta profert, Primũ eſt ſummas euacuationes periculo non vacare, puta ratione virium. Alterum eſt, extremas quoque repletiones extremis periculis obnoxias, id quod gymnaſtarum exemplo palàm factum eſt, & fiet in ſequentibus latiùs.

Quæstionum series & ratio:

DEcem & octo quæstiones tertio Aphorismo diluuntur, omnes fere circa sanguinis euacuationem: de Athletico enim habitu sermo est Hyppocrati. Cuius habitus Nomine duo veniunt intelligenda: primum est summum continentium partium incrementum, in quod omni studio incumbunt gymnastæ, alterum contentorum.

De priore incremento prima quæstio est, vtrum dari illud possit? siue an eo amplitudinis deuenire possint Athletæ, vt dilatari nequeat vlterius eorum corporis moles? De altero igitur copiose pluribus quæstionibus cõsequentibus, atque in primis, cum incrementum istud nihil aliud sit, quam vera plenitudo, à veræ plenitudinis nomine disputationem ordimur. A nominis definitione ad Realem progredimur. Mox Plethoræ singulas species & differẽtias inuestigam⁹ sumpta latius plethoræ significatione quatenus videlicet omni redundantiæ est communis.

Quinta, quæ huic proxima est questione singularum specierum iudicia proponuntur.

Ab indiciys, ad incommoda quæ ab vnaquaque specie particulatim emergũt descendimus.

Quæstione

Quæstione septima deuenimus ad curationem, quæ in boni habitus solutione consistit, vt notat Hippocrates.

Quæstione octaua ex his Aphorismi verbis, bonum habitum soluere expedit, colligimus ipsum bonum habitum, hoc est plenitudinem, verum & legitimum sanguinis missionis indicans statuendum. Id, quoniam minimè à Galeno videtur receptum, ita esse ex ipso Galeno & rationibus demõstratur. Galenus quidem tria venæ sectionis indicantia proposuit: Virium robur, ætatem florentem, & morbi magnitudinem. Nos (vt modò dicebamus) euacuationis sanguinis vnicum agnoscimus indicans plenitudinem: Phlebotomiæ, hoc est euacuationis sanguinis per sectam venam magnum morbum cum plenitudine.

Quid vero indicent vires, quid alia pleraque ad virtutem referenda, aperit nona quæstio.

De indicatione ætatis tractatur quæst. decima.
De indicatione magni morbi quæst. vndeci.
Denique de indicante sanguinis euacuandi quantitatem duodecima qu. pertractatur.
Neque verò ista præter Hippocratis institutum: Non præter subiectum Aphorismi: Totus circa proposita indicantia versatur. De plenitudine dubium nullum est. Magni quidem morbi nulla explicita mentio, quam-

quam non obſcurè hac clauſula notatur, ſequitur vt in peius ruant, in peius (inquam) hoc eſt in grauia accidentia, in lethales morbos: Laßitudinem phlegmonodem, dolores atrociſsimos, apoplexiam, vaſorum ruptiones, phlegmonas, febres continentes aliaque his finitima quæ minatur plenitudo, quibus non modò præſentibus medendum, ſed & futuris ſeriò proſpiciendum, quod vtrumque exequitur Athletici habitus ſolutio. Vnde manifeſto colligitur argumento non curatiuũ, quod à ſolo preſente morbo indicatur, eſſe præſidium venæ ſectionem, ſed verè præſeruatiuum quod ſolam cauſam reſpicit & attingit.

Ætatis & virium meminimus non vt iudicantium, ſed vt contra iudicantium potius: neque id extra Aphoriſmum; is vtrũque comprehendit φύσεως *appellatione, hoc eſt naturæ. Verum non quod diuerſam ab ipſa natura ſiue à naturali facultate indicationẽ ætas afferat, de ea ſeparatim orationem inſtituimus, quin è contrario potius, vt doceamus præter multorum opinionem ætatis indicationem ſub facultatis indicatione cõtineri, ſed de his in controuerſijs.*

Quantitas his verbis limitatur, concidẽtiæ ad extremum non ſunt ducendæ.

Digna hæc ſcitu & neceßaria ad fœlicem praxim, non hîc ſubſiſtendum tamen, ſed ſci-

endum prætereà ex qua parte sit euacuandus sanguis, ad hoc instituta decima tertia quæst. vbi ex propositis exemplis accõmodatam diuersis casibus venã facili negotio lector eliget.

Vt porrò suus est cuique corporis affectui conueniens euacuationis locus, ita & differentijs plenitudinis singulis sua respondet quantitas. Hinc orta quæstio decima quarta in vtra Plethora, in pura ne an impura sanguis largior sit profundendus.

De tempore non minor est difficultas, noster admirabilis Hippocrates μὴ βραδέως *hoc est non cunctanter, sed statim bonum habitum solui imperat: Vrgent in contrarium vulgares & primam venæ sectionem in extremos vsus differri suadent, ab vtra parte standũ iudicemus docebit decima quinta quæstio, litemque omnem dirimet.*

At quæ sequitur grauior fortè futura est, vt quæ grauiores habeat fautores, Medicos & Philosophos in vtramque partem decertantes, illis negãtibus persistẽte vita finiri nutritionem vnquã posse: his affirmantibus, quibus fauere videntur hæc Aphorismi verba, vt rursum nutriri corpus incipiat: Nam si rursus incipit nutritio, ergo desijt, distinctione adhibita nodum explicabit, quæstio 16.

Postremas duas quæstiones ex postremis Aphorismi verbis deducimus. Dicit Aphoris-

mus extremas euacuationes & refectiones esse periculosas, an ita sit decima sexta quæstione inquirimus. Vtrumque terminum inter se confert vltima quæstio, & varijs rationibus vltrò citròque illud agitat, vtrum extremæ euacuationes extremis refectionibus sint periculosiores an contra. Vides studiose lector, quantum nostræ exercitationi campum aperiat breuis Aphorismi sententia. Plura de sectione venæ quæsita proferre potuissemus quæ ad particularem potiùs tractatum susceptum ex professo, quàm ad interpretis munus pertinent. Quæcunque à nobis extrà Aphorismum sunt inserta, non sine fructu legentur, imò verò, si eorum necessitatem spectemus ingenuè fatebimur non debuisse prætermitti.

Vtrum dari poßit summus Athleticus habitus.

QVÆSTIO PRIMA.

ATHleticus habitus non solam vasorum plenitudinẽ, sed vastam quoque molem corporis sua significatione comprehendit, Nam amplificandæ vna cum viribus membrorum moli omnem operam impendunt gymnastæ. De hac nobis in præsente differitur: de plenitudine posteà sequentibus quæstionibus.

Duplicē porrò intellectū recipit hæc quæstio. Primus eſt in genere. Num ſcilicet definita ſit quædam hominibus totius corporis, & ſingularum partium magnitudo, certaque in vniuerſum quantitas vltrà quam omnino nequeant exporrigi. Alter in particulari: Num ſua ſit cuique propria quam prætergredi non liceat. Nos vtrumque eodem negotio paucis examinabimus. Quicquid generatim decernetur, debebit vnicuique indiuiduo particulatim proportione accomodari. Pendent enim (quantum ad præſens negotium) ab ijſdem principijs omnia, æquali lance ponderantur, Neque ſolius magnitudinis memores, paruitatis obliuiſcemur: Quandoquidem amborum, in corporibus organicis eadem diſciplina eſt & ratio, communi doctorum ſuffragio comprobata (in organicis inquam) Eſt enim in homogeneis fortaſſè diſpar & diſſimilis: Qua in parte Philoſophos video, in contrarias diſtrahi ſententias, Quorum aliqui cùm nullum in elementis, & mixtis anima carentibus magnitudinis agnoſcant terminū, certum nihilominus paruitatiſ limitem in his ipſis conſtitutum volunt (ſed hæc ab inſtituto noſtro ſunt aliquantùm aliena) de animatis firma ſit hæc atque indubitata concluſio: Certos ipſis ſtabilitis vtrinque limites humano ſenſui & iudicio prorſuſ incognitos, ſui tantum opificis & moderatoris admirabili ſcientia comprehenſos. Et hi quidem termini naturæ particularis imbecillitati tribuendi

ſunt, cuius vis & ἐνδελέχεια ſuis quoque terminis eſt circumſcripta, impium alioqui foret immenſam, atque infinitam naturæ Architecti potentiam finitis legibus adſtringere.

Admittendos hoſce terminos teſtis eſt Hippocrates in præſenti, dum extremam plenitudinem ſupponit, vltrà quam proceſſum in melius tribui negat. Cui palàm aſcentitur Peripateticorum princeps multis in locis.

Primum enim hoc nomine ab animatis diſtinguit inanima, quod hæc in infinitum poſſint excreſcere, illa non poſſint.

Præterea perficendi cuiuſlibet animalis certam aſſerit eſſe quantitatem tum ad maius, tum ad minus.

1. Phyſ. t. 36. Quo fundamento poſito Anaxagoræ, principium funditùs euertit, ſtatuentis atomos quaſdam, minimaſque rerum portiones: in quem hoc argumento inſurgit. Animal ſub quacunque quantitate ſubſiſtere perfectè nequit, ergo neque animalis partes, quarum eadem eſt ratio, cũ ſuo toto: Quorſum enim inſtrumenta niſi ad actionem? hæc igitur affabre efformari oportuit, quare non modo legitimam figuram, ſed & quantitatem requirunt conuenientem, ad operationes potiſſimum humanas, quæ vti omnium ſunt perfectiſſimæ, ita ſanè integram ſequuntur cauſam, proinde ad ipſas probè obeundas inepta prorſus nimiùm exilis, neque vſibus accômoda illa eſt quæ moderationẽ excedit. Idem in arte elaboratis cernimus, maiora enim in-

ſtrumenta, ne à potenti quidem virtute niſi tardo admodùm & planè difficili cientur motu. Dices ſeruata corporis proportione ad maiorem partium molem, firmiores quoque vires accedere: id quod Titanum exemplo confimare licet, qui proprio robore confiſi, & ingenti membrorum magnitudine (ſi antiquis credimus) auſu temerario dijs ipſis bellum intulerunt. Procedit equidem iſtud argumentum quamdiu aliquis ſupponitur modus. Si progrediare vlteriùs, & immenſam aliquam corporis compagem animo concipias, illam ad humanas functiones quàm plurimas planè ineptam intellges. Et ſanè ſi nullis vtrinque definitæ terminis noſtræ dimenſiones, ſub quocunque termino forent operationibus idoneę, credibile eſt in vtroque genere naturam aliquos producturam fuiſſe, qui ordinarios limites aut multis partibus ſuperarent, aut ne vel minimum æquarent. At quis vnquam hominem vidit, aut in veterum monimentis ſcriptũ reperit ſub animalculi quantitate latuiſſe; aut ad aliquot terræ iugera fuiſſe extenſum. Pholiphemum Homericum allegabis, aut nugacis cuiuſdam Ariſtarchi Gargantuam. Illi certè vſitata poetis hyperbole vaſtam corporis molem depingere licuit. Hic effićto nomine quod à græca dictione γαργαρεὼν fortè deduxit, quæ guttur ſignificat, inexplebilem quorumdam Principum (quos δωροφάγους vocat Hæſiodus) ingluuiẽ, tanquam in ænigmate expreſſit, vel ſi mauis

à χαργαρα, quod pro rugenti multitudine ponitur eorumdem innumerabiles affectas sola voce significauit,

At cadere in animum nequit vt ex tantillo semine producatur in immensum corporis amplitudo. Dices materiæ defectum alimentis suppleri. Sed continua alimentorum actione debilitatur innatus calor ac tandem elanguescit, quamobrem sensim siue sensu humor omnis absumitur, atque ita exsiccãtur partes solidæ vt extendi ampliùs & dilatari nequeant. Id quod apertè testãtur frigidi, exsucci, rugosi senes; & ij quoque qui abdominæ seruientes, solo crescunt ventre, pinguedine intumescunt, solidioribus partibus ne hilum auctis. Instabis hæc in Athletico habitu locum non habere, vegetus quippè est Athletarum calor, illorum corpora humoris & succi plena, calida planè & humida membrorum temperies, & vniuersa constitutio. Demus ista (sunt enim è re nostra) quibus suppositis ita inferimus. Si ne instrumento quidem optimè disposito, & sufficienti materiæ appulsu, noua corpori accretio ampliùs accedere non potest (nam illud saltem non negarint, si qui cõtra sentiunt, vltra trigesimum annum in longum protendi neminem, quare protensis cæteris dimensionibus nulla seruaretur proportio, longitudinem superaret in immensum latitudo. Concludendum necessariò est terminum cuique à natura præscriptum, quem

excedere, ſit prorſus ἀδύνατον. Colliget fortaſſe argutus aliquis, augmenti terminum non in naturæ impotentiam, ſed in auctoris voluntatem referendum.

Reſpondeo hanc impotentiam ex ipſis principijs ſequi, nempe ex ſpermaticis partibus quæ cæteris inſtar baſis & fundamenti ſubſternuntur, quæ cùm accreſcere non poſſint vlteriùs, quàm pro ſuæ naturæ copia, Neque vnquam vim ab alimentis accipiant æqualem ei quam à primordijs obtinuerunt, reliquis etiam partibus certum accretionis modum præfiniunt. Tanta idcirco fit accretio, quanta per ipſas licet, quod ſuper additur in pinguedinẽ faceſſit, non in legitimam auctionem.

Sed inſtabis vlteriùs ſi creſcere in infinitum poſſunt homogenea? Quidni & heterogenea? Nunquid ex illis iſta componuntur? Diſtinctione adhibita nodus hic diſſoluẽdus. Bifariam conſiderari ſolent homogenea, vel in ſe, vel in ordine ad heterogenea. Si primo modo ſpectentur, nullis ex ſe & ab intrinſeco finibus limitantur, creſcunt in infinitum appoſitione materiæ. Sin ad heterogenea referantur, tanquam ipſorum partes, ſui totius ſortiuntur naturam. Ratio diuerſitatis hæc communiter aſſignatur; Quoniam viuentia ab intrinſeco ſumunt incrementum, verſis in ſubſtantiam propriam alimentis, ab intrinſeco quoque terminentur neceſſe eſt. Inanimata non item; augentur enim ab ex-

trinſeco applicatione ſimilium, ſic ex riuulis flumina: ex lapidibus domus; ex ſcintilla fit incendium.

Oritur circa hoſce terminos grauior difficultas, quæ controuerſiam peperit, inter Philoſophos non vulgarem: Sintne videlicet intrinſeci an extrinſeci. Quid intrinſecos & extrinſecos vocent explico, ne ambiguitas nominum difficultatem augeat.

Terminos hoſce quidam per ſic & per non exponunt hoc modo. Intrinſecos appellant Maximum quod ſic, minimum quod ſic, extrinſecos maximum quod non, minimum quod non: Tumque ita definiunt.

Maximum quod ſic eſt terminus magnitudinis intrinſecus ſub qua res eſſe poteſt, ſub maiore non poteſt. Exempli gratia poteſt eſſe homo magnitudinis octo pedum, at progredi vlterius nequit.

Minimum quod ſic eſt terminus paruitatis intrinſecus ſub qua forma ſtare poteſt, ſub minore non poteſt. Verbi gratia inuenietur homo trium pedum magnitudine, at non ſub minore quantitate. Hi termini dicuntur affirmatiui, poſitiui, intrinſeci, quia forma poteſt ſub illis conſiſtere.

Maximum quod non eſt terminus magnitudinis extrinſecus ſub qua res eſſe nequit, ſub quocunque minori poteſt, vt ſi homo ad magnitudinem nouem pedum peruenire non poſſit, & ſub quacunque minori poſſit ſubſiſtere.

Minimum quod non eſt terminus paruitatis extrinſecus ſub qua res eſſe nequit, ſub quacunque maiore poteſt.

Verbi cauſa ſub duorum pedum paruitate ſtare homo nequit dum incrementi tempus eſt prætergreſſus, ſub quacunque longiore quantitate poteſt. Hi termini dicuntur extrinſeci & negatiui: quoniam ſub illis conſeruari forma non poteſt. Ignoſcant tantillum Ciceronianæ aures dum in Philoſophicis terminis verſamur.

Iam quæſtio eſt vtrum poſſit animal ſummũ aut infimum quantitatis terminum aſſequi? Vt verum ſit dicere ſub hac quantitate eſſe poteſt, ſub maiori aut minori non poteſt. Equidem (vt breuibus aperiam quod ſentio) ita eſſe arbitror. Mouet me diuini Hyppocratis auctoritas in noſtro Aphoriſmo. Dicet aliquis afferri id ab Hyppocrate exempli gratia, ita interpretatur Galenus, cœteríque omnes qui in hunc locum commentaria ediderũt: exemplorum autem non requiritur veritas. Reſpondeo veritatem rei vna cum auctoris mente ex integro diſcurſu facilè percipi. Primum inquit proficere talem habitum in melius non poſſe, quod manifeſtè abſurdum eſſet, niſi foret extremus. Præterea ſoluendũ hunc ipſum mouet, vt rurſus nutriri corp⁹ incipiat, ergo ceſſat in hoc habitu nutritio, non aliam ob cauſam quam quod ventum ſit ad extrema, Agente enim naturali valido exiſtente, materia ſufficienter, & conuenienter applicata,

& diſpoſita neceſſariò ſequitur actio, quid ergo impedit cum hæc in Athletis recipiantur omnia, quò minùs ad extremum procedat augmentatio? An extremum illud natura perhorreſcet, ſub quo ſeruari poteſt? Obijciunt, qui pro alienis caſtris decertant conſequi grauiſſimum abſordum hoc poſito, nempe deſinere hominem per vltimum ſui eſſe. Fingamus verbi gratià ſummum hunc Athletam punctione veſpæ intumeſcere. Neceſſario morietur in illo inſtanti, aliàs falſum erit ſuppoſitum aut dabitur maior maximo. Iam ergò cùm tumefactio (vti & motus omnis) incipiat in inſtanti extrinſeco, in quo verum eſt dicere res non eſt immediatè poſt erit: Deſinet neceſſario homo in inſtanti intrinſeco, in quo verùm erit dicere, nunc eſt immediatè poſt non erit. Tunc enim reuera eſt, cùm iam incipit inflatio, aliàs ab inflatione deſtrui non poſſet. Ecce quomodò ex muſca Philoſophi quandoque faciunt elephantem. At hæc eorum argumentatio ſeu argutia potius nihil concludit: Nobis enim ſermo eſt quēadmodum & ipſis de augmento naturali, qui eſt motus ad quantitatem propriam viuentis: illi obtrudunt inductum in conformatione vitium ab extrinſeco. Longè grauiùs, & Philoſophiæ Medicinæque conuenientiùs, hoc dilemmate & ſorite vrgere licuiſſet, vel nutritio fit in Athleta vel non, ſi non quid impedit, in tanta copia ſanguinis, tamque vegeto calore? ſi nutritur neceſſariò augetur, plus

enim restauratur quam deperdi possit: si augetur, moritur, aliàs falsum esset suppositum: si moritur desinit per vltimum sui esse propter allegatam rationem.

Ad istud argumentum dicimus, non nutriri summè pleni habitus Athletam, & per consequens non augeri. Nutritionem enim supponit auctio: neque si nutriatur adaugeri putandum est, aliàs summè plenus dici non posset. Non nutriri ex Hippocrate ipso antea didicimus, dum plenitudinem ideò eximendã mouet vt noua incipiat nutritio. Quod non solum de nutritione salubri, & ad bonum corporis habitum tuendum conferente debet accipi (vt doctè & acutè à doctissimo quodam mihi φιλοφελϑάτω Medico obiectũ est) sed simpliciter de nutritione quæ est alimenti in substantiam viuentis transmutatione, id notat dictio πάλιν ab Hippocrate addita, qua non obscurè innuitur de eadem nutritione sermonem esse, quæ ante summè bonum hunc habitum fiebat. Talis autem erat qualem definimus, & hæc quàmuis anteà maximè inculpata foret, ex accidenti parum salubris censeri potest, vt pote quæ ad periculosum habitum deduxerit, neque refragatur Galenus, dum inquit naturam coctionem, distributionem, sanguinis generationem perpetuò operari etiam in habitu Athletico.

Id intelligendum quantum in ipsa est, vt in commentario exposuimus. Et quasi obijciamus nobis ob oculos ventriculum ita oppletũ

cibo, suis vt partibus fungi nequeat. Anne tum laudabilis generatur chylus? Imò verò coaceruantur crudiores succi, incoctus remanet cibus, tandemque vomitiones & fastidia obtingunt præ pondere oppressa facultate retentrice & expultrice lacessita. Eodem planè modo neque exuberantem sanguinis quantitatem ferre possunt cœteræ corporis partes, si hanc ferant non concoquunt. Est enim in quadam moderatione posita naturæ conditio, in copia opprimitur, in defectu iacet effœta, tandemq; marcessit: Si concoquunt in propriam substantiã non conuertunt. Nam cùm nutritionis duplex sit finis constitutus, alter vt reparetur id quod deperit: Alter vt legitima & consentanea acquiratur partium dimensio, sublato eo cuius gratiâ cessare effectum necesse est. Quamquam non diffitemur rebus omnibus natura constantibus necessitatem aliquam imponi ex materia forma & efficiente, præcipua tamen primaque à fine, tanquam à præcipua & prima causa sumitur. Ita sensit Philosophiæ parens, & meritò, si modo tanquam verum admittimus tritũ illud apud Philosophos axioma: Quicquid est causa causæ, esse etiam causati causam. Nam cum liquido constet finem cœteris causis ac potissimum efficienti necessitatis legem imponere, nullus relinquitur dubio locus quin hæc in effectum necessitas redundet à fine, tanquam mouente primario: istud forsitan in agentibus liberis admiserit quispiam, quod in pure naturalibus negarit,

quæ neceſſario operantur. Itaque vti hæc à fine, cuius notitiam nullam habent ad actionem incitari non poſſunt, ita neque ceſſante ipſo ab actione reuocantur. Verum omnia agentia naturalia, agere propter finem adeò receptum in Philoſophia eſt, quam quod veriſſimum. Hunc porrò finem naturæ cognitum eſſe aut incognitum nihil attinet. Nouit. εὐρύοπα ζεύς.

πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμός, καὶ πάντα νοήσας.

Iuppiter is qui cuncta videt, quique omnia nouit.

Heſiod. operum & dierum libro 1.

Ideòque inuiolabilem naturæ legem hanc ex ſe voluit. Prodeunt in dies ſtupenda naturæ miracula noſtrorum ſenſuum iudicio ſubdita, quibus neceſſitatis quadam lege ratione finis obligari naturam docemur. Fertur in altum aqua ſuopte impetu repugnante propria natura, deſcendit aër nullo impellente, quorſum hæc ne dato vacuo pereat vniuerſum. Cernimus in nobis ipſis capillos noua fuliginum acceſſione grandeſcere, ſupercilia, & cilia, ne quam nobiliſſimo ſenſui moleſtiam afferant ſuis ſe terminis continere. Quid plura? Adinuenit natura ſibi ipſi itinera non cogitatione, partim quidem vt coniuere, partim verò & lingua ſubminiſtrat, Et id genus alia quoque inerudita & indocta quæ opus ſunt efficit, Nam ſi bimo puero panem oſtendens, eum hoc ipſo nomine ſimul demonſtrans panem voces, idque bis terque feceris puer demonſtrati corpo-

Hippocrates 6. epidem. parte 5. t. 2. vt ibi. Galenus in cōment.

ris; hanc vocem panis signum esse vt intellexit, ipsam imitatus pronuntiat cùm à nullo vt linguam moueri oporteat ipse didicerit. Idem quod in hoc, & in alijs quoque motibus omnibus quos appellant voluntarios ab omnibus fit animalibus.

Vsque adeo naturæ vis ad ea quæ animalibus conducunt rectiùs præstanda, qualibet arte potentior! Hisce nos argumentis deuicti, finis vim necessitatemque agnoscimus, cum in anima carentibus, tum in animatis expressam quorum virtutes atque instrumenta cum ad actiones referantur, ideo pro varia actionum necessitate varios motus sine cognitione exerunt : hoc eodem principio conuicti, etiam nolentes rapimur in cognitionem atque admirationem incomprehensæ illius sapientiæ, quæ suprema bonitate à se efformata, pari sollicitudine & clementia moderatur & fouet. Nos (inquam) Medici vulgo Athëismo suspecti, qui toti in contemplandis diuinæ effectibus, dies noctesque incumbimus. Quum iustè à leuioribus atque in maledicentiam pronis homuncionibus tantæ turpitudinis nobis inusta sit nota, viderint sapientes.



Quid plenitudinis vox ſigni-ficet?

QVÆSTIO SECVNDA.

VAria nomina quibus abundantia ſignificatur paſſim in his Aphoriſmis, & alibi ſæpè apud Hippocratem, & Galenum reperiuntur: inter cætera frequentiſſima ſunt iſta πλεονεξία, πλῆθος, πλησμονή, πλήρωσις, πληθώρα: De quibus nonulla in preſentia, pro auctorum faciliore intellectu delibanda,

Omnium latiſſimè ſumitur πλεονεξία Imò ita amplè, vt non humorum modò aut cuiuſuis ſubſtantiæ redundantiam notet; ſed & qualitatum quoq; exceſſum cõprehendat, ſic θερμότητος πλεονεξίαν apud Galenum legimus. *8. methodi* Obmitto interim cœteras acceptiones, à noſtro propoſito alienas, grãmaticis familiares. Meritò igitur cùm cœterorum ampliſſimum ſit, πλεονεξίας nomen, cœteris tanquam gen⁹ præfigetur.

Amplam quoq; ſignificationem apud probatos Philoſophos & Medicos ſortitur τὸ πλῆθος, nam de quantitate dicitur tam continua quàm diſcreta, Sic πλῆθος χρόνου diuturnitatem temporis, & χίλιοι τὸ πλῆθος ἦσαν mille erant, numero inquit Ariſtoteles. *in Politicis* Plato verò πλῆθος ἀμήχανον pro multitudine infinita. *in Timao* Et ὁπόσα μέρη πλήθει quot partes numero. *lib. de legi.*

Verùm à Medicis quantitati dumtaxat continuæ frequentiùs tribuitur, humorum puta abundantiæ, siue omnes æqualiter, siue vnusque à sanguine alienus augeatur, vt nihil aliud videatur πλῆθος quam ποσότης. Ita Galenus τὸ πλῆθος τοῦ πλεονάζοντος χυμοῦ hoc est copiam redundantis succi, καὶ τὴν διαφοραν, & differentiam considerandam monet: quanquam vt plurimum soli sanguinis exuberantiæ accommodatur. Quemadmodum & πληθώρα & πολυαιμία sed differunt tanquam genus & species ratione loci. Est enim πλῆθος καὶ πληθώρα (vti definiemus posteà) vniuersalis sanguinis redundantia: πολυαιμία vniuersalem & particularẽ complectitur. Hactenus inter auctores nulla controuersia est, quamuis in his ipsis dictionibus latinè reddendis non ita coueniant. πλῆθος & πληθώραν nonnulli plenitudinem & plenitatem, alij multitudinem latinè dici iubent. Priores reijcit Argenterius, quem ea quæ mediocritatem non excedunt, plena etiam appellamus, multa non nisi τὰ ἄμετρα id est immoderata, vti quoque nomen excessus est πλῆθος. Grammatica est hæc disceptatio, atque inutilis, cum liquido constet auctores in re conuenire, nomine tenus discrepare; dicam tamen quod sentio, quandoquidem video Argenterium in euertendis aliorum placitis plus iusto de industria occupari. Multitudo igitur (veluti ex communi loquendi modo colligere est) copiam denotat, non tamen

4 de sanitate tuenda.

eam necessariò quæ moderationis limites transiliat: hoc modo si quem multùm cibi ingessisse dicamus, non illicò multùm illud pro nimio habebitur: contra verò plenum cibis pro eo qui excesserit ferè semper audiemus, ita Terentius vini plenum pro ebrio vsurpauit, id vox ipsa sonat plenum si quidem illud vocant, cui nihil addas; quamobrem Athletarũ habitum qualem describit Hippocrates plenum iure merito nuncupabimus. Quanquam siue multitudinem efferre malis per me licebit modo de re conueniat, logica prorsus Medicoque indigna de verbis contentio, passim à Galeno reiecta. Addam interim falsum esse perpetuo excessui significationi tribui τὸ πλῆθος, vt ex Aristotelis, Platonis, & Galeni verbis anteà citatis manifestè patet. Longè grauiores lites excitat vox πλησμονὴ quæ Fuchsij animum in Valeriolam vsque adeò concitauit, vt à rationibus tandem progrediatur ad conuicia. Rationes perpendamus, hæc aniculis relinquamus.

πλησμονὴν Fuchsius cum Celso satietatem interpretatur, neque aliud significare posse contendit. Satietati atque humorum in vasis plenitudini dari hoc nomen Valeriola asserit, suis tamen rationibus vix aliquid conficit. Vrget contrà Fuchsius multis argumentis. Primum quidem inquit si binas redundantiæ species vna voce, diuersis in Aphorismis Hippocrates intellexit, confusionis certè auctor

fuerit. Præterea quis vnquam sanæ mentis euacuationem plenitudine curauerit? Ergò cum inquit Hippocrates ἀπὸ κενώσεως νοσήματα

2 Aphor. 22. ἰῆται πλησμονή, plenitudinem interpretari nō licet. Denique hæc Galeni verba nullam pati instantiam videntur ἡ πλείων τροφὴ τῆς τοῦ

2. Aphor. com. 17. σώματος φύσεως ὀνομάζεται ἡ πλησμονή. Plus cibi quàm naturæ conueniat πλησμονὴ hoc est satietas appellatur. Fuchsij sententiā confirmant, illa Hippocratis οὐ πλησμονὴ, οὐ

2. Aph. 4. λιμὸς &c. Vbi λιμὸν famem τῇ πλησμονῇ opponit, satietatis autem non plenitudinis fames est ἀντίθετον.

Dicet contra hanc vltimam rationem aliquis, si famem satietati opponimus vni duo erunt contraria, quod in omni Philosophia est inauditum, ergò in Aphorismo nuper allegato, vbi

Aristotel. 5. Physic. τῇ πλησμονῇ opponitur κένωσις non autem λιμὸς πλησμονὴ plenitudinē significabit. Huic obiectioni Fuchsij nomine nullo negotio satisfiet, si ex præcedentibus repetamus euacuationē quā Græci κένωσιν appellant aut κεναγγείαν generis & speciei locum obtinere: Posteriore modo plenitudini dumtaxat propriè dictæ, at in ampla illa acceptione cuicumque repletioni aduersatur, siue illa sit ciborū quam satietatem propriè latini vocant; siue praui alicuius succi, quam κακοχυμίαν: seu denique inculpati sanguinis, quam peculiari nomine πληθώραν appellari diximus. Et quidem huic postremæ, quæ sanguinis redundantiam adimit euacuationis nomen peculiariter

ab Hippocrate tribuitur. Manet ergo firmum atque indubitatum, & cum pręſenti doctrina conſtans illud axioma, vni & vnum eſt, vnicum ſolummodo eſſe contrarium, idque maximè in verè contrarijs, Neque deſunt præter allegata ſexcenta alia à Galeno & probatis auctorib⁹ teſtimonia Fuchſij interpretationi vndequaq; cōſona. Nihilomin⁹ tamē, non poſſum non in aliam partem inclinare, & fateri πλησμονὴν & pro ſatietate, vt hactenus demonſtratum eſt, & pro multitudine, vt putat Valeriola, & pro refectione quandoque vſurpari, Quoad ſecundam ſectationem attinet teſtem appello Galenum 2. ad Glauconem vbi repletionem humorum χυμῶν πλησμονὴν appellat qua auctoritate palam eſt πλησμονὴν ad ſolam ſatietatem referri non poſſe. Vti verò eadem dictione Hippocratem in tertio ſignificato pro ἀναθρέψει (cuius in præſenti Aphoriſmo memini) non negat Fuchſius. Fatetur enim comm. 22. ſect. 2. πλησμονὴν quam in ſua verſione ediderat ſatietatem, commodiùs refectionis voce explicari, ne arbitrentur rudiores, ſatietatē (quam πλείονα τροφὴν τῆς τοῦ σώματος φύσεως definierat Galenus) euacuationem curare. Eodem ſenſu 2. Aphoriſmum 21. ait Hippocrates πληροῦσθαι ποτοῦ ῥᾶον, ἢ σιτίου faciliùs impleri potu quàm cibo, pro ἀναθρέφεσθαι, quod eſt refici.

Hæc cùm non ignoraret Fuchſius, miror qui in mentem ipſi venerit negare πλησμονὴν aliud quicquam quàm ſatietatem ſignificare, Sect. 5. li. 2

ob hoc fortaſsè præcitato commentario tacitè ſatietatem diſtinguit, in eam quæ amplius, & eam quæ non amplius quàm euacuatum eſt reponit, quæ duo tanto à ſe inuicem interuallo diſcrepant, quanto quæ ſunt diſparata. Vt non minùs retorqueri in ipſum queat quod in Valeriolam torſerat, Hippocratem ſcilicet confuſionis parentem fuiſſe, qui non modo in diuerſis, ſed in vno eodemque Aphoriſmo duo ſibi non parũ oppoſita vna eademque dictione expreſſerit. Nos in vtriuſque gratiam huiuſce modi ſolutionem à Grammaticis mutuati, reſpondebimus, vnum denique verbum non raro contrarijs rebus adaptari, tumque loquentis intentionem aut ex præcedentibus, aut ex conſequentibus, aut ex ſubiecta materia captandam. Ita in preſenti, cùm abſurdum ſit exiſtimare exceſſum aliquem alio exceſſu tutò emendari, facilè colligere eſt acutiſſimum doctorem πλησμονὴν quam in priore Aphoriſmi parte pro ſatietate poſuerat, in poſteriore non pro eadem re, ſed pro refectione potiùs, (à qua euacuationis vitia commodè & blandè reparantur) intelligi voluiſſe, his ita conſtitutis ſuopte corruunt impetu quæcunque à Fuchſio in Valeriolam ſunt obiecta.

πληρώσεως vocabulum, quod nos vltimo loco poſuimus, in idem ferè cum πλησμονῇ concidere arbitror, nam deſumpto ex notatione argumento quamlibet repletionem videtur deſignare; ſed reſtringitur vulgò apud

doctos ad eam quæ eſt alimenti. Quodquidem Galeni teſtimonio confirmari poteſt, is enim in calce commẽtarij, hæc præſentis Aphoriſmi verba, αἱ ἀναθρέψιες, αἱ ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐοῦσαι: hoc eſt refectiones in extremo poſitæ, περὶ τῆς ἄκρας πληρώσεως exponit, id eſt de ſumma plirosi. In eundem ſenſum explicari debet vltima particula ſequentis Aphoriſmi, καὶ γὰρ αἱ πληρώσιες, αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἀφιγμέναι χαλεπαὶ hoc eſt (vt ego interpretor) nam & extremæ ciborum repletiones, ſiue, (quod perinde eſt) extrema ſatietas difficilis, non autem ſimpliciter repletiones, vt Leonicen⁹ & Plautius verterunt θῆς ἄρα λεπτῆς διαίτης καὶ ἀκριβοῦς, tenuis, & exquiſiti victus non repletio, ſed ſatietas eſt antithetũ. Quapropter redarguẽda eſt Fuchſij interpretatio, niſi expletionis nomine ſatietatẽ intelligat, nam explere pro ſatiare latiniores dixerunt, ſic Plautus Ædepol, næ ego hic me intùs expleui probè, & equidem reliqui in ventre Cellæ vni locum vbi reliquias reliquiarum reconderem. Verùm ego me totum hactenus grammaticis immiſcui, atque implicui, eò lubentiùs, quod non planè extrà rem & infructuoſa viſa ſit huiuſmodi diſquiſitio, ad quam clariſſimorum virorum (fortè grauior quàm res ipſa poſtulabat) diſceptatio me adegit, iam nunc ad definitionem veniamus.

Quæ sit Plethoræ definitio?

QVÆSTIO TERTIA.

DEscribitur hunc in modum à Galeno 13. Method. 6. ὅταν μὲν ὁμοτίμως ἀλλήλοις αὐξηθῶσιν οἱ χυμοὶ, πλῆθος τοῦτο καὶ πληθώραν ὀνομάζουσιν.. Cùm æqualiter adaucti fuerint ſucci illud plenitudinem nominant. Idem repetit & pluribus explicat 2. de medicam. ſecundùm loca .i. dum ait πληθώρα γίνεται τῶν τετάρτων χυμῶν, ἀνάλογον αὐξηθέντων, ἢ τοῦ αἵματος μόνου. Hoc eſt, Plethora eſt humorum quatuor ſeruata proportione adauctorum, aut ſanguinis ſolius. Quam definitionem Aphrodiſæus 2. Problematum ad verbum tranſtulit, εἰ δέ (inquit) οἱ τέσσαρες χυμοί, κατ' ἀναλογίαν αὐτῶν πόσοτητος αὐξηθεῖεν, πληθώρα λέγεται. Si verò quatuor humores ſeruata ſuæ quantitatis proportione fuerint adaucti Plethora dicitur. Quid iam per αὐξηθῶσιν ſiue αὐξηθέντων intelligendũ putet, indicant hæc quæ ſequuntur πλεονάζον, τὸ αἷμα ποιεῖ μόνον πληθώραν ſolus redundans ſanguis Plethoram efficit. vbi longè meliùs & ſignificantiùs verbo πλεονάζειν vſus eſt quod exceſſum denotat non quemlibet vt αὐξανόμενον vel αὐξόμενον, ſed notabilẽ qualis ad Plethoram requiritur. Qua de cauſa non ſatis cumulatè rem explicant præfatæ definitiones, cùm hoc nomine, tum etiã quia

Item lib. 4 method. c. 4.

augmenti locum non declarant: si quidem cum partem aliquam corporis occupant humores, plenitudinem non efficiunt propriè dictam, sed Phlegmonem; aut quid aliud, puta πολυαιμίαν particularem. At verò tum demùm Plethora est cùm immodica humorum portio in toto consistit. Ex quibus legitima hæc definitio desumi potest: Plethora est humorum aut omnium seruata proportione debita, aut solius sanguinis in toto corpore redundantia, cum vasorum distentione. Dicitur, humorum omnium aut solius sanguinis, solus enim sanguis in Plethoricis dispositionibus amplissimum excessum adipisci potest, nullus aliorum humorum potest alioqui pro plenitudine Cacochymiam efficient. Neque id satis est, vt humores omnes augeantur, nisi etiam proportio seruetur; quanquam leuis vnius excessus Cacochymia non procreat. Neque tamen necessarium est, vt in omnibus omnino partibus Plethorica dispositio inueniatur, dummodò in plurimis & præcipuis, quibus recepta loquendi consuetudine totius denominatio tribuitur. Deniq; non omnis exuberantia, at ea quæ tẽsionẽ facit plenitudinem parit, nam si sanguis eatenus augeatur, vt venas nondum distendat, Plethora non est, inquit Galenus. His sufficienter, quantumuis breuiter explicata videtur Plethoræ definitio: dissentientes tamen inter se video Medentium animos, quorum vt lites componamus, tria sunt ad examen

Libro de plenitud. Cap. 11.

Gal. ibid. cap. 11.

ibid. ca. 11.

ibid. c. 11.

idẽ lib. de plenit. c. 7

accuratiùs reuocanda. Primum quare dicatur reuocanda. Primum quare dicatur solius sanguinis: Alterum aut humorũ omnium. Tertium seruata proportione.

Illud in primis fundamenti loco statuẽdum est, plenitudinem qua de loquimur, seu Athleticum habitum (quem postrema definitione expressimus) in solo sanguine consistere, neq; vnquam ab ijs humoribus effici, qui à sanguinis natura recesserunt.

Veram plenitudinem intelligo, quam postmodum à spuria suo loco distinguem⁹, Quorsum igitur (inquis) humorum omnium in definitione fit mentio? Ad huius nodi solutionem notandum, sanguinem bifariam spectari à Medicis; vel vt humor est à cœteris tribus propria essentia distinctus, purus, atque ab omni concretione alienus, qualis nunquam visus est in venis, vel vt vocatam sanguinis massam constituit. Hanc verò ex varijs constare substantijs demonstrat tum ortus nostri, tum conformandum alendarumque partium necessitas, Quæ cùm tanto interuallo à se inuicem discrepent tum temperamenti, tum substantiæ ratione, vt diuersam planè, ne dicam contrariam, videãtur naturam sortitæ, fieri non potest, vt ab vno omnes eodemque fonte promanarint, eodemque veluti pabulo instaurentur. Itaq; quemadmodum in musto, plures continentur partes, quæ, vino postmodùm sufficienti coctione defæcato, se se produnt vniuersæ; Pari modo in sanguine quo-

Gal. libro de plenit.

rumdam permixtionem concedamus necesse est, quæ tam variè & tam longè dissectarum inter se partium structuræ constituendæ, restituendæ, atque conseruandæ sufficiant. Illud pridem ab Aristotele proditum est, ijsdem conseruari nos atque sustentari, ex quibus cõstamus? Num ergo quæ in auras quolibet momento temporis euanescit substantia penitùs Heterogenea, homogeneo atq; vniformi succo reparabitur? Id si admiseris reluctabitur sensus, qui in coagulato lacte (quod sanguinẽ ferunt dealbatum) in ipso extracto sanguine, non obscurè partes à partibus secernit. Sanguinis igitur appellatione, quatuor humores communiter designantur: Non ij quidẽ synceri omnes, quales in suis conceptaculis asseruantur, sed variæ eiusdem sanguinis partes, ad ipsos substantia, tẽperamento, & calore quàm proximè accedẽtes. Crudior nimirũ sanguinis portio cùm frigidam & humidã nacta sit temperiem, quẽadmodũ & pituita, pituitæ nomine donatur: Quæ terrestris, frigida, & sicca: melancholiæ; Quæ ignea calida, & sicca, bilis, cuius naturam perbellè imitatur. Omnium postremæ quam Aëream nonnulli, calidamque & humidam esse volunt (cùm tamen substantiæ, & qualitatum moderationẽ quandam obtineat) toti⁹ appellatio tribuitur. Hæc reliquas portiones sua quantitate longè multumque exuperat: sequitur proximè pituita: tertio loco melancholia, Bilis omnium paucissima, ea ipsa proportione, quam in su-

peruacaneis humoribus deprehendimus. His ita constitutis nullius negotij erit propositas enodare, Perspicuum enim est, per humores omnes sanguineam massam indicari. In his porrò humoribus quantumcumque increscant, declarata proportio requiritur, vt perinde omnino sit humores æqualiter, aut secũdùm analogiam adaugeri. Vitiatur enim de necessitate proportio, nisi æquale sit omnium incrementum, solus peculiari nomine vocatus sanguis, ab hac conditione excluditur, vt meritò in definitione sit additũ aut sanguis solus.
lib. 2. sect. 5. cà. 1. Et hanc veram & Germanam Galeni mentem fuisse arbitror, quamquidem Fuchsius longè diuersa ratione exposuit, cum inquit, neque est cur aliquem turbet quod hoc loco plenitudinem etiam esse tradat, vbi solus sanguis supra modum aut proportionem augetur. Nam sanguinem intelligit venarum, qui purus non est & simplex, sed alios sibi permixtos humores obtinet. Qua oratione quid absurdiùs dici aut excogitari potest. Definit Plethoram Galenus, quando humores quatuor proportione augentur, aut solus sanguis, per humores quatuor sanguinem denotari profitetur Fuchsius, his verbis. Nihil autem refert siue ex æquo humores omnes, siue sanguinem redundare dicamus. Quorsum igitur tam ridicula & malè consonans, in breui sententia repetitio, quam excusare non potest Fuchsi⁹, cùm per solum sanguinem non minus quàm per humores omnes, integram massam ex qua-

tuor humoribus conflatã interpretari audeat? hunc enim sensum efficit, plenitudo fit quatuor humoribus proportione, auctis, aut quatuor humoribus invsitata sanè loquẽdi forma, tanto Doctore prorsus indigna. Quorsum verò disiunctiua illa particula aut, nisi vt res significentur à se inuicem distinctæ? At impermistus (inquit) syncerusque sanguis nusquã in venis reperitur. Quid refert? ergo redundare non potest sanguis, quin vnà cæteri cum ipso commisti humores augeantur. Hoc ipsi necessariò concludendũ est, repugnante etiam ratione, & experientia, aut frustra Galeni authoritatem in medium protulerit, dum ita hãbet. Idem est si solum sanguinem dicas aut humores omnes, quoniam is ab humorum permixtione sola mentis operatione seiungi potest, re ipsa non potest. Et hoc ita esse Galeni testimonio comprobat. Sit ita; quid repugnat quominus purissima ipsius portio (quàm cæteris tribus sua quantitate superiorem esse diximus in homine naturaliter constituto) pro caloris & alimenti bonitate supra naturæ ordinem increscat, reliquis aut parum, aut ne minimum quidem adauctis? Stat nostra ex parte Galeni authoritas præcedenti quæstione allegata, dum ait solum sanguinem in Plethoricis dispositionibus amplissimũ excessum adipisci posse, nullum aliorum humorum posse, vbi apertè sanguis pro humore distincto ponitur. Id quod satis indicat vox illa (solus) quæquidem separatim & distinctè significatur quartus *lib. de ple. ca. 11.*

humor, vt ſpecie & eſſentia propria, ita etiam nomine à cœteris diuerſus. Neque alium patitur intellectũ hæc oratio, niſi Galenum noſtro potius nutu & arbitrio, quàm ex propria ſua intentione loquentem inducamus.

Dicet aliquis doceri idipſum à Fuchſio, ſed negari Plethoram quæ ſoliꝰ eſt ſanguinis, eam eſſe de qua diſceptamus, quam Plethoram ſimpliciter vocant, dicẽdam potiꝰ cum adiectione ſanguineam, atque in idem referri genus cum biliosa, pituitoſa, & melãcholica. Miror equidem Fuchſium virum alioqui doctum atque oculatum, in re tam manifeſta & facili, ita grauiter allucinatum atque occœcatum, vt non modo ſententiam effingat toto (quod aiunt) cælo à veritate alienam, verum etiam Galeno falſiſſimè imponat, atq; ab eo dicta in contrarium omninò reprobumq; ſenſum diſtorqueat. Hæc ſunt Galeni verè aurea, quæ à Fuchſio in ſuæ opinionis confirmationẽ afferuntur, quam tamen funditus euertunt. Fiet autem hæc (de Plethora agens) quatuor humoribus ex æquo auctis, aut ſolo ſanguine. Nam cum alius quiſpiam humor redundarit, velut eſt pituita, flaua bilis, itemque nigra, eiuſmodi auctionem ſiue redundantiam non plenitudinẽ, neque ſimpliciter multitudinem, ſed cum adiectione pituitæ, aut flauæ bilis, aut nigræ plenitudinẽ dicunt. An poteſt quicquam clariori aduerſus Fuchſium oratione enunciari? Prodeat nouus aliquis Grammatices Tirunculus, illicò cùm hæc legerit, ſanguineam

plenitudinẽ ſub alio contineri genere, quam biliosã, cæteraſque enumeratas conſtanter aſſeuerabit. Illam quidem ex Galeni mente ſub vera & ſimpliciter tali, has ſub plenitudine ſecundùm quid, ſiue cum adiectione dicta reponet. Et ſi verò ſigillatim eodem capite tum ſanguineæ, tum aliarum indicia in libro de plenitudine deſcribuntur, putandum idcirco non eſt, ad idem genus vniuocum pertinere vniuerſas: ſecus omninò res habet: imò ne bilioſa quidem, pituitoſa & melancholica, plenitudinis, at Cacochymiæ appellationem merentur. Niſi fortè admodum exiguũ cæperint exceſſum, quo caſu etiam æquiuocè, aut ſaltem analogicè generis nomen & rationem participant, Solus itaque ſupra naturæ leges redundans purus ſyncerusque ſanguis legitimam plenitudinem efficit. Nam ſi lutea ſola bilis aliquãdo vt in ictericis ſuperauerit, ait Galenus, non etiam talis affectus Plethorica diſpoſitio, ſed humorum vitium eſt, itidem quoque in atra bile, & pituita *lib. de plenit. cap. 11.*

Ex his euidens eſt allegatam ſuperiùs definitionẽ ei tantũ Plethorę ſpeciei propriè competere, quæ ſibi Plethoræ nomen propriè & peculiariter vẽdicat. Ab ea tamen cæteras quoque differentias quantumuis improprias venari licet, quandoquidem rectum ſui iudex eſt, & obliqui, Et diuiſionis principium (ſi Galeno credimus) ab eſſentiæ ratione petitur rei diuidendæ conſtituta. Manifeſtum quoq; eſt Plethoræ appellationem eius quæ ad vaſa *2. Method.*

dicitur, non alterius verè & absolutè esse propriam: Analogum enim simpliciter & absolutè positũ sumitur pro præcipuo analogato.

Sed hic insurgit scrupulus ante eximendus quàm ad Plethoræ differentias transeam⁹; Redundantiæ vox perperam in definitione pro genere videtur admissa, nam quæ ad virtutem est plenitudo, absque redundantia inuenitur, potest quippe reddita vis infirmior à solito, & ordinario, ac naturali pondere grauius premi, imò & opprimi, senum & conualescentium exemplo, qui sub leui admodum & pristinis viribus valde suppari sarcina fatiscunt.

Respondeo simpliciter loquẽdo vt nullum est sanguinis supra naturæ ordinem incrementum, sic nullam quoque eiusdem in plenitudine qua de sermo exuberantiam simpliciter agnosci, sed solum comparatiuè, & in ordine ad vires, quarum respectu quantuluscunque is est, multus est, & vt nimius detractione minuendus.

Quomodo verò hanc plenitudinis speciem, cæterasque omnes quantumuis improprias ex ꝓposita definitione inuestigare liceat, aperio.

Quotuplex sit Plethora.

QVÆSTIO QVARTA.

Gal. 1. methodi. c. 5. QVemadmodum fieri non potest vt aut differentias generis illius aut species inuenias, ipso quod diuiditur non planè explorato

rato, sic viceversa diuisionem ex definitione colligere non magni est operis. Ista nos methodo progressi ex præfata definitione Plethoræ species eruamus.

Generis locum tenet redundantia, est ergo de genere quantitatis quæ cũ suscipiat maius & minus diuidj commodè Plethora potest habita maioris & minoris ratione, in summam, qualis est Athleticus habitus: in mediocrem, & leuem. Quid si obijciat quispiam maius & minus non variare speciẽ? Dico immutare saltem, aut limitare medicas intentiones & actiones. Qua ratione ductus Galenus non modo differentias istas non prætermisit, sed etiam in singulis Plethoræ speciebus ipsas agnouit.

Plenitudinis quidem in genere sub hac distinctione meminit libro de curandi ratione per sanguinis missionem, dum attendendum monet plenitudinis tum quantitatem, tum qualitatem: Est igitur aliqua in plenitudine penes quantitatẽ discretio, non alia sanè quàm prædicta. *Cap. 6.*

In ea quæ ad vasa tantè eandẽ differentiam videtur insinuasse in primis definitionibus à nobis propositis, non solius incrementi mentionem fecit nulla tentionis facta mentione. Nam si verum est tam adesse multitudinẽ cum humores sunt adaucti tot certè erunt multitudinis differentiæ, quot humorum incrementa. Quanquam non negarim (quod iam ante pro confesso est positum) ad veram plenitu- *13. Metho. 12 de cōp. loca.*

dinem quæ ad vasa dicitur, tensionem requiri, sed hæc ipsa tensio in maioris minorisq; ratione euariat, vnde varias quoque plenitudinis differentias in Medicos vsus transferimus, de plenitudine ad vires hæc in methodo legũtur: Si abundantia viribus paulò superior fuerit, vtique ex moderata euacuatione adeò nullum accedit viribus incommodum, vt etiam maximum comparetur commodum, quod eas premebat sublato: sin quo affectus sanetur multa vacuatione est opus, resoluatur autem ex tanta inanitione virtus, non modo rursus homini non proderit, sed etiam illi maximum periculum afferet.

9. Metho. 10.

De plenitudine cum adiectione dictum paulò ante fuit ex libro de plenitudine hanc Cacochymiã veriùs quàm Plethoram appellari, nisi admodum exiguum cœperint excessum redundãtes humores. Ecce vt variatur quodãmodo species maioris & minoris ratione.

Gal. lib de cur ratio. per sang. miss. 10.

De pituitosa hæc eiusdẽ est oratio. Habebis vero crudi succi exuperantis indiciũ tum colorem plumbeum, tum ex pallido album, omniaque potius quam rubrũ, tum pulsuum inæqualitatem, si verò etiam admodum creuerit talis plenitudo, tum & corporis illius grauitas inest, atque ad motus prigritia, tum mentis tarditas & sensus hebetudo.

Hactenus Galeni testimonio confirmatam accepimus quam ex redundantiæ differentijs petimus diuisionem, eandem per omnia Plethoris genere sparsam atque communem. Et

hæ quidem differentiæ tanto magis impropriæ æstimandæ, quantò longiùs à veræ Plethoræ copia defecerit, cuius notabilem desideramus excessum, qualis est à Galeno definitus, & cuius gratia definitioni addita tentionis clausula, penes quam ipsius quoque differentias secundùm maius et minus discerni prodidimus.

Libro. de plenitud. cap. 7.

Verum quæ ad vires est plenitudo verbo tentionis definitioni addito ab ea quæ ad vasa dicitur, secernitur. In illa quippe grauitatis, ac veluti incumbentis oneris, non tentionis sensus. Vtramque nihilominus ex redundantiæ verbo depromimus, Nam redundantia ad eorum genus pertinere potest quæ sunt ad aliquid, quare & si qua erit exuberantia sanguinis ad idem prædicamẽtum spectabit. Sanguinis abundantia vel ex aliorum humorum comparatione æstimatur, vel ex eiusdem relatione ad vasa. Priore modo, sanguineam peculari nomine vocatam plenitudinem inducit, ab ea solo nomine distinctam (imò vna eademque appellatione comprehendendam) quam propriè & resolutè Plethoram nominamus. Si posteriore, iterum distinctione est opus, duo quippe reperio in vasis continentibus, locum scilicet seu capacitatem, quæ ambientis corporis est superficies locatum continens: & virtutem, siue facultatem, cuius proprium est contentum moderari atque conseruare. Ex relatione contenti sanguinis ad locum oritur plenitudo ad vasa,

Ex eiusdem relatione ad virtutem, nascitur plenitudo ad vires.

Duplicem hanc plenitudinem nullibi non admisit Galenus. Eo quidem libello vbi rem ex professo discutit, illos grauiter reprehendit qui multitudinem aut grauitate sola, aut sola vasorum tentione metiebantur, tandemque desumpto à similibus argumento vtramque Plethoræ differentiam aperté conuincit. Audire (inquit) vel populares licet quæ sine pertinacia dogmatis asserendi, id quod ipsis accidit planè interpretentur: Nēpe quod interim à cibo ingesto quamuis exiguo grauentur ac opprimantur. At ventre nimia ciborum copia distento, rumpi ventriculum sibi propemodum aiunt. Atque in his ventrem summoperè intentum cernimus, in illis quandoque etiam contractum. Hunc eandem dispositionem mutuatis tum à vesica, tum aliundè exemplis illustrauit, vt iam difficile non sit binas plenitudinis species adstruere, quas inquirimus. Prima est quæ ventriculo presso: altera quæ respondet intento. Illam πρὸς δύναμιν appellant, & virtutem, cuius respectu Plethoræ nomen obtinet, cōnotant. Hanc κατὰ τὸ ἔγχυμα id est ad succū. Nam is necessario exuberat, vel vocāt simpliciter ad vasa. Illa tum adest cum eo ventū incremēti vel ita debilis natura, vt laudatos humores moderari amplius non possit. Hæc, cum præ vbertate sanguinis vasa distenduntur.

Libro de plenitud. cap. 2.

Quæret curiosus aliquis, cur illā potiùs quam istam vocemus plenitudinē ad vasa, cùm vir-

tus propius ad vaſorum aſſentiã accedat quàm conformatio? Tritum enim apud Phyſicos axioma. Operatio ſequitur virtutem, virtus eſſentiam. Reſpondeo vacuum aut plenũ connotare ſpatium neceſſariò, & ex natura ſua, non autem virtutem aliquam conſeruantem, aut regentem, id in artificialibus, extra controuerſiam eſt, non enim Cyathus aureus aut argenteus vinum, aquam, cæteroſque infuſos, liquores ſuapte natura à putretudine vindicant. In naturalibus quidem admittendum loci proprium eſſe locatum tueri, priùs tamen eſt, imò de ratione & eſſentia loci eſt, vt locatum contineat. Primum itaque naturæ inſtitutum in vaſorum conformatione hoc fuit, vt ſanguinem continerent, vnde poſtmodum tanquam ex penu caloris fomes depromeretur, & quaſi per tubos, ſeu canales, in omne corpus diſtribueretur alimentum; Huius finis gratia concauam formam obtinuerunt. Conſequens ad iſtud erat eiuſdem naturæ prouidentia, vt receptum humorem inſita vi & facultate à corruptione præſeruarent. Primarij illius intenti gratiam conſentaneum eſt, vt ea propriè & καθ' ἐξοχὴν dicatur plenitudo ad vaſa, quæ ipſa tanquã continens, & tanquam corporis ambientis ſuperficiem reſpicit.

Additur definitioni humorum omniũ, quod eſt, (vt explicuimus) maſſæ totius ſanguineæ, ſiue ſuccorum laudabilium ex quibus ipſa componitur. Hac particula definita ſpecies ab ea diſtinguitur quam impuram nuncupant,

in qua impurus putridusque sanguis cum laudabili coniungitur. In hanc quandoque degenerat vera plenitudo, atque ea potissimam quæ ad vires refertur. Cùm enim gubernatrix corporis virtus moderari humores nequit, calido loco conclusi computrescant necesse est. Putridam huiusmodi affectionem plenitudinis nomine dignatur Galenus, quamdiu superuacaneo depulso, id quod superest in pristinam cum natura gratiam redire potest. Nos distinctioris doctrinæ gratia impuram nominamus, vt mixtus ex plenitudine & Cacochymia affectus, ipsa voce exprimatur.

2. Aphor. comm. 17.

Sequitur in definitione aut solius sanguinis: huic particulæ opposita est altera, cui nō nisi improprijssimè plenitudinis appellatio competit, cùm videlicet redundat cæterum humorum aliquis à sanguine alienus: Talis namque excessus vera Cacochymia est, neque quicquã commune habet cum Plethora, præter redundantiam.

Ex hac postmodum clausula (in toto corpore) nascitur alia Plethoræ diuisio, in vniuersalem, & particularem: Particularis tamen plenitudino gemina non censetur, & sub πολυαιμίας potius quàm sub plenitudinis genere continetur.

Vltima definitionis clausula est *seruata proportione*: Quemadmodum igitur humorum omnium incrementum cum laudabili, & naturæ conuenienti proportione τὸ πλῆθος efficit, sic eiusdem proportionis immutatio ali-

quam necessariò speciem constituet ab hac distinctam, illa est quæ dicitur plenitudo cum adiectione, Puta biliosa, pituitosa, melancholica, aut ex his mixta, quoties horum humorum aut vnus, aut plures à symmetria deficiunt. De hac specie Galenus quantùm satis est, libro de plenitudine, & alibi, vt ex præcedentibus manifestum est.

Præter has simplices, Plethoræ species, est alia quædam composita, quando quæ καθὰ τὸ ἔγχυμα dicitur, cum ea quæ ad potestatē pertinet inuenitur; possunt enim cum tensiua Plethora validæ integręque vires, aut fractæ, pressæque consistere.

Hæc ad clariorem eius de qua in Aphorismo εὐεξίας distinctionem fuère delibanda. Ex quibus iactatam ab Argenterio in medicinæ parentem conuicium depelli nullo negotio potest, & in ipsum auctorem detorqueri.

Is Galenum arguit tanquam minus accuratum, quod depromptam à proportione, plenitudinis differentiam obmiserit. Eius verba sunt. Multum sæpè dicimus esse in corpore humorem, vt multam pituitam, multam bilem, quæ tamen nec vires grauet, nec vasa distendat, sed quod proportionem, quam cum alijs humoribus habere debet, excedat: alioqui quomodo quæso huiusmodi redūdantiam multam multiplicabimus, si ea duo duntaxat ponantur ad quæ omnis multitudo refertur. Hactenus Argenterius miris errorum plexibus irretitus.

Errat in primis grauiter, si alias distinctæ vndequaq; à Cacochymia Plethoræ differentias agnoscit præter eas quę ad vasa, & quæ ad vires, de quibus intelligendus Galenus dum à Plethoræ albo cœteras species excludit, quæ Cacochymiæ naturã & definitionem sapiunt, & quodãmodo obtinēt. Errat præterea dum petitam à redundãtia differentiã ad solam disproportionem refert, quandoquidem multum quandoque dicimus sanguinem seruata etiamnum debita proportione, cùm is auctus est, non ita tamen, vt vel tentio consequatur, aut grauitas. Et hanc quidem differentiam longè præstabat Plethoram appellare, quàm eam de qua Argenterius quæ nihil omnino cum vera plenitudine commune habet: vera enim præter tensionem requiritur solius quantitatis vitium, non etiam qualitatis. Qualitas illicò vitiosa est cum proprio non seruatur in humoribus à sanguine alienis. Addo veram ab Argenterio Plethoræ notam elidi, cum Plethoram imaginatur sine distentione, aut grauitate. Vera namque & Germana Plethoræ ratio in sanguinis ad vasa comparatione posita est. Alias si sanguinem in se spectes vt solitam suam portionem excedentē πολυαιμίαν melius recepto antiquis loquēdi more quam πληθώραν nuncuparis. Denique præceptorem optimum Galenum falsò, vt alibi sæpè, insimulat: Hæc enim Argenterij petita à disproportione differentia, illa est quam plenitudinem cum adiectione vocat Galenus, sed iam

prætermisso Argenterio singularum specierum indicia proponamus.

Quibus indicijs Plethoræ species dignoscantur?

QVÆSTIO QVINTA.

Quæcunque legitimè, hoc est ex arte methodo, instituitur curatio, debet ab affectus dignotione proficisci: Non enim aliundè remediorum intentiones & scopi depromuntur. Incerta proinde & lubrica Pharmacopœorum, Barbitonsorũ, Chymistarũ, eiusdemque farinæ imperitorum hominum medendi ratio, qui nihilo amplius in discernendis affectibus exercitati, quàm quilibet è plebecula, quæ alteri cuipiam simili in casu profuisse compererint, in omnibus promiscuè nullo consilio experiuntur: Quasi verò eadem sit prorsus singulorum hominum vis & natura, idem causarum impetus & effectus, aut ægritudines longè diuersæ, ijsdem planè symptomatis plerumque non vrgeant, aut denique nullæ vnquam corporis affectiones alias atque alias quadam affinitate mẽtiantur. Istud modò patebit meridiana luce clariùs, dum gemina veræ Plethoræ cæterumque specierum indicia proferem⁹. In quo quidem peragendo dicendorum materiam certiùs maiori cum fructu quàm à Galeno nostro mutuari

à nemine certè possumus. Multis ille confusè prodita à veteribus Plethoræ indicia confutat, inter cæteros Erasistratum grauiter increpat & coarguit, ex virium incremento mediocrem venarum infarctum colligentem, Quasi verò sanguinis augmentum, vel decrementum, necessariò, vel facultatis accretio, vel eiusdem consequatur immunitio. Ommitto cætera rerum euentui minus consentanea, ab eodem Erasistrato tradita quæ ex dicendis facili negotio refellentur. Quemadmodum & ea quæ ab Empiricis iactabantur, & à Galeno pariter non leuibus argumentis cõuelluntur, longum esset tot nugas repetere parum experientium hominum.

Libro de plenitud. cap. 6. 7. 8.

Nostrum potiùs intentum expleamus, Plethoræ indicia peruestigemus, proposita ab Herophilo θείχρονονση μείωσιν id est trium temporum obseruationem sequuti, non tamen Herophilo, sed Galeno duce.

Primum igitur ante omnia repetenda memoria sunt ea, quæ Plethoricæ. Diathesi inuehendæ fuère idonea. Vnum profert in commentario Galenus efficacissimũ, copiosiorem scilicet quam quæ ad naturæ opera desideratur nutritionem. Idem libro de plenitudine iterũ inculcat aliaque deinceps enumerat his verbis. Perpendendum solita né excretio retenta aliqua sit, nunquid exercitatio neglecta, num ciborum alentium copia assiduè ingesta. Num à cibis insolitorum balneorum vsus, nunquid in Plethoricos affectus consueta pro-

Cap. vltimo.

pensio. His omnibus & ea quæ ex loco & anni tempore obseruantur & si quid aliud est id genus, adiungēda; Et postmodum paucis interiectis. Nam hyeme (inquit) ac vere & frigidis locis, & benè temperatis multitudinem magis aggregant, minùs calidis & siccis temporibus, locisque. Ita verò & qui superficie densa sunt magis; parciùs autem qui rara hac oratione sic acuratè & integrè prosecutus est singula, vt reliquum ferè sit nihil quod desideres. Dicam ego idipsum at breuiùs. Quicquid copiosam probatorū succorum congeriem profert, aut liberiorem ipsorum efflatum & dissolutionem remorari solet, natura aptum est vasa corporis infarcire. Verum istud forte sigillatim sibi explicare cupiunt iuniores. Age igitur præter antedicta (quæ ad externarum causarum genus fere pertinent omnia) Maximam hac in parte vim habent. Temperamentum ad moderationem proximè accedens, aut in calido, humidoque mediocriter excedens. Ætas florens: interna corporis constitutio, laudabilis & quadrata, ad quam externarum partium densitas & mollities atque his contraria referuntur. Huius itaque ordinis aut plurima, aut simul omnia cùm præcesserint & conspirarint, inductæ plenitudinis legitimam suspicionem afferent. Quibus si totius corporis rubor, venarumque tumor accesserint (vt ad diagnostica veniamus) conceptam opinionem confirmabunt. Venarum tu-

morem dixi: Carnium enim ac pinguedinis moles, illorum ipſorum multitudo fuerit, non tamen ea quam modo inquirimus, quæque Plethora nuncupatur. Atque hoc quidem à vaſorum prominentia petitum indicium peculiare illis eſt venis, quæ oculis ſubijciuntur non omnibus communes, Iis puta quæ intimis viſceribus deliteſcunt: ſi tentio quoque præter hæc affuerit, non modo plenitudinem, ſed & copioſam ipſam ſubeſſe deſignabit, eam ſcilicet quæ ſibi propriè & καθ' ἐξοχὴν hanc appellationem arrogat. Tertio non internis duntaxat partibus agnoſcitur, ſed etiam in intimo corpore valida quandoque perſentitur, tumore nullo exterius prodeunte. Hic porrò omnibus apparentibus coniecturis non illico ſubſiſtendum: deque multitudine congeſta indicium indubitatè ferendum, fallunt iſta perſæpe, atque imprudentibus imponunt, vt hinc ſerio nobis iterum atque iterum commouendi ſunt Empirici, quantis ſe ſe errorem laqueis implicent, cum leui aut nullo (quod in dies accidit) argumento, de propoſitis ſententiam dicere, Doctores ſe mentiri, Doctoribus ipſis (quo non progreditur impudens rudiorum audacia) clanculùm contradicere; ipſorum decreta inuertere, cœlum terramque miſcere, turbare, confundere, labefactare omnia non verentur.

Rubor (inquam) tumor, & violenta vaſorum tentio plenitudine nulla exiſtendi, à procatarcticis cauſis non raro oriuntur. Ve-

hemens exercitium, fusis atque in spiritum resolutis humoribus illa procreat. Eadem vis est Thermarũ, solis, acutarum febrium, quorumdam animi pathematum: denique eorum omnium quæ vehementem corpori æstum feruoremque concitant. Quæ singula diligenti trutina ponderanda veniunt, antequam euacuandi consilium ex præfata syndrome ineamus. His amplius addendæ pulsuum atque vrinarum differentiæ multitudini familiares. Pulsus transfuso in arterias per ἀναστόμωσιν sanguine, crebri, celeres magni, pleni, vehementes, atque æquales efficiuntur, quemadmodum in synocho simplici, cuius maxima est cum Plethora similitudo. Vrinæ humoris à quo deciduntur colorem referre solent: Quamobrem in vera plenitudine sanguinis ruborem præ se ferent? Non in sola tamen, sed & in acutis febribus plerumque, nec non in Attritu calculi renum tales deprehenduntur: ac præterea in Iecoris imbecillitate, Phlegmone, scirrho, obstructionibus, loturas carnium nonnumquam imitantur. Etsi verò in hisce affectibus, colore quodammodo conueniunt vrinæ; substantia nihilominus, perspicuitate contentisque differuntur, quorum diuersitatem curiosi indagatores non difficile internoscent, additis etiam aliunde petitis coniecturis.

Hactenus de prompta ex præteritis & præsentibus indicia; vnicum superest ab euentu. Itaque si quando eodem conspirarint præ-

dicta, tum demum acta probabit exitus: Cui euacuatio larga contulerit cum dispositione Plethorica laborasse non malè inferem⁹. Non tamen è contrà sequitur necessariò eum non fuisse Plethoricum cui illa obfuerit. Sunt præter multitudinem non paucæ externæ internæque causæ quæ facilem aut difficilem reddunt sanguinis detractionem. Huius generis sunt (exempli gratia) regio cœli, constitutio, anni tempus, Venus, animi Pathemata, ætas, temperies corporis, atque habitus, sua cuiusque peculiaris natura & conditio, & si quæ alia parem his facultatē obtinent, quæ consilium medentis aliò pertrahunt, atque inopinatos euentus, plerumque inuehunt: Hæc de Plethora tensiua quæ facile est proportione adaptare ei speciei quæ ab ipsa sola maioris aut minoris ratione discernitur. Particulari quoque competūt plenitudini vt pote quæ loco solùm ab vniuersali discrepat.

Plethoræ cum adiectione signa nullo negotio colliget, quisquis in exuberantis cuiusque humoris cognitione versatus erit, tantum enim ad symptomata redundanti humori cuilibet peculiaria deflectet, quantus erit à symmetria recessus. Impropriissima illa se prodet manifestiùs, cùm cacochymiæ naturam propiùs accedat, cuius antea notas diffusè enumerauimus. Quod si putredinem contraxerit humor, notæ putredinis aderunt experto Medico non obscuræ.

Ea quæ ad virtutem ſpectat plenitudo, cognitu præ cœteris maximè ardua eſt, quæ enim ipſam indicare referunt nonnulli. Qualia ſunt nutritio imminuta, pigritia ad motum cœteraſque functiones, vitiatus color, deiecta appetentia, & ſi quæ alia huiuſmodi, non magis plenitudinis, quam Cacochymiæ aut diſcraſiæ ſunt indicia. Grauitas verò ab ijs tantummodo qui natura ſenſu exquiſitiſſimo ſunt præditi, obſcura admodum & profunda percipitur. Signum ex arteriarum motu petitum cœteris conſentientibus certiſſimum: Hunc ſtatuit Galenus in vna pulſatione inæqualem. Omnium fideliſſimum eſt ſanatio: ſi enim extracto ſanguine recreētur vires, toto corpore grauitatis ſenſus abſcedat ὁμαλὸς ſit arteriarũ pulſus, qui prius ἀνὸμαλος, Grauatam anteà humorum plenitudine, atque oppreſſam fuiſſe naturam non iniuria decernemus. Quæ vna vires aggrauat, & vaſa diſtendit multitudo tantò grauitati ſua moleſtior eſt, quantò ſimplici eſt auctior, nec priſtinam retinet in pulſu æqualitatem; cœteraque mixtas habet hac propemodum confuſas vtriuſque Plethoræ notas.

Gal. libro de plenit. Cap. 11.

Quæ ſint cuiuſque Plethoræ incommoda.

QVÆSTIO SEXTA.

HVius inquirendi nobis occaſionem præbet Hippocrates hoc Enthimemate. Cum neque in eodem ſtatu permanere queant neque proficere in melius, reliquum eſt, vt in deterius corruant. Neceſſaria ſanè conſequentia, & iuſta ſingularum partium enumeratione deducta.

Primam antecedentis partem ſuo cōmentario illuſtrauit Galenus, dum ait, naturam feriari nunquam, ſed indefeſſo labore & induſtria coctionem, diſtributionem, generationem ſanguinis, adiectionem, adglutinationem, atque aſſimilationem perpetuò moliri. Cum enim cognitione nulla feratur in opus, agit ipſa pro viribus. Quanquam in penuria alacriùs, quam in ſumma alimenti affluentia dictas facultates exerit. Ne verò exceſſum defectumuè alimenti proprij nobis ignorantibus, vel continua cibi ingeſtione corporis moles iaceret obruta, vel eiuſdem defectu prorſus elanguida, ſapientiſſimus ipſius opifex, ſuctionis ſenſum ventriculo indidit.

Hanc naturæ legem, negligūt plerique nati abdomini: præ cæteris Athletæ, quorum omne ſtudium in amplificando corporis, habitu, vt inde ad gymnaſtica euadant fortiores.

interim

interim vna cum mole carnium, ſummam humorum copiam coaceruant, vltràquam progredi non licet, quarè neque in meliùs proficere. Quid ſequitur? Illud neceſſariò vt in peius decidant niſi cautio adhibeatur. Immodicam ſanè ſuccorum vbertatem grauia comitantur pericula, quæ Aphoriſtica breuitas recenſere non ſinit, inſinuaſſe ſatiſ-fuit. Hæc igitur vti cætera, ex Galeno noſtro locupletiſſimo bonorum omnium penu, depromam[a].

Ilud obiter ex eiuſdem placitis repetendum eſt, plenitudinem vtranque tum quæ ad vires tum quæ ad vaſa, conſiſtere quandoque in corpore ſua munia probè obeunte. Quemadmodum cùm qui graue aliquod onus imparibus humeris imponunt non illicó vbi grauari fatigarique incipiunt victi concidunt: ita quoque redundantis ſucci copia, premi facultates contigit, non tamen deijci atque opprimi, aut valetudinem aduerſam protinùs indicij quanquam pro foribus eſt ægritudo, Hannibal eſt ad portas (vt eſt in prouerbio) ſubeſt periculum imminẽs grauiſſimorum Symptomatum: Quę enim ad virtutẽ refertur plenitudo, nullo negotio putredinem contrahit, quin etiàm in partes nonnunquam irruit, atque inibi tumores præter naturam excitat. *lib. de cur. ratio. per ſang miſſ. c. 4.*

Quæ verò κατὰ τὸ ἔγχυμα nuncupatur, non tumores modo, ſed & apoplexias infert verumque ruptiones, imò & ſubitam mortem *eodem lib. de cur. rat. cap. 5.*
Quoquidem Athletarum quorundam exemplo confirmauit Galenus. Horum omnium & *In comm. huius 3. ap.*

aliorum quæ modo proferemus inquirere rationes, non difficile est ei, qui primoribus (quod aiunt) labris medicinæ principia degustarit; ijs (inquam) peruestigandis solers natura, nullo doctore instructa suffecerit. Atque vt posteriorem speciem priore loco aggrediamur. Cui dubium esse potest venis humore turgentibus, ruptionis periculum impendere? Id (nisi oculis fidem denegemus) in externis rebus sæpè sæpius experimur.

Magno impetu franguntur dolia ebulliente musto, si fumos diutius negato exitu tanquam ergastulo coerceas. Disrumpuntur oua, Castaneæ, cæteraque id genus, nisi qui inter coquendum excitantur flatus, diductis sensim, sine sensu testis per poros efferantur. Finduntur nubes horrendo strepitu, cum vi detenta exhalatio liberè euagari nequit: Quidni & venis perinde accidat, ex quibus tales vi caloris concitati fumi exspirant & vapores,

Qualis caminis ignis ætneis furit.

Horum impetum perferre infractæ nequeunt, nisi fortè aperiantur. Sed apertionẽ æqualia ferè consequuntur incommoda, ferè inquam, symptomatum grauitate; leuiora fortè, remediorum difficultate.

Hinc enim sanguinis in partes decubitus tam internas quam externas.

Hinc Pleuritis, Hepatitis, Peripneumonia, Cinanche, Apoplexia, alijque Lethales planè affectus: hinc etiam sanguinis è corpore effluxus, qui nulla arte, nulla vi reprimi quan-

doque, aut cohiberi, possunt; Enimverò quod statis temporibus euenire ijs, asserit Galenus, quibus insigne membrum aliquod exsectum est, stimulante naturam alimenti copia, longè veri similius est Plethoricis accidere. Hoc sanè discrimine: illis quidem naturæ beneficio, & conatu, & moderamine, per conferentes vias, quantùm satis est, emanat sanguis: istis ipso sanguinis feruore, & impetu, nullo viarum delectu, nulla moderatione, qua data porta foras erumpit. Horum si fortassè neutrum acciderit conclusi proprio conceptaculo humores, efferuescunt. huic synochi, aut sanè (quod præ cæteris summè reformidandum venit) vti, ab ingenti lignorum aceruo, focus: ab oleo copiosiore, lucerna: ab vberiore cibo, ventriculus: à redundante sanguine, natiuus calor suffocatur. Vnde repentina mors obrepit, Christiano homini tantò pertimescenda vehemētius, quantò grauiorem minatur animæ simul & corporis ruinam,

Plenitudinem ad vires putredinem minari diximus; humida enim (qualis potissimum est sanguis) naturali calore destituta calidoque loco conclusa, facillimè computrescunt.

Addo etiam calorē partiū, cùm imbecillis & languidus, ac præterea multitudine sit oppressus, moderari sanguinis massam non posse, proinde in præternaturalem & igneum necessaria consecutione degenerare, vnde morbi postmodum ex putredine oriuntur, qualis

synochus putrida. Eandem ob causam faceſſit in impuram & eam speciem quæ cum adiectione dicitur, hæc plenitudo: Quando actione caloris ignei, ſubtiliores ſanguinis partes in flauam bilem commutantur, craſſiores in atram; vnde vitiatur proportio, & adſciſcitur impuritas. Ex hoc fonte poſtmodũ emergunt tertianæ, quartanæque & quocunq; aliud putridarum febrium genus. Tumores porrhò non rarò oriuntur, tum in his, tum in alijs Plethoræ ſpeciebus, dùm vel humores ſuopte pondere in ſubiectas itruunt partes, aut à fortioribus excuſſi, tanquam graue onus in imbecilliores deponuntur. Qui ſi acrimoniam (quod plerumque fit) ex putredudine contraxerint, vlcera inducunt externa, internaque, Dyſenterias, Hæmorrhoidas fluxus aliaſque Hæmorrhagias, Corroſis nempe vaſorũ oſculis. Hos affectus omnes, implacabiles vt plurimum dolores conſequatur.

Sed de his hactenus ſatis; ſi quæ Tironibus occurrent alia, poterunt horum imitatione ad propriam cauſam reuocari. Neque enim inſtitutũ nobis eſſe debet, niſi diſtinctioris doctrinæ gratia, de alijs quam de plenitudine exquiſita ſermonem inſtituere. Ad cuius ſolutionem verborum Hyppocratis & neceſſitatis conſecutione iam pertrahimur.

Qua ratione soluẽdus sit Athleticus habitus?

QVÆSTIO SEPTIMA.

BOnum Athletarum habitum sine mora soluendum monet diuinus Hippocrates. Solutionis nomine euacuationẽ eam intelligi, quæ sanguinem promiscuè, vnà cum reliquis humoribus exhaurit, definitum antea est, & demonstrabitur paulô post aliquantò latiùs. Huius præterea euacuationis plures species à probatis auctoribus afferri, dictum etiã in præcedentibus. Illæ sunt venæ sectio, exercitia, balnea, frictiones, cæteraque diaphoretica, atque ex accidenti inedia. Præter hæc somnum longiorem euacuatos exsiccare, tradit Hyppocrates: Eundem mox àdiscutiente Balneo extenuare Obesos auctor est Galenus, vt hoc noĩe inter euacuãtia iure merito numeretur. *Gal.2.aph. com.7.* *4. Aphor. Comm.2.* *6. Epid. sect. 5. 32. Galen. & & meth.*

Iam *Quæstio est, Quonam horum omnium modo, eximenda sit Athletica plenitudo?*

Et primum quidem si Galenum consulam⁹, & rationem sectemur ducem, de sectione venæ nulla videtur afferri posse difficultas. Est enim ipsa commune præsidium earum quæ ex plenitudine fiunt dispositionum, omniumque euacuationum exquisitissima, quæ plenitudinis affectionibus subuenire solent, nec non præueniendis, depellendisque huiusmodi affec- *6. Aphoris. Comm.47* *2. Aphoris. Comm.17. lib. aduer. erasist. c.4.*

tibus vnà facillima atque expeditissima. Quãobrem cæteris omnibus tum Galeni auctoritate, tum communi doctorum omniũ consensione & suffragio præferenda. Erasistratæos excipio, quorum ergo futilem & plane exitialem sententiam lõga oratione confutarem, Nisi Galenus ipse, conscriptis aduersus illorum placita libellis duobus, hunc mihi laborem ademisset. Galeni verbis adstipulati vndequaque Hyppocratis intentio, si enim nulla interposita mora, solui hunc habitum necesse est, ad illud præsidium quod aliorũ omnium celerrimum est recurrendum erit: tale est venæ sectio: Ergo præ cæteris ipsa deligenda. Ad hæc si æqualiter adaucti sunt humores laudabiles (quales in exercitatorum habitu supponimus, aliàs summè bonus dici non posset) equidem illo vtendum euacuãte, quod omnes æqualiter adoritur, & exquisitissimè scopo intento satis-facit. Huiusmodi autem cùm sit venæ sectio quidni cæteris præponatur? Quid quod præter alias vtilitates, id habet sibi peculiare & proprium, quod sanguinem secta vena erumpentẽ cohibere, ac nostro arbitrio moderari licet, & humoris euacuandi quantitatem certis indicijs definire: Cæteræ vacuationes pendent à fortuna: Nam si quæ iactura virium impendeat, si maior quàm par est educatur copia, se se prodit illico in arteriarum pulsu, in sanguinis colore & motu prænuncia quædam mutatio, summum equidem in detractione sanguinis bonum, in omni euacua-

lib. aduer. Erasi. & Erasistra.

Gal lib. de vena sect. aduersus erasist. c. 7.

tione votis omnibus expetendum, posse eam cum voles sistere. Itaque quæcunque in omni præsidiorum genere commendari solent, in hoc vnico reperiuntur omnia: vt enim tutissimum, cælerrimumq; est, ita quoque paucissimis inuenitur non satis familiare, vel iniucundum. At quam plurimos videas ad exercitia parum idoneos: alios lõgarum frictionum pertæsos, reliquos inedias auersantes, vnguentorum odorem non ferentes, balnea refugientes. Ad diuturnas vigilias, si aut exercitati fuerint, aut inaniti, quàm ad longiorem somnum proniores. Vt cætera omittam incommoda, de quibus in sequentibus faciam mẽtionem. Denique siue solam morbi magnitudinem venæ sectionis indicans statuamus, siue, cum morbi magnitudine, plenitudinem, nulla dubitandi occasio, relinquitur, quin Phlebotomia in ea plenitudine de qua sermo est perpetuò indicetur. Cum enim suffocationis & interitus repentini metus ingruat, & periculum immineat grauissimorum affectuum, quorum antea meminimus, adest profecto quod magnum remedium indicet, atque ex consequenti venæ sectionem. Cùm verò in extremo constitutus sit hic habitus, deesse non potest, quod euacuari postulet. Sed occurrit difficultas in declaranda Galeni mente, quæ tanta varietate est implicita, vt contradictionis manifestæ suspicionem vix effugiat. Et quæso quantum à præfatis discrepent hæc quæ sequuntur, iudicet ingenio-

Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. c. 12.

sus lector. Frictionibus multis, balneis, & ambulationibus, alijsque motionibus, quin etiam vnguentis digerentibus celeriter plenitudinem exhaurire licet.

Libro de cur ratione per sang. miss. capite 10.

Quid clarius? non modo hæc multitudinis præsidia, sed & ipsorum in agendo celeritatem commendat. Et alibi supposito inquit detrahendas sanguinis tres heminas, duas autem tantummodò detractas, commodabit, quidem id satis, læsionis verò nihil afferet, licebit nāque tibi vnam illam heminam vel Clysteribus, vel inedia, vel frictionibus, vel sudoribus exhaurire, præterquamquod & denuò detrahere, si voles, non vetaberis. Ecce tibi vicarias sectionis venæ plurimas euacuationes, quas iteratæ sanguinis missioni, cuius vltimo loco mentionem facit, videtur anteferre, aut saltem æquiparare. Vbi & illud admiratione videtur dignum, Clysteres in cœtera numerari, quos tamen humores vitio potiùs, maximæque excrementorum, quàm imminuendæ multitudini, quadrare nemo est qui ignoret. His non absimile est quod ab eodem Galeno præcitato 2. Aphoris. comm. 17. memoriæ proditũ est his verbis, euacuatio omnium humorum æqualiter, quæ quidem exquisitissima est, fit per venæ sectionem; proxima autem huic est, quæ per malleolorum scarificatione (vt nos facere consueuimus). Et quæ per exercitia, vel frictiones, vel balnea, & præterea ex accidenti per inediam. Quid opus est plu-

Libro aduersus Erasist. c. 7.

ribus? Illud instar omnium esse potest ex 4. Methodi. capite 6. Si quis etiamnum sanus in sanguinis redundantiæ concursu sit positus, non statim huic mitti sanguinem est necesse, imò alij satisfacit inedia, alij cibi parcimonia, alij soluta aluus, vel purgatio, vel frequens balneum, alij sola exercitatio, vel multa frictio abundè fuit. Authoritati adstipulatur ratio quam ita Syllogisticè propono.

Sanguinis redundantia eiusdem euacuationem indicat. Præfata euacuantia huic indicationi satisfaciunt, ergo redundante sanguine ipsa conueniunt. Nihilominus tamen palinodiam canit Galenus multis in locis.

Nam præterquamquod, ex antedictis, vnicam in Plethora sanguinis missionem præ cœteris approbat, cœtera etiam præsidia aut tanquam inutilia ac imbecilla negligit, aut vti molesta maximèque periculosa prorsus excludit. Ita enim de exercitatione, balneis, & inedia proprio aduersus Erasistratũ libello disputat. Neque si cui de vasis in thorace ruptura timor instet, huic exercitationem iniungemus, periculum enim est ne illorum vehementia, etiam si non adsit multitudo, ob virium tamen imbecillitatem ipsius excercentis, vena aliqua circa thoracem disrũpatur. Si venæ alicuius in thorace ruptionem ab excercitijs metuit Galenus, quid tandem in communi non vnius thoracis aut vasis, sed totius corporis atque adeo venarum omnium periculo, quale in Plethora impendere

De vena sect. C. 9.

docuimus, certi sibi persuadere posset? Illud intuitus ad maiorem Emphasim adiecit (*etiam si non adsit multitudo*) tacitè innuens, præsente multitudine excercitationem penitùs lethalem. Subiungit paulò inferiùs. Haud quaquam per balnea illos euacuare conabimur, quibus ne propter multitudinem sanguinis venæ rumpantur periculum impendet: quod sanguis calido lauachro in vapores resoluatur, ac in spiritus redigatur, proptereaque ad motum incitetur, & in tumorem attollatur. Ad hæc corpora calidis lotionibus mollia debiliaque efficiantur. Cui igitur fieri possit, vt cùm ipsa molliora effecta sint, isque qui ea rupturus est motum simul tumoremque nactus sit non facile afficiatur. Balneorum & Diaphoreticorum omnium par omninò est ratio super calefactiones (inquit Galenus) ijsdem modis quibus & lauacra obsunt, quandoquidem horum vehementia disrumpi venæ plerumque possunt. Quanquam verò de ijs sermo est Galeno quibus Hæmaptiseos, hoc est sputi sanguinis, periculum imminet, Nihilominꝰ debet eiꝰ oratio magna plenitudine occupatis generatim accommodari. Verùm quid de frictionibus dicemus. Quibus non paucos Plethoricos euacuasse se gloriatur Galenus, cum præ animi ignauia neque purgans medicamentum assumere auderent, neque venæ sectionem sufferrent? Quanta vis huic præsidio insit ipse testatur. Constat (inquit) quod interdũ multò

Eodē sap. 9. libro de Vena sect. aduersus Erasistratum.

Libro aduersus Erasistrateos capite 9.

minus debiliusque reperiatur id auxilium: quàm quale corporis repletio exigat; Maximeq; quia illi qui frictionibus non assueuerunt, si plus æquo perfricti fuerunt, dolorosis affectionibus illicò corripiantur. Nonnulli è contrà duram densamque cutim habentes, etiamsi plurimam subierint frictionē, nihilominus quam paucissimam euacuationē experiuntur.

Postremum Erasistrato familiare remedium ita deinceps conuellit, vltimo igitur laboriosam illam, ac reuerà perniciosam famam, æq; ac sacram anchoram, quæque omnibus affectibus opitulari possit accersem⁹? Ecce quanti inediam æstimet, cuius incommoda eodē libro copiosè percenset hunc in modum. Cur eliquet carnes, cùm sanguinē subtrahere liceat? vt interim noxas reticeam, quæ ex longis inedijs necessariô euenire solent ac virtutem defatigatam, & succos biliosiores, amarioresq; redditos frequantes cordis morsus atque inquietudinis, tum deiectionū alui retentionem, & omnia denique excrementa acriora malignioraque affecta. His postmodum subnectit sequentia. Quod inedia ad plenitudinis euacuationem conferat, ego quoque consentio; verùm longo tempore, magnoque monumento, eam id præstare assero. Quamobrem multo consultiùs fuerit, euacuatione semel adhibita ab inedijs abstineamus, vt quæ & ægrotos ingenti molestia afficere soleant, Et vigilias, inquietudinem, orificijq;

Lib. aduersus Erasist. Capite. 9.

Ibidē C. 4.

ventris afflictionem, tum ſuccorum prauitatem, & corruptionem nec non alui, ac interdum vrinæ ſuppreſſionem inferant. Additque alibi ciborum inopia areſieri ſanguinem ſeque ipſo denſiorem reddi.

Libro de vena ſect. aduerſus Eraſiſtratæos c. 2. 3.

Citatis Galeni locis Phyſicum ſi lubet axioma tanquam medium adiungamus, tandemque hoc quod volumus ita neceſſario concludemus. Fruſtra fit per plura quod poteſt fieri, per pauciora, & æquè benè: ſola venæ ſectio Plethoræ commodius, & proptius & melius ſuccurrit: Balnea igitur, exercitia, inedia, & ſi quæ huius generis euacuantia, tanquam inutilia & fruſtranea penitùs eliminanda ſunt.

Euacuantis ſomni meminiſſe nihil opus eſt, is enim vt vires ſuas exerat, euacuationi alteri debet ſuccedere: quare non iam plenitudini extirpandæ, ſed diſcutiendis ſolummodo reliquijs erit accommodatus. Inde obiectã vides Syllam, hinc Caribdim. Age nũc igitur, ne in ſcopulos impinguamus, pugnãtes inter ſe Galeni ſententias, ſi qua arte fieri poteſt, conciliemus.

In quo non erit magnopere laborandum modo memoria repetamus, Plethoram ad vaſa in duplici eſſe differentia. Alteram quidem leuem aut mediocrem, quæ moderationis limites aut non multùm, aut ſummè non excedit. Tenſiuam alteram, in qua non implentur modo verùm etiam diſtenduntur venæ, ſic vt penè videantur diuelli, huiuſ-

modi est Athletica de qua in hoc nostro Aphorismo. In priore plenitudine cuiuscunque euacuationis delectus licet: quanquã sectione venæ, dum ferunt vires si magni morbi timor aliquis irrepat, citius atque vtilius negotium peragitur. In altera imminentis periculi grauitas soli relinquit venæ sectioni locum. Hanc distinctionem quæst. 4. ex ipso Galeno confirmauimus. Quâ suppositâ dicimus priora argumenta, quæ in frictionum, balnearum, exercitationum cœterorumque id commẽdationem sunt producta, locum habere in impropria & lata plenitudinis acceptione; Cum nulla subest magni morbi suspicio; Posteriora, in gemina & stricta procedere. Huius solutiones veritatem ex ipsis allegatis textibus sigillatim comprobemus.

In primis quod affertur ex libro de curandi ratione per sang. miss. cap. 10. In quo fructiones, balnea, ambulationes, cœteræque motiones, plenitudini confestim exhauriendæ satis esse dicuntur, duo supponit (vt ibidem videre est) succorum videlicet tenuitatem, & temperantem victum, in crassioris enim sanguinis redundantia & intemperante victu solam phlebotomiam admittit. Illorũ porrò vtrumque plethoræ leuitatem manifestè coarguit.

Nam neque moderata victus ratio sic copiosum vnquam sanguinis aceruum congeret vt vasa distendantur. Neque si copiosior is cumuletur ex tali victu, in ingentem vsquam increscet molem, cum præ tenuitate facilè

non exigua illius portio insensili transpiratu è corpore per poros effluat. Supponitur quoque magni morbi absentia, quod alterum Phlebotomiæ indicans constituemus. Illud verò ex libro de venæ sect. aduersus Erasistratum cap. 7. cum supponat tertiam duntaxat euacuandi sanguinis portionem esse reliquam, Binas iam venæ sectione detractas partes, dubitari non potest leuem superesse plenitudinem, siue (vt veriùs loquar) solas grauioris plenitudinis subesse reliquias. Clysterum autem meminit, qui licet primariò & per se multitudinis vitia non eximant, secundariò tamen atque ex accidenti, quemadmodum & ea purgatio quæ ore assumitur, aut alia quælibet, sanguineæ massæ non parum detrahunt.

Galeni locus ex 2. Aphoris. comment. 17. Nihil amplius efficit quam precedentis. Concludit equidem cæteras euacuationis Phlebotomiæ vices explere posse: perperàm tamen inferret medicus illas perpetuò admittendas, quocunque oblato casu. Conueniētior itaque fuerit interpretatio, si fateamur licere tunc huiusmodi euacuationem aliquam adsciscere, cùm aut aperire venam non licet, aut si istud licet, non remorantur & impediunt ea quæ in contrariæ opinionis cōfirmationem sunt ex eodem Galeno in mediū adducta, vel quando inculpata sanitas cū leuiore plenitudine coniuncta est. Eodem sensu cap. 6. quarti metho. Therapentices accipiendum atq; explicādum.

Neque audiendi, qui proposita hactenus

& discussa Galeni loca, de plenitudine ad vires enarranda autumant; ita scilicet vt dum Galenus plenitudinē, balneis, frictionib⁹, vnguentis, exercitationibus commodè imminui posse docet, de plenitudine ad vires intelligatur, vbi verò sola laudatur sanguinis missio, alijs reiectis, de plenitudine ad vasa sermo sit, quæ & largiorem, & magis subitam exposcit euacuationem. Ipsi Galeni verbis repugnat hæc enarratio, qui citato lib. de cur. ratione per sang. miss. cap. 10. de vtraque plenitudine apertè sermonem instituit hunc in modum, in præsenti autem de vtriusque plenitudinis notis contemplabimur, an vbi eæ in homine solita negotia obeunte apparuerint, mittend⁹ illis omnino sanguis sit, an id necessarium non sit vbi nulla magna affuerit morbi expectatio Acptereà in insigni plenitudine ad vires, negamus frictiones, exercitationes, balnea tuta esse: ne aut sanguine feruidiore reddito (quem iam nunc moderari facultas nequit) febris: aut eodem fuso liquatoq; ex eius in nobilem aliquam partem decubitu, inflammatio: aut natiui caloris copia oppressi suffocatio, vel ex violēta perturbatione exolutio, oboriatur.

Neque magis admittenda eorum distinctio qui asserunt Galenum præsente etiam vera plenitudine ad vasa, venam non secare, nisi magno presente morbo: hoc absente redundantiam sensim imminuere frictionibus, balneis, motionibus. His satisfactū erit si recordentur quot, quantisque & quàm repentinis af-

fectibus obnoxia ſit huiuſmodi plenitudo: quæcunque autem morbis præſentibus ritè fiunt, eadem aut incipientibus aut imminentibus præuertenda.

Gal. lib. de de cur. ra. per ſang. miſ. cap. 9.

Quam ob cauſam ſapientiſſimus Hippocrates Athleticum habitum nullo etiam infeſtante morbo, μηβραδέως hoc eſt non lentè, non cunctater ſolui iubet, quod ſola fit venæ ſectione.

Cætera idipſum quidem præſtare poſſunt, at tardiùs, niſi leuior ſupponatur plenitudo, de qua dicto cap. 10. loquitur Galenus dum ait frictionis, balnea, vnguenta digerentia, motiones celeriter plenitudinē tollere. Dicet aliquis Galenum hoc ipſo capite huius diſtinctionis auctorem eſſe, dum Podagricis, arthriticis, epilepticis atque in ſumma magno quopiam morbo corripi ſolitis phlebotomiā, vti neceſſariam imperat. Iis verò qui nihil eiuſmodi vnquam antea perpeſſi fuerint omniumque corporis partium inculpatam ſortiti ſunt conſtructionem, geminam vacuationem proponit. Hæc quæ ſubijcit ipſius intentum declarāt: *Per venæ ſectionem (inquit) ſi in victu ſint intemperantes; citra hanc, ſi temperantes.* Hoc eſt ſi ex intemperante victu magna ſit inducta plenitudo, hæc non aliter, quàm venæ ſectione tutò demitur: ſin leuior ſit, neque magni morbi aut preſentis aut futuri mot⁹ impellat, in alijs præſidiorū generibus ſubſiſtemus quæ in grauiore minus ſecura ſunt, metu aut febris continentis inducendæ, aut

vaſorum

vaſorum, ruptionis aut inflammationis, aut repentinæ ſuffocationis.

Quoad rationem attinet concedendum quidem imminuendæ ſanguinis copiæ euacuantia cœtera præter venæ apertionem accommodata: Verùm præſidij bonitas & celeritatem poſtulat & ſecuritatem, quæ in Athletica ἐυεξία ſola præſtat venæ ſectio: in qua ſi longiorem trahas moram, nec valido vtaris auxilio, antè extinguetur innatus calor, quàm periculum auertas.

Quæ in contrariam partem adducuntur Galeni auctoritates balnea, exercitia, frictiones non vndequaque reijciunt; ſed tunc ſolum cum periculum aliquod ſubeſt grauioris affectus: qualis verbi gratia ruptio vaſis in thorace, Inediæ quoque damnantur validiſſimis rationibus: Neque enim breues inediæ plenitudini tenſiuæ eximendæ ſatis eſſe poſſunt. Neque longæ, niſi tardo admodum dubioque emolumento abſque alijs præſidijs imperãtur: imo verò ſatis euidenti plerumque nocumento atque diſpendio. Sed hæc à nobis ante declarata ſunt quam innotuerit, quodnam ſit euacuationis indicans. De hoc igitur & de quantitate inquirendum.



A quo indicetur euacuatio ſanguinis.

QVÆSTIO OCTAVA.

SI verum eſt ab humani corporis ſtatu quid agendum ſit indicari, pro ipſius varietate determinari actionis modum negari non debet: A quo enim remedium petitur, ex eiuſdem exceſſu remedij quantitas æſtimatur. Quare vt de quantitate mittendi ſanguinis ritè ſtatuamus, ab ipſius euacuationis indicante ordiendum. Hoc primum cognito, illius cognitionem nullo negotio aſſequemur. Equidem Galenum hac in parte tot tam varijs tam inter ſe diſſidẽtibus opinionum quaſi fluctibus agitari video, atque huc illuc anxiè diſtorqueri, vt quid ex ipſius mente certò concludi poſſit non inueniam.

Capite 9. Is libro ſæpius allegato de cur. ratione per ſang. miſſ. Nec plures tribus nec pauciores ſcopos eſſe contendit: morbi ſcilicet magnitudine, florida ætate & virium robore; Mox (Capite 13.) eodem in opere ſui quaſi immemor ætatem ſub corporis conſtitutione comprehendit, quibus (inquit) amplæ ſunt venę quique modicè graciles ſunt, nec candidi, nec tenera carne prædititi, copioſiùs euacuabis, contrarios autem parciùs; quippè qui exiguũ habeant ſanguinem carnemque facilè tranſpirabi-

lem. Hac ratione neque pueris venam tundes vſque ad decimum quartum ætatis annum, quandoquidem eorum habitus planè perſpirabilis.

At nono Methodi aërem cum morbo inter præcipua indicantia videtur percenſere, quem alibi miſſionis ſanguinis coindicans ſtatuit. *Cap. 14. lib. de curratione per ſang. miſſ. c. 9.*

Longè plura indicantia in præcedentibus eodem de ratione cur. Libello recenſuit his verbis. Si ætate nec puerili ſint, nec ſenili, de ſecanda vena conſilium inito, præ oculis habẽs principales (notate verba) hoſce ſcopos, nempe plenitudinis tum qualitatẽ, tum quantitatem, & virium robur, atque infirmitatem, deinde naturalem totius corporis habitum, tempuſque & regionem, & vitam anteactam, tùm an cibi potuſque copia, & præcipuè affatim nutrientium, qui ſic affectꝰ eſt, ſit vſus. Ad hæc conſuetudinem, & res præter conſuetudinem actas, quoſque motus exercuerit, quas excretiones habuerit, aut præter ſolitum compeſcuerit, ad hæc omnia num gracilior aut craſſior euaſerit. *Capite 6.*

Quid quod vno in capite ſibi contrarius videri poteſt? Nam 4. Methodi poſtquam docuiſſet ſanguine etiam non redundante, neceſſariam tamen venæ ſectionem, & contrà in Plethorica vocata Syndrome, ſatisfacere nonnunquam inediam, alias purgationem aut balneum; Poſtmodum ſubiecit, ſicut miſſio ſanguinis vel propter ipſius abun- *Capite 6.*

dantiam, vel propter morbi magnitudinem: ita purgatio vel propter alterius cuiusdam succi abundantiam, vel propter vim morbi adhibetur. Et hæc manifestam quoque implicant contradictionem ijs quæ citato libro de curandi ratione per sang. miss. scripta reperiuntur, quo loco non modo ab indicantium Phlebotomiæ, sed quod ampliùs est à coindicantium numero plenitudinem excludit. Coindicat (inquit) detractionis quantitatem, non ipsam sanguinis detractionem, certissimum certè incertitudinis indiciũ hæc varietas, tum maximè, cum vno eodemque loco percipitur. Nam si in diuersis, obliuioni potius tribuitur. Illius exemplum vnum produximus ex 4. Methodi. 6. vbi etiã istud alterum reperias. Si valens morbus sit cum virium robore, nemo est, qui sanguinem non mittat; hic nulla ætatis mentio quam addit posteà his verbis. Mittendum sanguinem, indicant morbi magnitudo, ac virium robur exceptis tamen à sermone pueris. Enarrata hactenus indicantia si in vnum conferantur magnum numerum efficient, quibus non pauca alia si opus foret, tum ex Galeni suffragio, tum ex proportionis lege adijcere liceret.

Capite 9.

Quanquam verò non diffiteor nonnulla ex allatis interpretationem admittere nõ incommodam: quædam aliquantulùm coactam; cogit me nihilominùs veritatis studium, & rationis firmitas, in multis à tanti viri (quē præ

cæteris vnico dempto Hippocrate, & laudo & admiror, & suspicio) auctoritate deficere. Quod dùm facere aggredior quam vim habeant singula ab ipso proposita; & quodnam inter cætera proprium venæ sectionis indicans decernendum putem pro viribus demonstro. Nostra porrhò omnis disceptatio ab hisce tum Philosophicis tum medicis Theorematis pendebit, quibus indicationum natura, continetur. Primum est.

Quicquid præter naturam in corpore reperitur præscindendum præscindetur contrarijs: contraria namque contrarijs curantur. Alterum est. Quoniam contrariorum applicatio, & determinatio ex ipsa rei expellendæ natura elicitur si quidem vnica est cuiusque natura, vnum quoque vni contrariũ, & vnum ab vno indicarj necessaria consecutione inferendum. *2. Method. Vltimo 3. Meshod. 1.*

Morbus itaque (vt ab eo exordiar, de quo primum habita est oratio) quando præter naturam est, sui expulsionem indicat, per se & primariò intentam. Non secundariò, vt causa cuius expulsio ad morbum refertur proindeq; sumpta à causa indicatio præseruatiua nuncupatur. Quamuis enim causam proximè & per se adoritur remedium indicatum: non tamen causæ, sed morbi gratia, cuius est ipsa procreatrix, præsidij actio intenditur. Etenim cùm ad sanitatem corporis aut recuperendam aut conseruandam tanquam ad finem principem omnis medica operatio dirigatur: Id

quod laudabilem eiusdem corporis statum & functiones per se primariò vitiat atque interturbat, primũ & præcipuũ medentis scopum ad se rapere fatendum est: Quamobrẽ ad morbum vt pote sanitati verè contrarium, prima, præcipuaque medentis intentio pertinebit; si præsens sit, vt auferatur; sin incipiens aut futurus, vt auertatur. Prior, actio, curatio: posterior, præcautio, nominatur: illius indicatio immediantè à morbo ipso: huius à causa sumitur priore semper agentis intẽtione ad morbum relata. Symptomata verò (nisi causæ rationem induant) indicationes & se nullas proferunt, præterquàm mitigatorias & lenientes vocatas.

9. Method. 15. Morbis enim depulsis à quibus pendent, & quos instar vmbræ consequuntur, non subsistunt. Hac ratione explicanda Galeni definitio inquientis, sanationem esse præsentis in corpore vitiosi affectus, in naturalem habitum mutationem. Dicitur præsentis affectus, ad differentiam futuri, cui præseruatio conuenit. Hæc porrò mutatio, ex iactis fundamentis, à contrarijs perficitur; verè igitur sanantia ei quod mutari postulat contraria sint necesse est, sic calida intemperies, frigidis: sicca, humidis, expugnatur. Age modo vt ad institutum præsens ista reuocemus; quid tandem est quod indicat morbi magnitudo? An venæ sectionem? an purgationem? An vtrumque simul? (hoc enim vltimum à Galeno mira varietate propositum communiter

iactitant Medicinæ professores). Miror equidem in re satis meo iudicio, expedita, ita grauiter implicitos atque perplexos viros omni doctrina & eruditione præstantes, vt se infinitis errorum & difficultatum laqueis extricare nullo modo possint, enim vero respondeant qui Galeni auctoritate persuasi, in hanc opinionem deuenerunt, vt Phlebotomiam & purgationem simul ab hoc vno indicari autument: An vtrumq; morbi magnitudini eadem ratione cōtrarium arbitrantur? si negent á suis principijs deflectunt, tritum enim est & extra omnem controuersiam positum, ea morbo esse contraria quæ ab ipso indicantur. Sin affirment omnem tum Medicinam tum Philosophiam peruertunt: quandoquidem aut vni duo contraria, aut duplicem rei simplicis naturam efficiunt: Est enim vnicus in morbi magnitudine generalis respectus, ratione cui⁹ referri ad plura specialia immediatè nequit. Nec effingi quicquam potest (nisi prætergressis terminis aliunde petatur indicatio) quod vna ex parte venæ sectioni, ex altera, purgationi distinctè respondeat. Si dicant ambo simul indicari, quatenus sub magni remedij genere includuntur, dictum admittam; sed iam necessario consequetur genus illud, hoc est magnum remedium proximè indicari, species verò mediatè & confusè, dandumque intermedium aliquod & specificum indicans, à quo speciatim alterutrum determinetur. Rem paulò clariùs explico (vt iunio-

res intelligant) dicimus à morbo quatenus magno fumi indicationē magni remedij in genere; At quoniam non admodùm artificiosa est huiusmodi indicatio, vt quæ suapte natura etiam rudioribus obuia, & à nostris vsib⁹ aliquātò longiùs dissita: debet aliquid particulatim assignari (si ritè medicinam facturi sum⁹) à quo limitetur hæc indicatio. Vt enim generi addita differentia speciem constituit, eodē prorsus modo generale indicās adiuncta speciali conditione ad speciale remedium determinatur, Sic morbus in genere, sui contrarium indicat in genere : sed talis morbus, v.g. intemperies frigida tale remedium siue contrarium, puta calefaciens, sic venenum alexipharmacis retunditur , tale venenum talibus antidotis; sic & solutio continui, vnionem requirit, quæ pro effectus diuersitate modò glutinantibus, aliàs sarcosticis, aut epuloticis perficitur. Magnus ergo morbus in genere magnum remedium in genere postulabit: Magnus cum Cacochymia, non iam quodcunque magnum auxiliū petit, sed illud quod depellendę Cacochymiæ vim possideat, cuiusmodi est purgatio. Illud est quod præcedenti Aphorismo tanquam ex tripode ab Apolline nostro responsum audiuimus , talem nimirum vasorum depletionem factam qualem fieri decet conferre , contrariam obesse. Si itaque redundet pituita (inquit in commentario Galenus) hanc quacunque ratione euacuare expedit si alter vtra bilis infestet, absti-

nendum à pituita, & infestãs bilis expurganda: sic & humor sanguineus in corpore modum si excesserit, sanguinẽ vacuare oportet. En distinctas pro singulorum humorum differentia vacuandi indicationes, Contrà enituntur aduersarij nec palàm ꝓfiteri dubitant, ne hanc interpretationem cogantur admittere, præter purgationem & Phlebotomiam nulla esse magna præsidia, & hæc ipsa duo, supposita morbi magnitudine perpetuo conuenire. Quod si quandoque in validis affectibus à venæ sectione abstinemus, id fieri gratia aut ætatis aut virium. Nil mirum dato vno absurdo, alia sexcenta cõsequi. Ego quæsierim lubens, num vehemẽtem totius corporis intemperiem sine materia (qualis fortasse in summe ab externo frigore perfrigeratis) magnum morbum esse velint? concedent opinor maximè cum inde præsens vitæ periculum adesse intelligẽt: Nisi morbos in intemperie negent vsquam propria essentia magnos esse, quo casu etiam nolentes admittent; saltem propter affectarum partum vsum & præstantiam tales dici possé. Hoc autem posito, cùm contrariorum eadem sit disciplina, fatendum est magnum id præsidium fore à quo intẽperies illa propulsetur; Quamobrem præter Phlebotomiam & purgationem etiam alterantia valida sub magni remedij genere collocabuntur; hæc enim sola à vehementi intemperie indicantur dicent posita, exempli causa forti intemperie calida, necessariò incalescere sanguinem tumque ad-

Phlebotomiam recurrendum, quatenus videlicet ad calefactionem sanguinis verè magnus affectus inducitur. Frustrà enim calefacto sanguini præter alterantia frigida venæ sectionem (vt communiter solent pragmatici) adhiberem⁹, nisi aliud impelleret: at impellere aliud nequit præter ingruentis morbi magni metum: Ergo verum & vnicum Phlebotomiæ indicans erit magnus morbus. Huic argumẽto satisfaciemus paulò inferiùs. Nũc ipsi si lubet respondeant. Quæ sanguinis detractioni, & magno morbo cõmunio? An sanguis ipse morbus est magnus an morbi causa? Si causa. Ergo qui sanguinem demit, morbi causam demit. Si autẽ per se & immediatè attingit causã, ergo per se & immediatè à causa indicatur sanguinis euacuatio: at secundariò & mediatè à morbo.

Sin morbum ipsum ex natura sua adoritur si quidem à natura rei petitur indicatio, morbum in sanguine tanquam in subiecto proprio inhærere fatendum est, quod repugnat veritati.

Prætereà num cancri vlcerati vstio; num putridi membri aut magnæ carneæ molis adnascentis (natam vocant) amputatio: num longæ, latæ, profundæque incisiones magna sunt præsidia, magnis, imò extremis, morbis adhibenda? Quidni igitur hæc, vt venæ sectionem, à morbo magno indicari asserunt? Dicent rarò admodum illa, Phlebotomiam ex se perpetuò conuenire, plerumque tamen

aliundè impediri. Sed hæc responsio difficultatem non eximit. Erit enim perpetuò assignanda aliqua diuersitatis ratio propterquam huius potiùs remedij quàm illius delectus fiat. Falsum prætereà est, quotiescũque morbus magnus irrepserit, tundi venam oportere, infestetur exempli causa vehementi dysenteria quispiam ab humore salso in intestinis stabulante, quis tum Phlebotomiæ vsus? An hunc affectum quod magnus sit, propulsabit? Quod si vehementi dysenteriæ, qua dysenteria est, non magis confert quam leui, cur ab illa potiùs indicatur; Dicet aliquis à doloribus & vigilijs accendi febrem, cuius præueniendæ gratia, sanguis detrahitur, & sic à futuro morbo magno petita erit indicatio. Demus istud, sequetur id quod volumus nempe ab omni morbo magno Phlebotomiam non indicari. Quid si concedatur indicari quidem ab hac dysenteria venæ sectionem, at negetur sustineri à virib⁹ posse (hæc enim communis est fuga, quà se cum Galeno aduersus aliena tela præmuniunt) Quæram mihi rationem explicari, cur hoc eodem in affectu grauissimis doloribus affligentibus, continua desidendi cupiditate lacessente, maturo experientium doctorum consilio, neç pœnitenda ægrotantium vtilitate, sanguis nonnunquam detrahatur. Quandoque etiam non eximatur, posita æquali vtrinque facultate? Erit tum sanè penitùs abrepta diuertendi via, neç non ad antecedentem causam

Libro de cur. ratione per sang. miss. c. 9.

aut aliò quàm ad virtutem recurrendum. Certum enim eſt dyſenteriam hoc præſidio non ſanari, in qua ſi quando imperatur, fit vel plenitudinis gratia, vel certè reuulſionis: Illud prætermitti nolim aduerſæ opinionis fautores curatiuas indicationes cum præſeruatiuis manifeſtè confundere: vt enim præſentibus morbis curatio, ſic imminentibus præcautio adhibetur. Quanam ergo mente Galenus? ne à plenitudine venæ ſectionis indicationem elici, nullo adhuc præſente morbo fateri cogeretur, ad eum qui futurus erat curatiuam indicationem tranſtulit? Nam ſi verum eſt præſenti morbo magno venæ ſectionem tanquam indicatum præſidium occurrere, curatiuum certè præſidium fuerit. Quomodo igitur impendentem præueniet affectum, niſi vnà præſeruatiuum eſſe fateamur, quippe rei præſentis eſt curatio: eius autem quod futurum eſt prouidentia, inquit Galenus.

4. Metho-di. cap. 3. Erit itaque ſectionis venæ indicatio tum προφυλακτικὴ tum θεραπευτικὴ, quãuis vtrobique idem opus perficiat, ſanguinis ſcilicet vacuationem. Neque verò cum ad ablationem ſanguinis propulſari affectum videmus eius idcirco euacuationem curatiuum eſſe remediũ exiſtimare debemus. Tollitur quippè tum morbus, eo prorſus modo quod ad ablationem cauſæ reſcindi vt plurimum effectus in externis cernimus. Eſt itaque pertundendæ venæ indicatio quocunque modo

ſpectetur præſeruatiua, ergò à morbo per ſe immediatè deſumi nequit; Quiſquis autem à cauſa etiamnum fouetur aut dependet affect⁹, ipſa remanente profligari non poteſt, quo caſu agendorum indicatio proximè ad cauſam pertinebit. Quamobrem non video quo minùs à plenitudine tanquã futuri morbi cauſa, præſeruatiua indicatio immediatè deſumatur: quod quidem à Galeno, cogente natura rei, paſſim admittitur, vti probabimus poſtea. Denique non eſt maior ratio cur venæ ſectionem inter curatiua præſidia numeremus quam ea quæ ſarcotica communiter appellantur, quæ propriè & exactè loquendo ad eam artis partem quæ prouidet referri voluit Galenus. *4. Methodi. C. 3.*

Quemadmodũ enim hæc humiditates ſiccant, ſordes expurgant, fouentem caui vlceris cauſam exſtirpant, impedimentum curationis amouent, morbum ipſum natura depellente: Ita miſſio ſanguinis in febre (exempli cauſa) nihil amplius efficit quam prædicta in cauo vlcere: quandoquidem effuſo ſanguine, remanet etiamnum intemperies alterantibus corrigenda: in quem vſum frigidæ potus largior à Galeno quandoque imperatur. *Galenus 3. Methodi. Capite 3.* *9. Methodi, 5.*

Obijciet quiſpiam nonnullis ex miſſione ſanguinis cellerrimè frigeratis, hoc vno præſidio febrem quodammodo iugulatam: ſed quod intemperiem adimit curatiuum eſt præſidium; ergo venæ ſectio ſub hoc genere *Galen⁹ 9. methodi. Capite 4.*

continetur.

Galenus Metho. 10. Sanguinis missio (inquit Galenus) in continentibus febribus non primum sed ex accidenti calidam intemperiem sanat.

Ad eundem modum & clyster, & fomentum ex calido liquore, & cataplasma quod digerat aut concoquat. Itaque ruit se ipsa huiusmodi argumentatio; si quidem ea tantum verè & propriè alterantium appellationem merentur, & quatenus talia indicantur quæ ex se contraria qualitate intemperiem amouent; non quæ secundariò & per accidens. Sic Rhabarbarum temperamento calidum ex accidenti refrigerat dum bilem euacuat: Sic lenientium plurima humida cùm sint, euacuatione corpus exsiccant. Sic denique venæ sectio ligna foco subtrahit, subtracto pabulo calor igneus adimitur qui eo fouebatur; sub maiore quippe quantitate maior vis est qualitatis, & intentior actio.

Tot tantisque rationibus innixi, venæ sectionem à morbo magno speciatim indicari constanter negamus.

Nostra ergo sententia est (imo ipsius Galeni, si probè examinetur) legitimum & genuinum sanguinis euacuationis indicans, esse solam plenitudinem. At venæ sectionis indicans esse plenitudinem vnà cum morbi magnitudine. Plenitudinẽ hìc amplè & genericè accipi volo, pro sanguinis redundãtia. Circa quod ne vllis in posterum ambagibus implicemur, sciendum est, pertundi

venam duplicem ob causam præcipuè; Nimirum vel vt euacuetur sanguis, vel vt in contrarium reuellatur. Vtrobique præseruantis solummodò præsidij vim obtinet, at tum solum verè & per se indicatur, cum sanguinis minuendi scopus primariò offertur. Quod enim magna & expedita sanguinis reuulsio sine venæ apertione fieri non possit, est κα̃τὰ τὸ συμβεβικώς. Non negamus tamen vtrumque scopum simul aliquando occurrere: Exemplis rem, si ita lubet, illustremus ex ipso Galeno mutuatis: fluat ex naribus copiosius sanguis, sit is in toto corpore mediocris, venam Medicus pertundet, ita suadente Galeno: Non eo tamen animo vt humorem imminuat quem præstaret in corpore retineri, cùm non excedat; sed quoniam aliter fieri commodè nequit, vt is ab incepto itinere deflectat, & aliò diuertatur, nisi aperta vena è corpore effluat. Iam si eiusmodi Hæmorrhagia ex sanguinis copia accidat, duplicem habebit scopum venæ pertusio, euacuationis quidem, vt quantitas minuatur: reuulsionis, vt aliò impetus reuocetur. Hæc secunda intentio non nisi secundariò & per accidens missionem sanguinis requirit: Quemadmodum de attemperatione dictum est paulò superius. Animaduertẽdum secundo loco, cùm necessariò id præseruatio supponat quod præcaueri debet secundum esse futurum, tanquam finem, ad quem primariò ex agentis intẽtione dirigitur

Galen. 4. Metho. 6.

Libro de cur. ratione per sāg. miss. c. 11.

actio: Idcircò præsidij, quod à causa petitur differentiam ab ipso morbo limitari. Istud exemplo declaro: Ponamus ex plenitudine graues (vti probabimus) affectus imminere, indicabit quidem plenitudo sanguinis euacuationem, sed non quamlibet, aut quouis modo factam, at eam solùm quæ futuro morbo respondeat: Magno igitur morbo supposito, magnum sit id auxilium quod à causa petitur necesse est, ad cuius indicationem simul concurrant & plenitudo, & magnus morbus. Plenitudo vt quæ adimi postulat; Magnitudo morbi, vt quæ auxilij magnitudinem requirit. Sed iam audire mihi videor aduersarios iacta à nobis tela in nostra capita retorquentes, atque ita inferentes. Plenitudo vnà cum morbi magnitudine venæ sectionem indicat, ex vestra sententia, ergo vnum à pluribus indicatur, quod æquè absurdum est ac illud quod obijciebatur antea plura scilicet ab vno indicari. Verùm hoc casu nihil inconuenit, sunt enim diuersi respectus qui à diuersis oriuntur; A plenitudine quidem, sanguinis euacuatio; à morbo magno magnum remedium; ab vtroque complicato, venæ sectio quæ vtrique satisfacit; Plenitudini, vt quæ sanguinē euacuat: morbi magnitudini, vt potè quæ in magnorū præsidiorum censum adscribitur. Sunt enim alia quæ sanguinem redundantem euacuant vt frictiones, exercitationes, balnea, sed magni remedij appellationem non ferunt.

Hanc

Hanc ſententiam nullibi non amplexus eſt Galenus, ſed tanta varietate implicatam, vt poſteros in diſſentientes opiniones pertraxerit. Eſt inſignis locus quem à lectoribus notari velim ex libello aduerſus Eraſiſtratum cap. 5. vbi hiſtoriam recitat ab Hippocrate deſcriptam, qui ad Margei famulam accerſitus, iam tremoribus à partu corruptam, venam ſecare non diſtulit, quanquam frigidus affectus eſſet: ſed Hippocrates (vt ipſemet fatetur) occaſionem morbi, hoc eſt multitudinem ſanguinis, ante ipſum affectum accumulatam conſiderauit: Muliercula enim à purgamentis (quas ſecundas vocant) non fuerat expurgata. Quid clarius? Ecce vtrumque indicant magnus ſcilicet morbus, per tremores & dolores quæ ſymptomata ſunt expreſſus; Et plenitudo cuius apertè facta commemoratio, quæ ad venæ ſectionem prudentiſſimum ſenem impulere, quamuis reluctari tremor videretur, quem in frigidiorum affectuum cenſum referunt. Hinc præceptum iſtud in Methodo deducitur: ſi ijs quæ iam dixi, illud quoque adijcias (inquit Galenus) nempè quod ipſum qui redundat ſuccũ vacuandum eſſe ſuadet Hippocrates, aliàs ſanguinis detractionem adhibebis, cùm videlicet is vincit; Aliàs Pharmacũ imperabis quod ad bilem flauam, vel atram, vel pituitã educendam vim habeat. Illius interim in omnibus his non immemor, non eſſe vlceris, qua vlcus eſt, vllam id genus curationem, ſed vel

4. Methodi. 6.

vitiosi qui coniunctus est succi, vel redundantiæ, vel Phlegmones, vel Herpetis, vel eius generis alterius. Notent hìc iuniores curationis nomen καλαχελςικῶς redundantiæ & cacochymiæ tribui. Probè nihilominus inferri, ad redundantiam cui eiusmodi decernitur curatio, nec non ad Cacochymiam dictæ curatione indicationem pertinere. Ex eadem sententia doctè & copiosè arguit Erasistratum his verbis. Videris (inquit) communem omnium hominum subuertere sententiam, præsertimque si neges quod à natura cuique insitum est, vt considerare possit sanguinem ob nimiam multitudinem euacuandum esse. Tum subijcit: Accerse ergò hominem quempiam rei Medicæ expertem, ad ægrotum qui bona sit habitudine, iuuenis, multo abundans sanguine, quique præ synanche, aut peripneumonia suffocetur: Posteà hominem interroga, si quid cognoscat quod huic affectui succurrere possit. Quis adeó demẽs est, vt sanguinis euacuationẽ non pronuntiet? Hinc puellam Chyensem, & Critonem perijsse putat quod venæ sectio fuisset ab Erasistrato prætermissa cùm vtraque sanguinis redundantia, grauibusque affectibus torqueretur. Eandem sæpe repetit cantilenam lib. de cur. ratione per sang. missionem, at distinctissimè cap. 6. his verbis. Qui res consuetas adhuc factitant, sed princeps illis pars aliqua, aut totum corpus grauatur, tenditurue, his necessaria est euacuatio: Porrò de secanda vena consilium

Eodem lib. Capite 6.

Libro aduers⁹ Erasistrateos Capite 3.

inito, principales hosce scopos præ oculis habens, nempe plenitudinis tum qualitatem tum quantitatem, & virium robur, atque infirmitatem: Præter quæ alia enarrat, de quibus suo loco. Hic sanè meridiana luce clariùs à plenitudine sanguinis euacuationem indicari primariò profitetur: Tum inferiùs idem concludit vbi ergò exstãtibus plenitudinis indicijs, valentes facultates fuerint, venam incides. At alibi eodem libro, morbi & plenitudinis, relicta virtute mentionem facit. Vbi feruescentis (inquit) inest sanguinis plenitudo, acutissimam accedens febrem, subitò ac simul euacuare expedit; subitò ac simul, hoc est sectione venæ. Quẽadmodum autem in his præceptis stabiliendis gnarus, ita quoque in obseruandis diligens fuit & exactus. Non enim dum iuueni illi graui ophtalmia obsesso sanguinis primum tres libras, deinde iteratò libram alterã detraxit, à sola morbi magnitudine, verum etiam à plenitudine, detrahendi occasionem arripuit. Hanc ipsam à plenitudine mutuatam indicationem in iuuene trigenario synocho, non putrida laborante, cui ad animi deliquium exemptus est sanguis, tanquàm minus necessarium non prætserijt. Loca in margine adscribuntur vt liberum sit cuique Galenicam doctrinam ex ipso fonte haurire, & attentè apud se doctoris mentem perpendere.

Capite 12.

lib. de cur. ratione per sang. miss. C. 17.

9. Method. Capite 4.

Magnam, sine dubio, vim habere debent, quæ hactenus sunt proposita, siquidem ex

ijs operibus sunt elicita in quibus ex professo de hac materia pertractatur. Nihilominus ad maiorẽ fidem aliunde, si lubet, testimonia congeramus, ne qua ratione nobis aduersarij vitium læuitatis improperent; aut leui quacunque interpretatione efficta iunioribus plus æquo credulis, facilè imponant. Priusquam tamen hinc nos reuocemus duo ex eodem libro de cur. ratione loca annotemus, grauioris enim quam cœtera aliunde cõquisita auctoritatis esse debent. Capite in primis quarto euacuationis indicationem in genere à sola plenitudine depromit his verbis. Posteaquam in libro de plenitudine demonstratum est bifariam & dici & fieri plenitudinem, euacuatione opus est in vtraque, siue in homine valetudinario, siue valente euenerit. Nulla hic morbi mentio. Capite postmodum septimo: committendum non est (inquit) vt expectemus dum aliquod plenitudinis symptoma appareat, sed anteuertere sanguinis detractione præstat. Tum inferius distinctione adhibita hæc subijcit: Nonnullis amaræ bilis succus plus alijs colligitur, quibusquam bilis atræ aut pituitæ, alijs ex æquo omnes in quibus sanguis abundare dicitur; Hos ergo omnes euacuabis, sicuti etiam podagricos & arthriticos veris principio, propinato videlicet medicamento purgante, aut sanguinis diminutione. Ecce quam manifestè humoris redundantiæ in genere simpliciter euacuationem; mox pro cuiusque humoris

differentia specialem euacuationis normam assignauit. Inueniũtur in medẽdi Methodo quãplurima his finitima, quale illud lib. 9. Quibus corpus ex succorũ abundantia insabile ad transpirationem iam redditum, tantum calorem congessit vt inde iam febricitet, ijs tantum sanguinis est detrahendum, quantum vires tolerant. De eadem sanguinis missione in febribus in progressu libri sic loquitur: si abundantia, viribus paulò superior fuerit, ex moderata euacuatione maximum comparatur commodum, quod eas premebat sublato. Hæc verba plurimum ad eorum probationem conferunt quæ inferiùs de quantitate breuibus statuemus. Maximè verò ad rem præsentem facit istud ex 13. Methodi, vbi, postquam de venæ sectione & scarificatione esset loquutus, hæc subijcit; Has namque vacuationes indicat ipsa copia, sicut si etiam succorum vitium redundantis succi purgationem: quod etiam ad nostram dè purgantis indicatione sententiam confirmandã, vti pleraque alia hìc annota est accõmodatissimum. Sed litem omnem dirimere, videtur, quod primo ad Gloconẽ legitur hunc in modum: sanguinẽ mittere oportet, & ob morbi magnitudinem, & quibus rubor multò plus quàm naturæ conueniat, & maior quàm pro consuetudine, totius corporis tumor, & venæ eminẽtes atque extensæ. Vides sic Pathognomonica Plethoræ signa? Vides Plethoram vnà cum morbi magnitudine disertissimis verbis

Capite 5.

Capite 10.

Capite 5.

Capite 13.

vt Phlebotomiæ indicans recenseri? Proindeque coniunctione vtitur copulatiua, non disiunctiua, quemadmodum loco ante citato, vbi sanguinem detrahi monet, vel propter morbi magnitudinem, sed frequens est tùm græcis tùm latinis auctorib⁹, disiunctiuas particulas pro copulãtibus, vsurpare, quanquam id fit quandoque satis impropriè. Secundo etiam ad Gloconem in cura inflammationis genu, inter euacuationis scopos primo loco plenitudinem enumerat,

Capite 2.

Quamobrem illam Hippocratis sentẽtiam explicans nostræ penitus consentaneam, in qua asseritur, repletionem euacuatione curari, ipsam suo calculo comprobat, Euacuationis autem nomine eam ab Hippocrate significari quæ est sanguinis, iam anteà declarauerat.

2. Aphoris. 22.

2. Aphoris. comm. 17.

Denique non modò apertè sed etiam distinctè quid sentiat sexto Aphorismorũ explicat in hæc verba.

Et libro quos purgare oporteat. comment. 47.

Ineunte vere anticipanda vacuatio, vel per Phlebotomiam si Plethoricis morbis corripiantur vel per purgationem, si morbis sint ex humorum corruptela obnoxij. Quod perindè est, ac si dicat, vniuersalem illam magni remedij indicationem à plenitudine & Cacochymia limitari. Dies me deficiat si quæ Galenus vbique ferè, quoties de venæ pertusione orationem instituit, ad huiusce opinionis confirmationem profert, in vnum quasi cumulum aggeram. Et hæc meo iudicio plùs

ſatis fuerint ijs, qui tanti Medici auctoritati, non arbitrio proprio acquieſcendum putant.

At dixerint fortaſſè, qui contrarium cenſent, multitudinis Galenum meminiſſe, tanquam coindicantis.

Libro de cur. ratione per ſãg. miſſ. c. 9.

Hæc interpretatio falſa eſt, & Galeno contraria; Et quidem Plethoram à coindicãtium numero ab ipſo ſegregari oſtendit, hoc quod initio protulimus. Plethorica Syndrome quãtitatis detractionẽ coindicat non ipſam ſanguinis detractionem. Veri autem indicantis locum obtinere plenitudinem his argumentis conficio. Hæc indicatio à ſola morbi magnitudine non dependet, vti probatura eſt: non â viribus, non ab ætate, non ab aëre, aut aliorum quoquam vt probabitur poſteà, ergo à plenitudine modo explicato.

Præterea contraria contrariorum ſunt remedia, ſed contraria plenitudini eſt ſanguinis euacuatio, ergo illius hæc erit remedium. Ergo illa indicans, hæc indicatum ſiquidem abſurdum ſit aliud eſſe quod curandi rationem præſcribat, aliud quod curetur: Indicare enim de ſe magìs quidque poteſt, quàm de alio. Hoc perinde eſt ac ſi dicam, ex natura ſua ſanguinis imminutio plenitudini ſubuenit, ergò ex natura ſua à plenitudine indicatur.

Galen. 3. Method Capite 1.

Poſtremò, cum aliqua indicatio ex cauſa depromatur, ſi multitudinem inter cauſas referimus, aliquid ſanè indicet, neceſſe eſt: Quid eſt autem quod indicare poſſit, quàm euacua-

2. Aphor. comm. 22.

tionem illius humoris qui redundat? Si in priori responsione perseuerent, hisce rationibus nondum persuasi, & contendant coindicarè solùm.

Quæram quodnam sit verum indicans? si morbum proferant, acta agent, vt est in prouerbio, id enim iam confutatum est, si vrgeant & instent vlterius, ac dicant causæ indicationem referri ad morbum, & per consequens causam per se primariò indicans esse non posse. Finis enim prima est, causarum omnium, & id per se primò monet cuius gratia suscipitur actio.

Respondebimus hoc argumentum æquè procedere contrà indicationẽ à reliquis causis depromptam, quare non debet particulatim solùm concludere contrà nostrum institutũ. Transeat tamen, facilis est solutio. Fatemur enim intensiuè ad morbum incipiente in aut futurũ hanc actione referri, sed effectiuè ad causam per se proximè dirigitur & pertinet: Indicatio verò non ex intentione nostra, sed ex ipsius rei natura petitur. Dicam clariùs & paucis: Alium esse primarium finem operis; alium operantis, finis primarius operantis est morbi præcautio, ad quem sequitur causæ depulsio. Finis operis primarius, & immediatus est causæ depulsio, ad quam sequitur morbi præcautio. Ab hoc secundo fine immediatè, ex natura rei indicatio dependet agendorum, quamuis aliò ex intentione Medici dirigatur. Nam si talis euacuatio est in-

dicatum, erit profectò indicans id quòd euacuatur. Illud est quod vulgò in scholis iactari solet, morbi, qui à causa fouetur amotionem primam esse in intentione, postremã in executione, quandoquidem causæ exstirpatio, illam præcedit.

Indicationum porrò hic est modus (vt rudiores intelligant) ponamus ab humore aliquo excitari febrem. A febre quæ est intemperies calida, & sicca indicantur humectantia & refrigerãtia. Hæc quoniam irrita sunt, ni causa amputetur, à qua sustentatur eiusmodi discrasia, surgit indicatio rescindendæ causæ, tumque à causa prima remedij species demonstratur, sit v. g. Biliosus humor, bilis expurgandæ scopus ante omnia proponitur: sit sanguinis copia, minuendi sanguinis præbetur intentio

Atque ij sunt scopi quos posteriore loco adinuenimus, prioribus in actione preferendi. Priorem & primariò à nobis intentum (puta febrilis caloris moderationem) vltimò assequemur, qua ratione media prius, quam finem ipsum attingimus.

Obijciet sciolus quispiam sanguine nullo modo redundante, necessariam nihilominùs quandoque venæ sectionẽ. Nam initio Phlegmones, quæ aut propter ictum, aut propter dolorem, aut partium debilitatem prouenit, etiam citrà plenitudinem prodesse venæ sectionem nemo est qui ambigat. Et ipsos Empiricos videmus, cùm lapsus ab alto

Galen' 4. Method. C. 6. & lib. de cur. ratione per sang. miss. c. 8. & 10.

quis sit aut aliàs plaga aliqua contusas vehementer corporis partes habuerit, ad sanguinis missionem confugere, quanquam idem paulò ante sanus fuerit, prorsusque redundantiæ sanguinis expers. Vice versa sano homini nec adhuc quicquam læso quãuis Plethorico non statim sanguinem mittimus experientia docti, alij parcitatem cibi, alij citam aluum, aut frequentius balneum, aut exercitationem satis superque esse. Quis igitur Phlebotomiam à plenitudine indicari sibi persuaserit? Quandoquidem indicante sublato aut posito, ponitur aut tollitur indicatio.

Respondendum est in reuulsione sanguinis euacuationem per se nec intendi, nec indicari, sed tantum diuersionem, hoc est humoris fluxum in contrarium, id quod sine euacuatione neque cito neque feliciter obtineri potest. E contrario in Plethorica vocata Syndrome intenditur perpetuò euacuatio, & indicatur ex natura rei. Quod si vsque adeò leuis sit plenitudo, vt grauiores affectus non minetur, satis esse poterunt aut inedia, aut exercitatio, aut balneũ, aut frictio: sin morbi vehementiã pertimescat ad Phlebotomiam veniendum. Manet itaque firma & stabilis hæc sententia. Euacuationem sanguinis simpliciter à plenitudine sine exuberantia indicari: Euacuationem verò quæ fit apertâ venâ, præter multitudinem etiam morbi magnitudinem requirere. Cùm verò ingens plenitudo sine

euidenti periculo, & me tu vehementis morbi inueniri nequeat. Meritò in ſuperioribus decretum fuit, in plenitudine tenſiua (modò nihil impediat) venæ ſectionem perpetuò deſiderari. Rurſum ijs nobis Galenum obtrudet, eos qui ob ſolum plenitudinis vitium admittendam venæ ſectionem arbitrabantur, atque inter cœteros Metrodotum nominatim reprehendentem, quod in contuſionibus ad venæ ſectionem Hippocratis conſilio deueniamus, licet qui ipſas patiuntur pleno habitu non ſint, quodque niſi inciſa vena dematur ſanguis, maximæ inflammationes oboriantur, & ab his praua accidentia. *3. de articulis comment. 62.*

Dicimus in primis non minus arguendam Galeni hac in parte varietatem quam Metrodoti ſententiam, cui non ſubſcribimus: Non enim à ſola plenitudine, ſed etiam à magno morbo Phlebotomiam indicari volumus. Nec vllius eſt ponderis allata ratio; Quandoquidem in propoſito caſu, non primariò & per ſe, ſed tantum ex accidenti indicatur venæ apertio. Prima namque indicatio ſumitur, à ſanguinis motu, cui compeſcẽdo, aut alio reuocando, ne ad affectam partem ictus aut doloris cauſa decumbat, venæ ſectio adhibetur.

Quid indicent vires, habitus, regio, aër, cœteraque id genus anteà propoſita.

QVÆSTIO NONA.

NE longiore orationis ſerie lectorem plùs æquò in re ſatis facili nulla vtilitate occupemus rem omnem ex ipſius Galeni placitis definiemus, & paucis. Hæc ab ipſo in Methodo ſcripta reperiuntur, ſed neq; vitium robur curatiua indicatio eſt, verùm vt ita dixerim vitalis, ſiue quæ ad vitæ cuſtodiam pertinet, nam neque vt valeamus, neque vt à morbis liberemur ab ea quicquam primum deſumimus, ſed vt viuamus. Additum eſt illud primum quoniam ſecundariò virtutis ſuſtentatio & confirmatio ad affectus curationem reducitur. Ipſa namque auxilia per ſe morbificas cauſas exturbare nequeunt, ſed naturæ opem deſiderant, & fermè ſolùm motus principium naturæ inijciunt, reliqua ſuis ipſa viribus adminiſtrat ac perficit, quæ ſi validæ ſint remediorum violentiam perferunt, & bonæ ingenitæque ſubſtantiæ detractionem facilè ſuſtinent, ac aliena excutiunt. Verùm non ideò remedium à facultate indicari putandum eſt: Nam ſi conſtans vis præſidium indicat, illud quoque in ſanis quoniam

9. Metho. Capite 13.

Galenus lib. de opt. ſecta c 41.

Galenus lib. de opt. ſecta c.42.

constat indicabit. Habes Galeni sententiam à Galeno ipso cumulatè propositam. Neque hic opus pluribus, cùm de virtutis indicatione præcedenti Aphorismo sit tractatum, nobisque admodum sit exosa repetitio importuna.

Quæret Galeni studiosus quæ causa sit, cur vna cum morbo magno passim in methodo lib. de cur. ratione per venæ sectionem & alibi virtutem is constituat pro vero Phlebotomiæ indicante? Quæsito satisfacit ipsemet dum ait morbi magnitudinem cum virium robore primos esse scopos, Illud quidem velut quæ facienda sunt indicans, hoc tanquam haud prohibens quod contra indicare iuniorum Medicorum quidam vocant. Relinquuntur itaque duo solum vera indicantia ex Galeni mente, magnus nẽpe morbus, & ætas: Magnum morbum admittimus: de ætate sequens erit quæstio, quam negatiuè concludemus. Cœtera quæ ab ipso proponuntur naturalis habitus, temperies corporis, tempus, regio, vita anteacta, consuetudo, cibus, potus, aër, excreta, retenta, verè curatiuorum indicantium appellationem haud ferunt; sed proüt eandem cum morbo indicationem subeunt, morbi coindicantia nominantur: vt sub virtutis contemplationem cadunt, correpugnantia. Sunt enim ea propriè coindicantia quæ ad indicantium cognitionem assumuntur: Ita vt nec primo nec per se, sed alterius, hoc est veri indicantis

Libro de cur. ratione per venæ sectionem c. 13.

interuentu ſuas promant indicationes. Correpugnantia vocantur, quæ medijs repugnantibus his quæ indicantia poſtulant opponuntur, ſuntque vel tanquam contradicentium ſigna reputanda, vel tanquam cauſæ.

Verùm circa aërem grauioris quàm circa cœtera nobis difficultatis auctor fuit Galenus, cùm illum profert tanquam tertium indicans à morbo & viribus diſtinctum: Neque eſt quod ad interpretationem mox allatam recurramus; Valet illa quidem in cœteris quæ ab Aëre longo diſcrimine ſeparat Galenus: Nam cœteras, inquit, materias tum deligere licet, tum fugere, at quam ambiens præſtat non licet. An igitur nouum faciet indicantis præcipui genus, hæc neceſſitas? Humanum certè corpus alterant cibus, potus, excreta, retenta, ſomnus, vigilia, motus, quies, animique pathemata, nec minori neceſſitate quàm aër, ſi Galeno credimus, & experientiæ: qua enim neceſſitate præſenti cœli ſtatu frui cogimur, pari, ne dicam maiori in reliquis obligamur. Aëris quippe æſtuãtis ardorem, vel glaciale frigus temperare contrarijs facilius eſt, eiuſdẽque iniurias vmbra, aqua, igne tegumentis depellere, quam nocuas & deprauatas ciborum, aquarumve qualitates, & mixtiones in ſymmetriam ac naturæ gratiam reuocare. Quamobrem non naturalia vocata omnia (neque enim ab eorum cenſu aërem excluſum velim) ſub cauſarũ & ſignorum coindicantium, vel correpugnantium

9. Method. Capite 14.

in arte parua capite 85.

genere, iuxta diuersos respectus collocanda.

His ita declaratis indubitata nostra conclusio est, plenitudinem cum morbi magnitudine vera sectionis venæ indicantia reputanda: Facultatis robur, contraindicãs siue permittens, sine quo sepulta vis iacet indicantium. Reliqua annectimus tanquam coindicantia vel correpugnantia, quorum ope in morbi, plenitudinis, & virtutis accuratiorem cognitionem deuenitur, tanquam per signa, vel per causas. Morborum enim alij per alias ætates, regiones, tempora, & vitæ genera oriuntur. Varia quoque pro istorum varietate Plethoræ quantitas & qualitas. Variè à varijs afficitur vis corporis, naturarum quædam ad æstatem, aliæ ad hyemem benè vel malè se habent. Ab his itaque illorum notitia & distinctio haurienda. *3. Aphorismorum.* *3. Aphoris. 2.*

Hactenus ex duobus à Galeno propositis indicantibus virtute scilicet, & morbi magnitudine, alterum tantum admisimus, alterum ab ipso prætermissum recepimus nempè plenitudinem. Sequitur nunc tertium explorandum.



An ætas sit verum indicans à virtute distinctum?

QVÆSTIO DECIMA.

MIrabitur fortaſſè quiſpiam nos in re vtiliſſima ac in praxi frequentiſſima ſic liberè à Galeni placitis deflectere: ſed ignoſcat quæſo veritatis ſtudioſo fidem rationi potius quàm auctoritati tribuenti. Eò magis quod ſi ex Galeni decretis decernenda foret hæc quæſtio nihil conſtans ac firmum liceret enuntiare. Nam is palàm & expreſſis verbis paſſim à propria ſententia diuertit, vti apertè propoſitis aliquot vltrò citroque locis demonſtrabo. Puerilis quidem ætatis indicationem libro de curandi ratione poſuit
Capite 9. Galenus à facultatis indicatione ſeparatam: Eandem cantilenam in Methodo & alibi ſæpè decantauit; iiſdem tamen locis palinodiam cecinit. Ipſam ſub temperamento & conſtitutione corporis libro de curandi
Capite 13. ratione percenſeri iam anteà retulimus. Hanc ipſam nono Methodi ab indicantium primariorum claſſe penitus remoueri negari non
Cap. 14. poteſt. cùm enim docuiſſet indicationes medicatorias à morbo, à temperamento, ab aëre deſumi, addidit. Quod ſi aliæ quædam anteà ſunt poſitæ vel poſteà dicentur, omnes tamen ex his in partes diductis natæ videbuntur

buntur: siquidem corporis temperies quæ illo tempore fuit quo ægrotare id cœpit, quæque ad inuenienda præsidia est vtilis ex natura, ætate, consuetudine, & ambiente nos, aëre ortum habet. Temperies igitur priorem quam ipsa ætas in hoc ordine locum habet.]

Et inferiùs, consuetudo (inquit) vnum quiddam eorum est, quæ curationis rationem per naturam corporis intercedentem, indicant. Quemadmodum & ætas, si quidem ipsa quoque temperamenti interuentu indicationem præstat, veluti puerorum, quæ cùm calidam & humidam temperiem habeat facilè digeritur. Quid quod optimi inter Arabas Medici exemplo, qui filio suo trimo venam aperuit, istud præsidij genus, nostro hoc seculo pueris tutò, & vtiliter adhibemus? At quid dico Medici? Imò verò naturæ beneficio instructi: quando spontanei sanguinis effluxus etiamnũ tenellis & lactantibus ductu naturæ prodeunt, optimo successu, nulla virium læsione. Quamobrem non tam euacuationẽ remoratur puerilis ætas, quàm euacuationis profusam quantitatem. Cùm enim calido & humido sit temperamento, habitu molli, substantia tenui, & fluxili, hæc continuo defluxu per halitum euanescit: cui si larga euacuatione ampliùs detrahas, labefactatæ concident vires, quas alioqui validas in pueris admittimus: sed quales in morbi progressu futuræ sint attendi debet.

9. Methodi. 16.

Id quod eleganter vt omnia Cicero Me-

dicus annotauit, cuius hæc sunt vere aurea. Antiqui primam vltimamque ætatem sustinere hoc præsidij genus non posse indicabāt, persuaserantque sibi mulierem grauidam quæ ita curata esset aborsum esse facturā: Posteà verò vsus ostendit nihil ex his esse perpetuum, aliasque potiones adhibendas esse, ad quas curantis dirigi consiliū debeat. Interest enim non quæ ætas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint; firmus puer, robustus senex, & grauida mulier valens tutò curatur. Et paulò post sed æstimandæ vires, & ex ætate & conceptione colligendū possit necue superesse quod vel puerum, vel senem, vel in vna muliere duo corpora simul sustineat. Ecce quàm præclarè manifesta ratione fretus & experientia, veterum decreta è medio sustulit. Distinctione adhibita conciliare Galenum se quidam putant, dum inquiunt, de larga tantùm euacuatione ipsum loqui voluisse, quæ priscis illis familiaris fuit: Parcam autem aut moderatam non exclusisse, quam palam est ætati puerili conuenire.

Celsus lib. 2. cap. 10.

Verum qui ita sentiunt, duplici errore sese grauiter implicant. Primum enim euacuationis indicans, cum quantitatis indicante confundunt, cùm aliud sit quærere, vtrum venæ sectio pueris tutò administrari queat; aliud qua quantitate. Praetereà Galenū ipsum deprauatè omnino ac præter intentum proprium explicant; Nullus enim dubio locus esse potest quin Galenus pueriles annos infrà

decimum quartum ab hoc remedio secluserit: Qua ætate prætergressa, imperante morbi magnitudine, cum sanguinis copia (nota interim multitudinis indicationem hic inserij) consentiente regione, constitutione temporis & tempestate, puerique natura, sanguinem minui permittit, ita tamen mensuram definiat ad summū vncias nouem, (tot enim Tryblium siue Cotyla continebat) & hæc quidem quantitas tanta non est, quantam illi inferunt; non summa, at mediocris, quæ hoc nostro tēpore (quo in detrahēda sanguinis portione longè parciores sumus) posito simili casu prudenter decerni, & commodè tolerari posset. Iam si verum est quod illi sentiunt, quidni vt puberibus suam, pari quoq; ratione propriam & determinatam minoribus natu quantitatem definiuit Galenus? Addo quod aliò se torqueri non sinuat, hæc verba, tria sunt quæ secandæ venæ agnitionem continent, morbi magnitudo, aut præsens, aut imminens, ætas florens, & virium robur. Et inferiùs. Ex morbo, ætate, & viribus minuendus esse sanguis colligitur; At vacuationis quantitas non ex ipsis modò, sed ex alijs deprehenditur. Ætatem procul dubiò tanquam euacuationis & quantitatis indicans assignat, hoc illi negent prorsus necesse est, si interpretationem suam constare velint.

Libro de cur. ratione per sāg. miss. c. 13.

Gal. lib. de ponder. & mensuris.

Libro de cur. ratione per sāg. miss. c. 9.

At objecerit illorum fortè quispiam hæc quæ apud Galenum scripta reperimus; Ætas est veluti accidens quoddam, quod prohibē-

1. ad Glauconem capite 14.

di integram euacuationem vim habet; Neq; enim pueri, neque senes sine noxa tolerant, quibus verbis non euacuationem simpliciter, sed integram dumtaxat, hoc est vberem & copiosam in pueris dehortatur.

Verum huic satisfactum iri arbitror, si intelligat consequentium explicationem ex præcedentibus pendere. Cùm itaque anteà citatis locis pueros infrà decimum quartum annum ab omni euacuatione sanguinis, quæ fit vena secta, eliminarit: Existimandum planè est, de natu maioribus solummodò hîc orationem institui. Hi siquidem missionem sanguinis perferunt, quamquam non integram, at mediocrem saltem, nouem scilicet vnciarum ad summum, qualis præfato loco præfigitur. Eadem planè ratione intelligendus est Galenus 9. Methodi, cùm aut sanguinem in synocho vbi valida virtus subest, & permittit ætas; ad defectum animi mittendum: sin horum alterum non satis respondeat, tutiùs esse quantum satis visum fuerit initio detrahere quod desinit, iteratione supplere. Hæc inquam in ea solum ætate locum habent quæ ad huiusmodi præsidij genus ex doctoris mente & principijs admittitur. Et hoc indicat vox satis, quanquam enim detractionem sanguinis approbat Galenus, ab anno decimo quarto, qui pubertatis est tempus in masculis, integræ tamen, & vsque ad Lypothymiam perferendæ, non satis valida fuerit hæc ætas. Dices de pueris tantùm in obiectione sermonē

Capite 4.

esse, nos de puberibus respondere, quorum ætas à puerili communiter à Medicis separatur. Sed causam præscindunt huic instantiæ quæ ex Galeno in solutione protulimus, nimirum pueros, cùm decimum quartum annum attigerint, à venæ sectione moderata non offendi. Ex quo patet puerilem ætatem in Galeni doctrina etiam ad pubertatem extendi, & ipsam pubertatem suis finibus lata significatione concludere. Si cui tamen nostra hæc interpretatio displicebit: Dicemus primo ad Gloconem cap. 14. Partitã quidem & sensim factã euacuationem sanguinis etiam in pueris infra pubertatem non improbari; At non eam protinùs ex hac auctoritate decernendam, quam vena secta molimur, sed quam ipsemet Galenus definit his verbis.

Hosce omnes non semel, neque ex toto sed palatim euacuari dicet, inedijs, frictionibus, clysteribus mollibus, humectantibusque, & Cataplasmatis, & balneis.

Quæres, quorsum puerilem ætatem, vti & senilem ad vires non retulit? Respondet ipse senectuti robur inesse nusquam posse, secus omninò pueris. Horum tamen substantiam facillimè digeri atque dissipari, propterea quod omnium est humidissima puerilis ætas, nulla verò frigidior, quò minùs vacuantis præsidij eget, cùm habeat ex seipsa vnde naturaliter vacuetur, vt quæ tenella & inconspicuæ transpirationi vndequaque obuia. *Libro de cur. ratione per sãg. miss. c. 9. 9. Methodi. C. 17.*

Sed cur non eadem ratione, calido &

humido temperamento præditi, & raræ texturæ homines, æquè ac pueri, ab hac euacuationis forma reijciuntur? Aut cur nō æquè pueris atque iſtis venæ pertuſio pro ſuo captu & modulo deceptu decernitur? An non pueri præter vniuerſalem illam particularē aliam euacuationē quandoque expoſtulant? ſi poſtulant, cur prohibentur? ſupponamus, exempli gratia, adeſſe in puero omnia quæ Phlebotomiam permittunt, ſola dempta ætate; Adeſſe etiam quod ſuadeat, vt puta plenitudinem vehementem. Nunquid Hippocratis conſilio, & vrgente neceſſitate ducti, ex eodem latere ſanguinem illicò profundemus? Negabit forſan qui pro Galeno reſpondebit, propter ἄδηλον ἀναπνοὴν hoc eſt tranſpirationē occultam, quæ quantùm ſatis eſt detrahit: At non ex affecta parte, vti iubet Hippocrates; quam ob cauſam coloris mutationem attendit: ſpontanea autem euacuatio materiæ morbi nihil detrahens, veram atque legitimam non excludit. Ex quo profectò cōſequitur, neque pueris ipſis huius tranſpirationis gratia, venæ ſectionem iure merito denegari. Quod igitur morbus expoſcit, protinùs vacuandum, ſi vires ſpontanea vacuatione nondum magnam offenſionem incurrerunt.

2. acut. t. 10.

Fernelius 2. Method. Capite 11.

Huic opinioni ſtabiliendæ quid opus eſt teſtem alium appellemus quàm Galenum? Quid enim clariùs dici poteſt his quæ ſequuntur? Si tempore mittendi ſanguinis, menſes moueri contingat, ſiue etiam hæmorrhois

6. Methodi. cap. 5.

ſit recluſa, inſpectuſque fluentis humoris impetus ſatis fore videbitur, qui ſolus quod requiris vacuet, naturæ rem omninò permittes; ſin minùs tantum ipſe detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod poſtulas. In hac ſententia verba illa quod requiris, quod poſtulas omnem habent Emphaſin.

Sed iam mihi audire videor nonnullos Galenum ipſum opponentes longè contraria decernentem, dum ita loquitur. Neque ſi fuerit febris cum profluuio ventris; alia opus eſt euacuatione, ſed hæc ſola ſufficit, quamuis non ſit pro multitudinis ratione. Quicunque enim his plus adimere neceſſariũ putantes aut ſanguinem mittere, aut ventrem mouere tentauerunt, in grauiora pericula deuexerunt. *1. ad Galenum c. 14.*

Et ſanè locus hìc difficilis, & eruditos, hactenùs variè torſit. Dicam ego pro inſtituti ratione, quantum ſatis fore arbitror, relictis aliorum interpretum commentis. Hoc priùs conſtituto Symptomaticum eſſe propoſitum alui fluxum, (eſt enim integrum citatum caput, de Symptomatis vnà cum febre affligentibus) ſi ergô Symptomaticus eſt purgatione promoueri non debet, Naturam enim à cauſa morbifica laceſſitã nouis quaſi ſtimulis concitat purgatio, humorem ferociorem reddit, calorem extraneum adauget, nouam viribus offenſionem affert, ipſam corporis ſubſtantiam ardore febrili (quem continuum ſupponit Galenus) & ſpontanea alui deiectione plus nimio exſiccatam, prorſus

exhaurit. Quibus rationibus impulsus Auicennas, sapienter admodum quantũuis barbarè pronunciauit Timorosum esse supra ventris solutione ventrem soluere.

Non etiam tentãda in eiusmodi casu Phlebotomia, ne reuocato impetu rapiatur in venas, aut in partem principem decumbat humor à sanguine alienus: aut vnà cum caloris fomite virtus effundatur, quam tum Diarrhææ perferendæ, tum febri coercendæ validam subsistere necesse est: aut vtrumque simul grauiori malo, & pernicie accidat. Quanquam autem viribus infestus est is humoris motus, intro nihilominus contineri non debet, neque eius exitus impediri, metu grauioris incommodi (maximè cùm affectus saltem materiam imminuat) sed tantisper protrahenda est mora, & naturæ interim vires recreandæ admotis, assumptisque, dum leuita febris violentia, concoctione in vrinis apparente, quicquid reliquum futurũ est ipsa natura institutum opus promouente, cathartico foras extrudatur. Longè diuersus est hic casus de quo præsens exorta difficultas, vt cuique patet sedulò intuenti.

Siquidem inconspicuus ille puerorũ transpiratus, Pleuritidis causam coniunctam non adimit, neque adsunt prohibentia quæ attulimus. Dices, euacuatione duplici tenella corpora non minus conuelli quã quæ à Diarrhæa obsidentur, proindeque in ipsis à sanguinis profusione abstinendum. At Chirurgicam ta-

men euacuationem simul cum naturali perferunt, experientia teste. Verum illud donemus, habebimus intentum, virium scilicet ratione pueros à sanguinis missione prohiberi. Et sanè id præsidium in pueris pertimescendum est, & cautè administrandũ, quibus firma quantumlibet virtus, artificiosa euacuatione concussa, dissolutioni postmodum naturali vnàque morbi violentiæ obsistere vix tutò potest. Pertimescendum, inquã, non abhorrendum; cum cautione administrandum, non penitùs refugiendum.

De senili modo quid dicemus? Excludi certè ab hoc remedio omni ex parte non debet. Nisi erroris coarguendũ putemus Rhasim, qui ætate decrepita, peripneumonia infestante sanguinẽ emisit; Aut latinitatis apud Medicos parentem Celsum, cuius sententiam paulò ante retulimus; Aut celeberrimos quosque Medicinæ professores, qui nullo detrimento, magno sæpè commodo, venas senioribus pertundunt: Aut Galenum ipsum, qui septuagenarijs magno & vehementi existente pulsu cum æquabilitate, venam secari iubet. Sunt enim quidam & in hac ætate multi sanguinis, viresque habent robustas. Notandum intereà est, hoc etiam loci indicationis à redundãtia sanguinis petitæ, non sine causa meminisse Galenum: Quasi tacitæ eorum obiectioni iturus obuiam, qui præcipuum euacuãdi sanguinis intentionem (sanguinis puta copiam) prouecta ætate de- *lib. de cur. ratione per sang. miss. C. 13.*

ſiderari cenſuiſſent. Itaque quoad præſentem de ætatibus controuerſiam, concludendum primam vltimamque ætatem, ſub virtute collocari.

At nondum ſcopulos omnes prætergreſſi ſumus, remis & velis iterum agendum eſt, quò ſecurum tandem refugij portum in tam vaſto difficultatum pelago noſtra pertingat oratio. Eſt enim aduerſis concuſſum procellis, non tamen euerſum Galeni de morbi magnitudine documentum. Illud breuibus, quantùm ad præſens inſtitutum requiritur, illuſtremus.

An à morbo magno indicetur venæ ſectio? & quæ morbi magni ſint differentiæ?

QVÆSTIO VNDECIMA

MOrbi magnitudinem ſiue vim, ſeu grauitatem (his enim nominibus promiſcuè vtitur) à tribus pendere docet Galenus. *4. Method Capite 9.* Nempe à partis affectæ præſtantia, ab ipſius affectus magnitudine ſeu eſſentia, denique à cacoetheia hoc eſt prauitate. Atque exemplis ab Hippocrate mutuatis hiſce caſibus venæ ſectionem indicari probat.

Libro 1. Capite 7. Verùm inſurgit ſuo more Argenterius & Galenum confuſionis inſimulat, quod hoc lo-

co, vbi de venæ sectione ex professo agitur, data morbi distinctione, ab ipsa morbi magnitudine indicari sanguinis missionem absolutè pronuntiarit: Cùm certum sit hanc neq; malignis morbis, neque ijs tales sunt ob affectæ partis præstantiam perpetuò conuenire; vt apertè Galenus ipse 4. de presagia ex pulsibus, hecticam febrem magnum vnquam morbũ esse posse neget. Prætereà in assignandis magni morbi differentijs Galeni varietatem ostendit: Nam septimo Methodi ipsas æstimat ex morbi essentia, ex facultatis quæ læsum corpus gubernat, & actionis læsæ præstantia. Quamobrem ita negotium concludit Argenterius. Cùm magnum & paruum comparatione ad mediocre dicantur, magnus meritò vocabitur morbus communi omnibus ratione, qui mediocritatem excedit. Vnde quot sunt media ad quæ morbus refertur, tot planè morbi magni erunt differentiæ, totque morbus magnus dicetur atqui in vnoquoque genere, in quo excessus & defectus notantur, media quædam statuuntur, ad quæ excessus & defectus referentes simpliciter tale indicamus esse quod in suo genere maximè excedit; hoc igitur modo, morbos magnos vocabimus eos, qui inter morbos naturam morbi maximè retinent, & in suo genere præpollent. Est porrò morbi proprium & inseparabile, quod affligat molestetque corpus, vndè qui vehementer id faciunt, magni appellantur, vt idem sit morbus magnus & vehemens.

Quod etiam Galeno auctore facilè licet probare: Etenim quarto Methodi, vbi magnitudinem morbi sanguinis ablationem indicare scribit, pro magno, grauem, validum, & vim magnam habentem vsurpat. Quin & 1. & 3. de Crisibus ad hunc modum habet, siue magnum siue vehementem morbum dicas nihil interest? Est autem morbus vehemens qui validè & paruo temporis spatio affligit, Quo fit vt idem etiam sit hoc modo morbus magnus & acutus.

Hæc ille, quæ non Galeno tantùm, sed etiam veritati sunt è diametro repugnantia Quarto enim Methodi, qui locus à contradictore affertur, tantùm abest, vt magnum pro acuto vsurpet, vt sub magno morbo inueterata etiam vlcera comprehendet: verum priusquam in arenam cum Argenterio pro Galeno descindamus. Ad huius rei intellectum, clarioris doctrinæ gratia, præmittendum illud est Græcis εὔτονον ἰσχυρὸν, χαλεπὸν, σφοδρον: Et apud interpretes, grauem, contentum, fortem, difficilem, magnum, vehementem pro eodem cōmuniter accipi. Quãquam reuera propriè accepta plurimum inter se discrepent. Siquidem vehemens id appellatur, quod velox simul & violentum est: sic & Athletas & leones vehementes vocant, quorum validæ sunt, & citæ actiones. Vehementia itaque celeritatem vnà cum violentia complectitur: Magnitudo, difficultas, cæteraq; solam vim sua significatione includunt.

3. de diff. pulsuum Capite 5.

Ideòque pulſum illum quem vulgò vehementem nominant, ſi in celeritate deficiat, contentum appellandum propriè cenſuit Galenus, antiquam tamen appellationẽ retinuit, fruſtranea ſiquidem eſt de verbis diſceptatio, ſi modò res intelligatur. Impropriè quòque primo & 3. de Criſibus vehementis nomen vſurpauit, cùm vehemens & magnum pro eodem poſuit: Nam morbus magnus vehementem, hoc eſt acutum, tanquam ſpeciem, ſuo ambitu circumſcribit. Sed Galenus parum de verbis ſollicitus recepta & familiari loquendi conſuetudine, vt in alijs ſæpè fit, generis nomen ſpeciei illic applicuit. Vndè immeritò Argenterius colligit, apud Galenũ vehemens hoc eſt acutum, & magnum eſſe reciproca & ſynonima: Cùm certiſſimum ſit eo ipſo loco, quo magnum pro vehementi ſiue acuto poni aſſerit Argenterius, patere latiùs magnum, quàm acutum. Quod poſtmodum animaduertens ipſe palinodiam canit, & fateri cogitur, magnos eſſe morbos qui vim magnam poſſident, ſiue citò, ſiue tardius ſoluantur. Qua deſcriptione conceſſa perit funditus noua ipſius de indicatione Phlebotomias opinio.

Nam ſi magnus eſt morbus qualis deſcribitur, ſolis acutis conuenire non poteſt eius appellatio, quare ex conſequenti falſum erit à ſolis acutis venæ ſectionem indicari. Neque nos à Galeni ſententia diſtrahunt ipſius argumenta: ſi enim qui vehementer hoc eſt

validè corpus affligunt magni sunt morbi, quorsum malignos excludemus, & eos qui principem aliquam partem obsident, suaque vi tandem vitam vnà cum omni substantia diripiunt? At febrem Hecticam magnum esse morbum negasse inquit Galenum. Habetur quidem 3. de præsagatione ex pulsibus cap. 7. Magnum pulsum & vehementē, cum Hecticis febribus nusquam concurrere, Sed quarto eiusdem operis libro, eius quod obijcitur nulla est mentio. Quod si vnquam à magnorum morborum classe Hecticā seposuit Galenus, de prima eius specie, seu gradu fuit loquutus, qui humiditatem tantum ex qua nutriuntur partes absumit, nec adhuc funestam admodum vim habet. Non autem de secundo, qui in carnosis hæret partibus, neque leuissimum quidem errorem perfert, quod exitialis sit affectus. Multò minus de tertio gradu, qui solidam depopulatur substantiam neque vllo modo sanari potest. Non absimilis est eiusdem Galeni sententia, cum penes generationis modum duplicem febris Hecticæ differentiam facit. Illæ enim (inquit) quæ statim ab initio inuadunt, similem sui ortum Ephemeris facientes ex tristitia, aut ira, aut lassitudine nimia, vnà cum solis feruore contracta non admodum difficilè curantur. At quæ ex ardentibus febribus ortum habent, quæ tantum temporis protrahuntur, vt longitudine durationis humorē in corde cōtentū absumant, non modò Hecticæ sunt, sed etiam

10. Methò. Capite 11.

1. de diff. febr. c. 8.

tabidæ: cumque iam exquisitè consistunt, & iamdudùm inceperunt non modò easdem curare difficile est, sed etiam impossibile. Ex his Galeni verbis quis non inferat, hanc saltem Hecticæ speciem magni morbi appellationem mereri, si vera est Argenterij definitio?

An igitur quia in hac febre, vti & in venenatis affectibus à venæ sectione prohibemur, magnum esse morbũ negabimus? Nullo modo. Licet enim admitteremus à solo morbo magno Phlebotomiam indicari, non sequeretur tamen administrandam ipsam esse hoc casu, virtute reluctante. Enimuerò si in magna crudiorũ humorum abundantia, magno existente morbo venam pertundi vetat Galenus, quoniã sufficiens adesse robur non poteſt, aderit multò minus in proposito affectu. Respuit hanc solutionem Argenterius, sed nulla fretus ratione. Imò verò si in ipsum propria spicula retorqueantur, ad eam, tanquam ad Asilum, se recipere cogetur. Demus (si ita lubet) ab acutis solùm affectibus, venæ sectionem designari: Hoc pro maiori posito atque concesso, ita demum Syllogisticè procedemus, quidam venenati morbi sunt acuti, citò enim & vehementer hominem excruciãt, citò ad perniciem deducunt: Igitur à venenatis quibusdam venæ sectio indicatur. Nihilominùs veneno infectos non detractione sanguinis, sed antidotis curare decet, alioqui plus officias, quam iuues. Ex quo profectò

Libro de cur. ratione per sãg. miss. c. 5.

consequitur, proprijs irretitum plexibus Argenterium, manifestæ contradictionis notam effugere non posse, nisi ad facultatem recurrat quæ veneni prauitate lacessita, euacuantis præsidij motum & violentiam sustinere nequit. Aut dicat aliud quoque inueniri quod prohibeat, ne scilicet exinanitæ venæ succum ad se polliciant venenatum. Falsum præterea est, quod ex eodem Galeno colligit varietatem in enumerandis magni morbi speciebus apud ipsum inueniri: læsæ enim actionis & facultatis præstantia, ad partis præstantiam refertur, quemadmodum ipsa actio effectiuè à parte pendet, siquidem operatio sequitur virtutem, virtus essentiã. Hæc itaque vnicam solummodò efficiunt differentiam. Ea verò morbi magnitudo quæ vel ex causatum, vel ex Symptomatum vehementia æstimatur, aut ad malignitatem aut ad affectus essentiam reducitur: Quamobrem omni culpa vacat hac in parte Galenus. Sed excusari nequit Fuchsius dum morbum magnum in tria partitur membra, à definitione primum exorsus, hoc modo.

4. & 7. Methodi.

Instituti. Medic. lib. 3. sect. 1. capite 7.

Morbus est magnus (inquit) qui vehemẽter affligit & infestat, quique vim magnam obtinet, id quod accidit tribus potissimum de causis, quod scilicet in nobili & præstanti aliqua parte consistat; aut quod plurimum à naturali statu recedat, & periculosus sit, aut quod suaptè natura & per suam essentiam sit magnus.

Errat

Errat in primis dum id quod totius eſt generis, ſecundæ dumtaxat ſpeciei tribuit: quiſquis enim magnus eſt morbus (ſi vera Fuchſij definitio) periculo non vacat. Deinde hæc eadem ſecunda ſpecies cum tertia coincidit: Nam quid aliud eſt ſuapte natura, & propter ſuam eſſentiam magnum eſſe morbum, quam plurimum à naturali ſtatu recedere? Denique malignitatis non meminit. Hactenus vndequaque tumultuarij aduerſantiũ fluctus contrario impulſi vento, in veritatis, quam ingreſſi ſumus, nauim impegerunt, tandemque confracti, nulla nobis inflicta clade, atque diſſipati, in auras euanuerunt. Supereſt vt de quantitate euacuationis decernamus,

A quo indicetur euacuationis quantitas.

QVÆSTIO DVODECIMA.

IN hac quæſtione magnoperè laborandum non eſt, patet ipſa nullo negotio ex dictis. Id enim quod euacuationem indicat, euacuationi, terminũ & menſuram præſcribit. Itaque ſi à plenitudine ſola præfinitur ſanguinis vacuatio ab eiuſdem plenitudinis exuberantia detractioni modus imponetur, hæc eſt veriſſima doctrina Galeni teſtimonio luculenter expreſſa. Sicuti (inquit) qualitatem pro humoris moleſtantis ratione vacuari, ita videlicet quantitatem multitudini moleſtantis

humoris respondere oportet.

9. Metho-di. C. 15. Quod vt fiat naturam curandi corporis scias decet, quò, quantùm morbus ab illius Symmetria discesserit intelligens, mensuram remedio imponas. Hæc postrema verba quanquam de qualitate dicuntur, possunt tamen etiam quantitati iusta proportione applicari: vt enim calido affectui non satis est adhibuisse frigida, sic neque plenitudini euacuationem, nisi debitus seruetur modus. Par vtrobique metus, si infrà modum substiteris ne vel morbi, vel causæ quidpiam relinquatur: sin modum excesseris ne contraria vitia inducantur. Et hoc quidem simpliciter de solitoria repletione intelligendum est, non de ea quæ periculi magnitudinem habet adiunctam: Quemadmodum enim hæc non quacumque euacuandi normam postulat, sed eam solùm quæ fit secta vena, sic etiam quantitatem ab ipsa limitari suo excessui proportionatam consentaneum est.

Namque vbi feruescentis inest sanguinis plenitudo acutissimam accendens febrem subitò ac semel euacuabimus, eamque inanire tentabimus vel ad animi deliquium vsque, virium inspecto robore. Tantam verò detractionem nusquàm moliemur si præter multitudinem nihil vrgeat; Hæc igitur quantitas habet pro indicante præter plenitudinem morbi quoque vehementiam. Si quæ ex Galeno in contrarium produci solent examinare in animo esset, rem factã aggrederemur. Ruunt

suopte impetu aliter sentientium tela. Quanquam negari non potest Galenum, vt in sectionis venæ indicante proponendo varius fuit, pari ipsum varietate quantitatis indicationem implicuisse.

Quæsitorum porrò solutionem non aliundè tanto labore mendicari opus fuerat quàm ab eo quem explicamus Aphorismo nisi perplexa dubiaque Galeni sententia eò nos impulisset; Prompta quippè est & facilis in ipsis Aphorismi verbis solutio breui oratione cõprehensa: Et quæso singula verba ad examen reuocemus. Euacuationis indicans hac clausula continetur (bonum habitum soluere expedit) hoc est plenitudinem exhaurire: ita omnes interpretentur, Et patet ratione. Non enim aliud indicatur, aliud soluitur: aliàs frustranea esset indicatio, nec vllius vsus solutio, igitur hæc solutio à plenitudine indicatur. Quãtitatis indicans ista cõnotant (vasorum cõpressiones aut concidẽtiæ, quomodocunque vocari velis, ad extremum non sunt ducẽdæ) quod perindè est ac si dicas vacuandum pro multitudinis ratione, quam ex vasorum tumefactione quodammodo metimur, veluti etiam detracti sanguinis quantitatem ex ipsorum depressione, sic ἀδηλοφλέβους obscuris incertisque venis homines pauci sanguinis esse conijcimus. Dicit ergò Hippocrates cauendam esse extremam profusionem, quasi tacitè magnam admittens, vt quæ tam à magni morbi impendentis metu, quàm ab

insigni exuberantia indicetur

Illud hoc loco disquisione dignum est, cur ex hoc indicio potiùs, quod valde debile atque infirmum videtur, sanguinis extrahendi mensuram præscripserit Hippocrates, quam ex alijs à quibus indubitatæ vitalis roboris petuntur coniecturæ, ex mutationibus scilicet pulsuum, quæ in hoc genere primas obtinent, maximè cùm ægri naturam considerandam doceat, quod perinde est, ac si facultatem diceret? Norunt qui in ipsius lectione sunt versati, vix ipsi vnquā de pulsibus sermonem esse: at plurimus est passim in recensendis ijs quæ ex αὐτοψία depromuntur notis, quâ ratione in prognosticis ægri faciem ante omnia considerat. Pari ratione in hoc quoque Aphorismo: vbi de vasorum repletione sermo est, ex qua oritur manifesta sensibus tensio, ex immutato eorumdem vasorum statu qui sub aspectum cadit euacuationis modum determinat. Hæc igitur eius est intentio, hæc doctrina, cùm præ euacuatione videris subsidentes venas, quæ aliàs in Athletico habitu apprimè sunt conspicuæ, sanguinis effluxum comprime: Nam ad extremam vasorum σύμπτωσιν deuenire minimè tutum fuerit: vasorum, inquam, non molis corporis vt interpretatur Fuchsius: licet enim admittamus Athleticum habitum vnà molis corporis & sanguinis incrementum continere, nihilominus vix in animum sibi quisquam induxerit, tantam fieri posse vita etiamnū superstite

1. Prognost. & seqq. & alibi.

ſanguinis detractionẽ, vt temporis momento ſummè extenuetur & collabeſcat hæc moles, quam, ne exinanito quidem aut maxima ex parte aut vniuerſo, protinus concidere putandum eſt: vt in capite truncatis, aut enſe confoſſis experientia quotidiana comprobat. Poſſunt è contrà exhauſta præter modum vaſa illicò ſubſidere, penituſque in ſe contrahi, aperto, atque imminenti viriũ vitæque diſpendio.

Oritur hic altera priore non minor dubitatio, cur externì dumtaxat præfati indicij meminerit Hippocrates, faciei mutationem, languidiorem ſanguinis effluentis modum prætermiſerit, aliaque id genus quæ ſub obtutum cadunt, & à Galeno numerari ſolent.

Reſpondemus coloris illius floridi, qui in pleno habitu plerumque cernitur, fieri non rarò mutationem, non ſolùm ob imminutionem ſanguinis & virtutis, ſed etiam propter externas cauſas: à frigore videlicet, aut concitato aliquo animorum motu, à timore præſertim, qui iſto caſu vel in cordatis viris frequens. Hæ ipſæ cauſæ ſanguinis remorantur, inhibentque motum, qui aliàs præ vbertate raptim ac violenter ferri conſueuit. Quin etiam vti tenuitas ſanguinis eiuſdem impetum promouet, illum pariter craſſities retardat. Quamobrem conſultiùs viſum eſt breuibus quæ ad artem faciunt proponenti, cæteris omiſſis quæ iunioribus nonnunquam imponunt, ea perſtringere quæ perpetua ſunt,

& in errorem inducunt neminem.

Verum obtrudet aliquis compressa quoque ab externo frigore & timore vasa sensum effugere: Imò redundante etiam sanguine in carnosis & obesis corporibus facilè oculis non deprehendi. Sub aspectum vix cadunt fateor, sed tactum non fallunt periti artificis. Vt ergó duo vincula ligant arctiùs, ita & à duobus sensibus petita indicia probant certiùs. Illa ipsa verba (*Vasorum depressiones*) docent manifestè sanguinem vasorum sectione detrahendum: Qua ratione indicationi à futuri morbi magnitudine petitæ remedij satisfacit magnitudo. Morbi autem impendentis grauitatem hac oratione explicari (sequitur vt in peiùs ruant) iam anteà declarauimus.

Dices quorsum Galenus interpretis vices gerens, solius redundantiæ meminit & virium nulla facta morbi mentione? Sic enim habet eius commentarius. Quantum autem euacuare conueniat non modò redundans humor, sed & natura indicabunt. Respondeo ex Galeni sententia reuerà à magno morbo quantitatem mittendi sanguinis demonstrari; Ita expressè habetur libro sæpiùs citato de cur. ratione per sanguinis missionem. Solius autem redundantiæ meminit hoc in loco, quod supponeret morbi magnitudinem ratione & exemplis initio commentarij satis declaratam. Permittens euacuationem hac in parte exprimitur, (qualis natura fuerit eius

Capite 9.

qui perferre debet) quod est Galeno interprete, pro virium modulo; Nam apud Hippocratem quandoque pro synonimis vsurpantur φύσις & δύναμις.

Ætatis nulla fit mentio, tum quod de Athletis sit exemplum propositum quos ætate florenti fuisse constat: tum etiam quod sub naturæ, hoc est virium consideratione ipsa collocetur. Hactenus Hippocrates, & nos cum Hippocrate circa indicationes, nunc ad conditiones in ipsa venæ sectione obseruandas, quæ ab Hippocrate hoc loco sunt prætermissæ, in iuniorum gratiam descendamus.

Quando, & qua ex parte secanda sit vena in Athletico habitu.

QVÆSTIO DECIMA TERTIA.

PErspectum habere ijs euacuandum sanguinem quibus ex eius multitudine periculũ imminet, artis Hippocraticæ præstantiam nondum æquat. Ego enim tum qua ratione, tum quo tempore quaue quantitate euacuatio instituenda sit mihi declarari mallem (inquit) Galenus: Galeno satisfaciamus. De quantitate quidem in præcedentib⁹ actum est, de tempore illud obiter dicemus, in Athletico habitu non cunctantèr vt loquitur *Libro aduers⁹ Erasist. Cap 6.*

Hippocrates) hoc est quã citissimè quacũque tempestate succurendum propter occasionis motum præcipitẽ. In ea verò plenitudine quæ leuior est (quam impropriè plethorã appellari diximus) omniũ tempestatũ ver accommodatissimum, modò ne quid vrgeat. Summum frigus & ardens Syrius cogente quidem necessitate. Sãguinis euacuationem non omninò remorantur, at quantitati modum præscribunt facultatis gratia. Circa hæc ipsa verba (*Non cunctanter*) alia paulò inferiùs mouebitur quæstio ad praxim necessaria, inter doctos & imperitos controuersa.

6. Aphor. 42.

Capite 20. De hora, breuitèr, at quantũ satis est, disserit Galenus eo libro qui de curandi ratione per sang. miss. inscribitur, cuius verba satis superque fuerit in rem præsentem adscripsisse. Quidam (inquit) manè tantum, aut ad summum in horam vsque quintã aut sextam tundendam esse venam arbitrantur; verum si quis memoria teneat quæ toto supra libro sunt dicta nihil tale committet, sanguinem fundens quauis diei noctisque hora, modò respiciat, in febrientibus quidem particularium paroxismorum declinationem: in quibus autem aut ob oculorum lippitudinem, aut aliud simile citrà febrem hoc opus est auxilio, non declinationem omninò, cùm omninò febris non adsit, sed magnitudinem aut doloris, aut phlegmones, aut totius affectus, in quo secta opus est vena, inspicere conuenit: cùm autem nihil eiusmodi aut vrgeat aut prohibeat,

præſtat manè venam incidere haud protinus ex ſomno excitatis, verũ circiter horam vnam iam anteà vigilantibus: Neceſſitati itaque nulla lex imponenda eſt: cùm verò delectus licet hora matutina verumque tempus cæteris præferenda. Ad euacuandi rationem (quod primum à Galeno propoſitum fuit, duo referuntur: alterum eſt euacuationis ſpecies, alterum locus cui applicari debet. De priore dictum eſt in ſuperioribus, de poſteriore in hac quæſtione pertractandum. In quo quidem peragendo (quoniã longa res eſt & difficilis) nè longiùs quàm par eſt orationis fines propagemus, difficultates omnes quæ circa hanc materiam moueri ſolent non attingemus, ſed propoſitis quibuſdam, velut exempli cauſa, de cœteris proportione iudicium facere vnicuique permittemus, firma in primis hæc eſto concluſio.

Secari in omni plenitudine eadem vena non debet, diſtinctione res indiget, vel enim ex conſuetarum euacuationũ retentione ipſa profluxit, vel ex peculiari natura, ætate, pleniore cibo, cœteriſque cauſis eodem conſpirantibus. Adde præterea vel inſigniter infirmam partem aliquam adeſſe in quam decumbat multitudo, vel non vni membro quam alteri grauiorem noxam pertendi.

Cohibitis euacuationibus ſolitis, modò ne quid impediat, aperienda vena illa eſt, quæ intermiſſum naturæ motum reuocet. Si qua verò pars admittendæ fluxioni cœteris

sit magis oportuna, reuulsione præueniendum malum. Horum si nihil affuerit, quà cuique magis placebit. Hoc tamen animaduerso, vt in maiori plenitudine vas insigne aliquod potissimum seligamus, quale est illud interius dextri cubiti, quod è directo sanguinis fontem respicit, proindeque vulgò iecorarium appellatur, & ampla via cum vena quæ caua dicitur societatem habet. Hac data porta celerrimè ingruentibus morbo & symptomatis occurretur. Istud euidens est, cœtera priore loco posita exemplis declaremus.

Libro de cur. ratione per sãg. miss. c. 19.

Galenus 3. Metho. Capite 11.

Sit aliquis in podagram procliuis, sanguinem in pedes irruere paratum secto cubito in contrarium reuellemus. At comitialibus & vertiginosis aperta crurum vena morbi recursum prohibebimus, in hoc satis consentientia video inter se doctorum placita, quanquam res planè omni controuersia non vacat. At discrepant toto cœlo in eo quod exempli gratia in posterum agitaturi sumus.

Libro de cur. ratione per sãg. miss c. 19.

Esto aliquot iam mensibus cõpressa menstrua largioris sanguinis prouentum in corpore cumularint: Quanam ex parte sanguinem duces? *An ex cubito, an ex talo?*

Ex talo iubet Galenus; Reclamat Aëtius eiusque penè innumeri sectatores: vtrosque seorsum loquentes audiamus.

lib. de cur. ratione per sang. miss. c. 11.

Plenitudines (inquit ille) à suppressis mẽsibus ortas, omnino per crura vacuabis, siue secare venã oporteat, siue scarificatione vti: sectæ enĩ in cubito venæ mulierũ purgationẽ reuel-

lere assolẽt vides vt suã firmat ratione sentẽtiã.

Ampliùs 13. Methodi, de venis in vteri inflãmationibus secandis ita decernit. Renib⁹, vesica, pudendis, & vtero sic habentibus, eas quæ in cruribus sunt sitæ, ac potissimũ quæ circa poplitem: sin minùs eas quæ iuxta malleolos aperire expedit. *Capite. 11.*

Libro verò de cur. ratione per sang. miss. de ijsdem pertractãs, vteri (inquit) inflammationes magis etiam quam renum à venis in crure sectis iuuantur, nam quæ ex cubito fiunt euacuationes aliud etiam habent adiunctum malum, nempè quod purgationes menstruas cõprimunt, sanguineq; ad superiores corporis partes detrahũt; Quæ verò ex malleolis, tantũ abest vt retrahant, vt etiam menses promoueant. Hæc de vteri inflammatione asserimus, cuius eadem est ratio ferè, quæ & plenitudinis à retentione menstruorum: contraria siquidem opinionis assertores, hîc non min⁹ quàm illic inferiores venas pertimescunt, quod euocato ad vterum sanguine, aut retentio augeatur, aut Phlegmone grauiùs accendatur. *Capite 18.*

Vlteriùs in progressu nuper citati operis ita habet Galenus. Retentis Hæmorrhoidibus siquidem cohibere eas voles, quæ in brachio sunt, sin prouocare, crurum venas aperire cõuenit; at in ijs quibus suppressi sunt menses semper in cruribus. Quid clarius dici aut excogitari potest? Huc etiam referre licet quod in commentario Aphorismi 36. *Libro de cur. ratione cap. 19.*

particulæ 6*. à Galeno ſcriptū eſt, illud enim Hippocratis (difficultatem vrinæ Phlebotomia ſoluit) de ea dyſmia interpretatur quæ vel ab inflãmatione, vel à plenitudine ortum habet. Quod verò ſubditur (ſecandas interiores) de cubiti venis nullomodo intelligendum aſſerit: ſiquidem in omnibus ſuis ſcriptis, partibus ijs quæ ſupra iecur ſunt affectis ex manibus ſanguinem mittere: Inferiorum verò partium morbis poplitis & malleoli venas pertundere iubet Hippocrates. Denique coxeudices vnico ſe die curaſſe gloriatur Galenus, facta ex crure euacuatione, vbi non ex frigore, ſed impletis ſanguine quæ in coxa ſunt venis prouenissent. Quidni idipſum facere liceat ſimiliter affecto vtero, cùm non minus coxeudix & veſica, quàm vterus ipſe inter inferiores partes numerentur?

6. Aphor. 36.

Eodem de ratione curandi libro C 18.

Quæret ex iunioribus aliquis. Quorſum deſiſtẽdis Hæmorrhoidibus ſermo eſt, menſium autem prouocatio ſemper omnique ſtudio procuratur? Cùm vtraque euacuatio leuando corpore ſit à natura inſtituta? Satisfacit Galenus duplici ratione. *Primum*, quod liberari quidam ab Hæmorrhoidum purgatione cupiant, non item à menſtrua: Deinde quod illa eouſque progrediatur aliquando vt hominem vel protinus interminat, vel aquæ intercuti obnoxium, aut cachecticum reddat. Vteri purgationibus, vt quæ ſecundùm naturam ſunt, tale nihil euenit. Poteſt nihilominus

Ibidem capite 19.

& in his quandoque ab erosione, alijsque causis præter naturam, immoderatus flus concitari, qui sanè per superiora reuocandus est.

Ad Aetium veniamus is auctor est, copiosa sanguinis missione sanari eas quæ propter multitudinem non purgantur, ideoque cubiti ac tali secare venas oportere. At in vteri vehementi inflammatione cœteris consentientibus, cubiti venam pertundendam, & sanguinem pro virium ratione detrahendum. Quin etiam licere secunda die venam incidere & tertia detractionem repetere. Vbi retentionis à multitudine, & phlegmones diuersam rationem statuit; in illa enim à cubiti sectione ad malleolos progreditur: In hac solius cubiti mentionem facit. Qui Aetij tuentur partes Galeni ipsius testimonio sese præmuniunt. Pro eorum stat sententia, illud, ex libro de cur. ratione per sang. miss. Incipientes Phlegmonas reuulsu euacuare oportet, quæ verò inueteratæ iam sunt, ex ipsis si fieri potest affectis partibus, quod si nequeat, saltem ex vicinis; Etenim incipientibus auertere quod influit expedit: in inueteratis autem id tantum quod affectæ parti infixum est euacuare: Euacuabitur porrò id optimè per venas coniunctas cum ijs quæ in ipsis partibus sunt sitæ.

4 Tetrabiliō serm. 4. Cap. 57.

Ibi. cap. 83.

Capite 19.

Secundo quoque ad Gloconem in Plethorico iuuene defluxu ad inferiora irruente superiores venas aperit, sin contrarius sit

Capite 2.

humoris motus inferiores. semper enim (inquit) humoris cursum trahere in contrarium iuuat.

Clarius idipsum explicatur eodem capite ipsius vteri exemplo, atque ita manifestè vt nullus dubio locus superesse videatur, hæc sunt verba. Fluentiū adhuc humorū ἀντίσπασις hoc est retractio (sic enim Hippocrates nominat) eorū autē quæ iam partē obsederunt deriuatio modela est. Vtrumque autem euacuationis genus per communes venas fieri præcipit, veluti in locis muliebribus in contrariū trahes, si eas quæ in cubito sunt secueris venas, aut circa mammas cucurbitas apposueris, vel manus concalefeceris, & fricueris, atque alligaueris. Deriuabis autem, si eas quæ in poplitibus aut talis sunt venas secueris, & cucurbitas coxis applicueris, & crura calefeceris ac perfricueris atque alligaueris. Quid quod vti deriuatio ad vicina, sic reuulsio fit ad contraria? id enim sonat vox ἀνθίσπασις) vnde perpetuū & inuiolabile præceptū istud sanxit Galenus. Quæ in oculis aure, vel palato fluxiones accidunt, eorum ad vicina per nares deriuatio est.

5. Methodi 3.

Reuulsio vero in ijs quæ suprà sunt omnibus, deorsùm semper agitur: sursùm, in ijs quæ sunt infrà. Præterea à dextris ad sinistra, sicut ab his rursus ad illa: similitèr ex ijs quæ intùs habentur, ad ea quæ foris sunt contraq; ab his ad illa, ita namque & natura facere consueuit: mulieri enim sanguinem euomenti

menſes ſuperueniētes remedio ſunt. Quod ſi vel menſes confertim eruperint, vel ſanguis ab vtero quodammodo profluxerit ſurſum reuelles, ita ſuadente Hippocrate, cucurbitulam maximam ſub mammis defigendo. Age modo nonne eandem viam tenebimus, cùm irruentis in vterum ſanguinis multitudo influxum aliò pertrahi iubebit.

His è diametro reſpondent illa quæ libro 4. Methodi Therapentices ſcripta inueniuntur. Si etiamnum fluxio valens, irruat, reuellere ad contraria ſtudebimus. Vtique ſi in ſuperioribus vlcus conſiſtat per inferna purgantes: ſi autem in inferioribus ſit, ſuperiorem ventrem euacuantes: at ſi iam fluxio conſiſtit atque in membris inhæſit, deriuare per vicina magis expedit. Libro quoque Methodi 13. ſic habet ſi quis purgationem in incipiente iecoris phlegmone decernat, maximam excitabit inflammationem, æquè vt ſi cùm renes aut veſicà Phlegmone tentari cœperint, quæ vrinas cient medicamenta exhibeat, aut ſi cùm vterus Phlegmone laborat, menſes deuocet; ſiquidem longiſſimè à parte quæ fluxione tentari incipit, quod redundat reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenit. Hoc pro maiori poſito, ſic aſſumo: ſaphenæ inciſio menſes mouet, ergo incipiente vteri Phlegmone non erit opportuna.

Capite 6.

Capite 11.

Valida ſanè vtrinque argumēta quæ doctos in contrarias opiniones diſtraxere. Quidam

verò mediam quãdam ſecuti viam diſſentiẽtiũ loca cõciliare aggreſſi ſũt, id fundamẽti loco ſtatuẽtes quod iam anteà declaratũ eſt plenitudinem ſcilicet, aut copioſam eſſe aut leuem. In leui concedunt ex Galeni mente aperiendas perpetuò inferiores venas. In graui plenitudinem aſſerunt primũ ex ſuperiori parte minuendam, ne copioſiore ſanguine ad vterum deducto, augeatur obſtructio: Tum malleolum pertundendum, ne ab inſtituto curſu natura auocetur. Idem omnino de inflammatione ſtatuunt; In cuius principio, ſi vehemens ea ſit, reliquique corporis adiunctam habeat pleuitudinem, ſanguinem è cubito reuulſionis tantum gratia profundunt mox, ad deriuationem ſimul & euacuationem, ex talo deueniunt: Hac adhibita cautione fluxionis adaugendæ periculum effugiunt, illique indicationi quæ ab influxo in partem ſanguine, deſumitur, ſuo tempore ſatisfaciunt. Ingenioſa quidem explicatio, at non vndequaque noſtri doctoris intentioni reſpondet.

Altomar⁹ de ſuppreſ. menſium

Huius alteram partem admittit Fernelius, alteram reijcit. De poſteriore ſic loquitur At ſi qua inflammatio ſubeſt, (in vtero ſcilicet) per initia rurſum retrahetur, idq; directo, illius quippe tanquam è fonte plenior fluxio irruebat; nec eſt quod inde menſium ſuppreſſionem vereare, ſi modo quàm mox venam in malleolum aut in poplitem directam ferire iubeas, quæ illorum euacuationi deriuationique

lib. 2. methodi c. 7.

que

que paratum & expeditum est præsidium. At si quis temerè hoc ab initio experiatur, & attentet, fluxionis impetum, Phlegmonemque augebit. Reuulsio enim quæ fit secta interiore cubiti vena, quia iecur fontem ipsum è quo fluxionis exordium est exhaurit, vniuersalis censetur, quæ verò ex venis inferioribus fit, particularis, neque fontẽ primariò euacuat. Quanto lepore, facilitate, breuitate, rationes perstringit; tum concludit. Cùm itaque vniuersalia particularibus sint præmittenda, inflammationes quæ subter renes incurrent primùm reuellendæ sunt, præcisa interiore cubiti vena directa: Deinde reseratis inferioribus, quæ aliquam etiam reuellendi vim obtinent: has tamen tutum minimè sit primas ferire, maximè si ingens est vasorum plenitudo fluxionisque incursio vehemens. De priore verò nulla distinctione allata sic generatim statuit; si plenitudo ex suppressis mensibus coagmentata est, Quisquis morbus impendebit congruenter propulsabitur internarum sectione, quæ dum vacuant, menses pariter esciunt, ipsamque mali causam exterminant.

Fuchsius nullo discrimine vtroq; in casu, poplitis aut malleoli venã aperit. Dubius hæret Frambesarius sola contrariarum opinionum allegatione contentus, neque quid ipse sentiat promit, cùm tamen in praxi dum res in consilium vocatur certò definienda sit. Ad demendam (inquit) plethoram, vnaque

Lib. de curatione Capite 53. & 59
Libro 3. consultat. Medicin. consil. 29.

promouendam menstrui sanguinis purgationem secanda Galeni consilio malleoli vtriusque vena, aluo remolliente clystere soluta, nisi cubiti vena prius videatur aperianda, vt monet Aetius, nè sanguis maiori impetu irruat ad vterum: vel vt reuellatur sanguis qui copia sua obstructionem fouet. Quasi verò obstruenti sanguini debeatur reuulsio, non ei qui obstructurus est; ruenti ergò sanguini conuenit reuulsio non ei qui obstructionem fouet. Quem nos tandem in tam varia opinionum & rationum quasi fluctuum agitatione refugij portum perquiremus? Magni equidem ad ægrorum salutem momenti hæc disquisitio, in qua si Galenum nostrum sequemur ducem secandas perpetuò inferiores venas apertè concludemus. Id quoniam luculenter anteà comprobatum est, scrupulũ omnem è medio sustulisse videbimur, si quæ ab auctoribus in contrarium afferuntur, ad rationes trutinam reuocemus. Quoniã verò hæc non parum difficultatis habent, explanationes adhibendæ vt omnis difficultas è medio tollatur.

Sciendum in primis reuulsionem fieri nonnunquam ad distantissima, quandoque coniunctam habere deriuationem & euacuationem: Illa præcauendis absentibus, & incipientibus rescindendis malis: Hæc incipientibus & factis affectibus tutò adhibetur. Illa vt fluxuri, aut etiamnum fluentis humoris impetus inhibeatur, alioque diuertatur;

Hæc non modo vt compeſcatur fluxio, ſed etiam vt iam defixus in parte ſuccus, depellatur. Illa denique ſolum humorem fluẽtem aut fluxurũ reſpicit: hæc & fluxurum, & fluentem, & fluxum. de priore dicebat Galenus libro ſæpiùs citato de curandi ratione per ſang. miſſ. Quibus eximiè pars quæpiam vbi priùs euacuati non fuerint infeſtatur, haud liceat ex quauis parte euacuationem moliri, verùm ſicut in ijs qui pati iam accipiunt. Quamobrem podagricos ex cubito vacuato comitialibus verò morbis vertiginibuſque obnoxios potiùs ex cruribus. *Capite 19.*

Ecce diſtantiſſimas auerſiones à pedibus ad cubitum, à capite ad crura. Poſterioris de qua controuerſia eſt, paſſim meminit. Inquit ibidem: capitis grauitates & inueteratos in eo ex plenitudine dolores, leuare manifeſtè ſolet tuſa in fronte vena: At incipientes & vigentes per cucurbitam in ceruice procurata retractio. Interim quidem ſolam, interim cum ſcarificatione, cæterum præuacuatum eſſe corpus oportet vniuerſum. Eadem ratione incipientes in occipitio dolores, aut etiam vigentes inciſa frontis vena iuuat. Habes hîc mixtam cum reuulſione euacuationẽ, ipſo Galeno ita probãte. Quippe (inquit) reuulſiones cum euacuatione adhiberi magis debent in fluxionibus incipientibus. Quæ verò fiunt ex ipſis partibus affectis, aut illis vicinis in Phlegmonis quæ velut ſcyrrhi naturam referunt. Idem etiam *Capite 19.* *6. Epid. parte 2. t. 27 & ibi. Galenus*

tacitè innuit dum ait, præuacuatũ esse oportere corpus vniuersum, quoniam nimirum à reliquo impuro corpore, trahunt ad caput cucurbitulæ, debilem itaquereuellendi vim habent, vt quæ vacuantibus præsidijs, & deritantibus facultate sunt proximæ: apertè tamen à solitaria euacuatione distinguntur: & in ijs computantur quæ comitem habent reuulsionem. Hippocratico exemplo res *2. acut. t. 10.* illustrari potest. Is pleuritidis dolore ad claiculam pertingente internam cubiti venam secari præcipit, & sanguinem eousque detrahi donec rubidior & flauior, multum, vel pro puro & rubido liuidus appareat. Hæc *Galenus Ibidem in comment. & lib. de cur. ratione per sãg. miss. c. 14.* coloris mutatio, sanguinis ex inflãmata particula translationem commonstrat; Quam tamen initio statim administrari fatebitur, quisquis sopitam illam Arabum sententiam de secanda ex latere opposito vena, nusquã in praxi à probatis viris hoc tempore obseruatam, immortali obliuione dignam, & à scholis non minùs quàm à praxi, eliminandam quotidiana experientia compererit.

Quæret Arabum fortasse quispiam quorsum ex cubito potiùs, quàm ex inferioribus venis sanguis educitur? Cur ex eodem latere non ex contrario? Si ad remotissima Phlegmones initio repelli humorem & reuelli præstat? Imò verò hoc nomine quod sanguinem ab affecta parte & magis, & velociùs *Galenum 2. acut. comm. 10.* tum reuellere, tum euacuare possit à Medicinæ principe administratur. Eam enim partẽ

quæ Phlegmone obſidetur, tum celeriter, tum quam cæteras partes magis in acutis præſertim morbi euacuare contendimus. Confirmat hoc ipſum alibi Galenus iecoris exemplo.

Proponatur (inquit) iecur contrahere Phlegmonem incipere, nullo venæ ſectioni obſtaculo interpoſito, tum reuellendus, tum euacuandus qui ad iecur fluit ſanguis eſt, intereà in dextro cubito inſecta vena, propterea quod κατ̓ ἴξυθὺ & ampla via cum vena quæ caua dicitur ſocietatem habet. Nullibi non euacuationis cum reuulſione mētionem facit vt ſuperuacaneum ſit aliundè teſtimonia compilare. Quamobrem conſultiùs fuerit, cùm manifeſtum ſit ex Galeni ſententia pertuſam in talo venam vtraque ratione affectibus vteri ſubuenire, allegata in contrarium loca vera (ſi fieri poteſt) interpretatione declarare, quam in propoſito confirmando diutiùs verſari. Primū quod affertur ex initio capitis 19. lib. de cur. ratione per ſang. miſſ. per ea quæ ex eodē capite in propriæ ſententiæ confirmationem attulimus, explicatur. At dixerit fortaſſe argutus aliquis perperam à nobis intelligi hæc Galeni verba (*reuulſionem cum euacuatione*) tanquā diſtincta, cùm vnà coniungi debeant atque hunc ſenſum efficere. Initio Phlegmones reuulſiua euacuatio iniungenda eſt, hoc eſt, influens humor euacuatione reuellendus itaut euacuationis nomen, in materiā irruentē minimè verò in influxam cadat. Verum

13. Metho. Capite 11.

hoc ita concesso de coloris in pleuritide mutatione, quæ propriæ deriuationis atque etiam euacuationis nota est certissima, quid tandem comminiscemur? Quorsum in exemplo hepatis basilicæ cum vena caua communionem memorat Galenus? Nisi vt reuulsioni adiunctam ostendat euacuationem quæ fit ab affecto membro? Productus ex 2. ad Glanconem locus supponit tumorem in genu, quo casu superiores venæ aperiendæ sunt, neque enim inferioribus sectis reuulsio vlla fieret, sed tantùm deriuato, nimirum ad partem vicinam. Vteri longè alia est ratio in cuius affectibus poplitis & crurum venæ reuellendi vim obtineat, vt ex Galeno deduximus, ipso etiam Fernelio non repugnante. Nec obstat quod ex eodem 2. ad Glanconen. cap. 2. proponitur, qui locus omnium difficillimus videtur. Fatemur enim veram & solitariam reuulsionem fieri ab vtero per superiores venas. Quæ verò per inferiores fit, deriuatio reuulsoria est, siue reuulsio deriuatiua atque euacuatiua (vt ita loquar) Proindeque ex præfata Hippocratis & Galeni doctrina, soli, quæ ex maximè remotis fit partibus, reuulsioni anteponenda.

2. Metho. Capite 7.

In quarto & decimo tertio Methodi libris, de medicamentis agitur quæ per affectas partes humorem expurgant, ad quas ex consequenti vehementiorem fluxionem concitant; Sectionis Venæ longè diuersa est ratio quam idcircò in eadem iecoris inflãmatione

non respuit Galenus, quanquam vim ipsi euacuatoriam tribuit. Præterea malleoli incisione ab vtero reuulsio fit remotissima quidem sufficienti tamen distantia. Dices maioris in vterum sanguinis affluxus metum ingruere.

Respondeo concitatiorem sanguinis incursum larga, aut repetita profusione impediri. Neque enim liberaliùs ducto semel, aut repetitis viribus, sanguine, quod reliquum eius est in corpore, exinanitæ venæ liberè elabi sinunt. Ex hac porrò euacuatione multò minùs pertimescenda virium deiectio est, quam si superiorem aliquam priore loco pertundamus. Tum quod ampliores sint quæ in brachijs reperiuntur, & principibus partibus magìs vicinæ, tùm quod illabantis dũtaxat humoris reuellendi vim habent, defluxum non attingunt, nec eum qui iam in partibus affecto loco proximis stabulatur. Quorum vtrique noua postmodum euacuatione nouo virtutis incommodo atque dispendio nouo ægrotantium tædio, succurrandũ fuerit. Erumpentis ab vtero sanguinis comprehendi (quod quarto loco proponebatur) lõgè dispar est ratio: Tum enim solam effluxus gratiâ reuulsionem molimur, non etiam euacuationem per se intendimus eius, quod vt plurimum in corpore præstaret asseruari. At proposito casu per se vtrumque indicatur. Sanguinis quidem reuulsio quatenus fluit, eiusdem à toto euacuatio quatenus redũdat

Gal. lib. de cur. ratione per sãg. miss. C. 19.

in toto: ab affecta quoque parte deriuatio, & euacuatio, quandoquidē hæc copia offenditur. Præceptum itaque Galeni de solitaria antispasi audiendum non de ea cui coniūcta est deriuatio, vel euacuatio, vel vtrumque. Illa in propositis illis casibus sola requiritur; Hac ei de quo sermo est affectui alijsq; grauissimis, nec minus tutò subuenit, & promptius.

Gal. lib. de cur. ratione per sag. miss. C. 18.

Quemadmodum enim incipientem pleuritidem quæ è directo est, in interiore cubito; Sic Ischiadam, atque vteri inflammationem facta ex crure euacuatio celerrimè eodem (inquam) die sanauerit. Neque sanè minor sese offert augendæ pleuritidis metus (quam secta ex opposito latere vena in contrarium reuocatam quandoque objiciunt Arabicæ familiæ alumni (eò nimirum pertracto vi euacuationis, sanguinis impetu. Quod quidem periculum facili negotio, vel iterata sanguinis missio, vel scarificatio, aut cucurbitulæ substraxerint: Qua etiam ratione, emergentibus ex inferiorum venorum sectione damnis occurremus: Quæret aliquis, quidni medicamentis æquè ac Phlebotomia hanc eandem euacuationem per vterum moliri licet? Multis profectò & grauibus de causis quæ omnes ad propositum anteà fluxionis atque adeò inflammationis grauius irritandæ metum reducuntur. Prima causa est ex parte ipsius medicamenti, quæcunque enim menses mouent calidam temperiem nacta sunt in tenui substantia: Qua-

Galen. de simpl. med. fac. cap. 22

propter meatus aperiendo ,ſanguinem attenuando, fundendo atque inflammandò, fluxionis impetum promouent, & Phlegmones ardorem vehementiùs incendunt: Altera ex parte humorum: attenuati ſiquidem & fluxiles redditi, in affectam partem recta excurrunt: motum hunc præter calorem & dolorem, excitat & dirigit, medicamenti Hyſterici, occulta illa quam cum vtero habet ſympathia. Tertia ex incertitudine euentus: Etenim quamuis concedamus prouocato menſtruorum curſu patientem inflammationem leuari, certò tamẽ & indubitatè polliceri non poſſumus propinato quod menſes ciere aptum ſit Pharmaco euacuationem ceſſuram.

E contrario adaucta, ex nouo affluxu humorum quantitate atque obſtructione magis magiſque receptus in vtero ſanguis defigitur.

Dicet allegatas rationes in purgatione locũ non habere. Nam cum rarò admodum nos fallat mendicamentorũ purgãtium effectus (maximè ſi naturã ægrotantis habeamus perſpectam) imò verò dum certis quibuſdam coniecturis non difficilè ducamur in cognitionẽ eius qui purgari debet, nullus ingruit metus, ne moti humores & concitati recta in affectum locum deuoluantur, quin potius euidenti commodo per conſuetas & conuenientes vias extrà feruntur: perperam itaque Galenus incipiente iecoris phlegmone ca-

tharcticum interdicit. Nisi fortè erroris co-
2. Acut. t. 11. arguendus videatur diuinus senex qui ventrem peplio aut veratro nigro molliri iubet pleuritide ad inferiores septo trans-verso costas descendente, non alio sanè consilio quã vt naturæ motum imitemur, humorẽ καταῤῥοπον hoc est qui deorsum repit κάτω
Capite. 18. id est deorsum expurgantes. Idem 4. aphorismorũ confirmauit supra septũ trans-uersũ dolores, purgatione(inquit) indigere per superiora significant, quicunque verò inferiora molestant, per inferiora.

Vbi notandum illud est nonmodo in dolore infra clauiculas & septum purgationẽ approbari, sed etiam τὴν ἄνω φαρμακείαν id est purgationẽ per superiora in dolore as-
t. 10. cendente commendari, cum tamen solius venæ sectionis eo in casu meminerit 2. acutorum.

t. Aphorismus 24. Respõdẽdũ in primis cum ipso Hippocrate in acutis passionibus raro & in principijs medicamentis purgantibus vtendum, idquod non nisi præmeditatione adhibita rationem hanc profert fidelissimus interpres in commento. Neque enim(inquit) paruum periculum est in morbo acuto malè vti purgante medicamento, cum omnia id genus medicamenta, potestate sunt calida (de verè purgantibus loquitur) febris verò quatenus febris est, & sui ratione non calefacientibus atque exsiccantibus, sed maximè contrarijs hoc est humectantibus & refrigerantibus ege-

at. Addamus etiam circa initia neque coctos esse neque expulsioni paratos humores, neq; fluida corpora, hoc est expeditas vias. Quare vtroque nomine incipiente iecoris inflãmationem non parùm violenta fuerit purgatio. Præterea illic concitatior est & quodãmodo effrenata pharmaci actio, vbi residet mali fomes hinc ἐμπυρέυματος auctio, hinc maior in membrum dolore obsessum humorum attractio, Et quanquam hæc non ita grauitèr vrgent in pleuritide descendente, purgationem tamen ipsa affligente non semper admittit Galenus, sed tum solum cum febris vehementior non affligit, & patientis naturam non ignoramus. Quod amplius est Phlebotomiam purgationi semper anteponendã putat, quia nullum ex ea periculum impendet, hæc in maximum discrimen redacta est, licet vberiore quam illa vtilitate decernatur, vt hoc nomine rèprehendere Hippocratem ausus sit Soranus. Neque verò sententiam nostram vlla ex parte infirmat allegatus Aphorismus, sed potius roborat modo fidelitèr exponatur. Manca quippe est & imperfecta Leoniceni interpretatio quam protulim⁹, vt potè quæ verba illa ὁκόσα καθάρσεως δέονται, prætermisit. Et sanè miror hunc locũ oscitantèr à Martiano Rota, & Gadaldino recognitum, vt errorem, ne à Galeno quidẽ moniti, deprehenderint, in cuius cõmentario hæc leguntur: Addidit autẽ sermoni purgationes indigentes ne quis forsitan arbitrare-

2. Acut. comm. 11.

tur curare Hippocratem omnes dolores simpliciter per purgationem. Neque enim in præsentia hoc dicit, sed pro humorum infestantium inclinatione vacuationẽ esse faciendam. Notandum interim eundem Leonicenum, hoc etiam loco aberrasse, non enim dixit Galenus Hippocratem non curare dolores omnes simpliciter per euacuationem, vt ille interpretatur, sed per purgationem differt autem specie purgatio à vacuatione speciatim sumpta.

Concludamus itaque longè consultiùs fore Galeni decreto venarum inferiorum sectione (quibus tum vniuersalis tum particularis & citò & commodè perficitur euacuatio) naturæ motum & propensionem sequi (quod in Aphorismis iubet Hippocrates) quam semel & subitò iuuare cùm possis ægrotantem sæpiùs & diutiùs torquere.

1. Aphorismo. 21.

Vtrum laudabili existente sanguine minor eius copia sit profundenda.

QVÆSTIO DECIMA QVARTA.

Difficultas hæc cum illa coincidit, in vtra Plethora pura scilicet aut impura copiosior sanguis sit detrahendus? In qua quidem definienda vulgaribus, cum Medicis

non bene conuenit. Illorum certè suffragio impuræ maior quantitas multis nominibus videtur decernenda: Cùm enim plures hostes paucioribus longè grauius premant. Illis & pluribus & valentioribus obsistendum, at in hac plenitudine vrget, non minus quam in vera quantitatis vitium: Adest præter hoc infesta qualitas quæ non modò cum plenitudine, sed etiam citra hanc, in vehementissimos affectus nos præcipites ducit; duplex ergo liberalius effundendi sanguinis insurgit scopus.

Præterea quid à ratione magis alienum, quàm id quod natura sua calorem natiuum fouet, vires sustentat & reficit, obeũdis vitæ munijs præficitur cùm nulla labe, nulla aliena qualitate, nulla extranei permistione sit infestum prodigaliùs exhaurire: Eius verò quod alendo corpori inutile, quod viribus infensum, quod calori inimicum, denique quod præter naturam est vndequaque, partem vllam in visceribus relinquere? Dices exhausto sanguine bilem efferuescere, recrudescere pituitam, efferari melancholiã. Quasi verò non eadem quæ anteà remaneat humorum proportio, nec vnà cum sanguine noxij humores effluãt: Imò equidem multo magis quàm ipse sanguis, secreto ibli ab expultrice facultate foras emandantur: Hic retentricis opera auidissimè conseruatur. Quanquam non ideo inferri velim cognitione aliqua dirigi ad opus naturam: satis est ipsi vis

illa ſuo ab opifice indita, ſcientiam omnem exuperat mirabilis ad ſui conſeruationẽ Dei ter opt. max. beneficio ad hoc innata propenſio, vt ſi quando vita noſtra in inteſtinos hoſtes inciderit, omnem exploret viam natura, nullum non moueat lapidem expediendæ ſalutis. Quamobrem iure merito latinus Medicus, craſſum & nigrum ſanguinem vt pote vitioſum vtiliter effundi pronunciauit. Rubidum verò & pollicidum integrum eſſe, eiuſque profuſionem adeò non prodeſſe vt etiam noceat, ideòque protinus ſupprimendum. Quam ſententiam videtur ex Galeno ad verbum deſcripſiſſe, dum ita inquit: ſi fluens ſanguis non videatur melancholicus ſtatim compeſcatur. Sin tális appareat vacua quantum pro laborantis corporis habitu ſatis eſſe coniecerit.

Celſus lib. 2. Cap. 10.

3. de locis affectibus Capite 7.

Poſtremo idem hoc argumento conuinci poteſt. Si infrà debitam menſuram in minuendo bono habitu ſubſtitimus, quod ſupereſt tractu temporis in alimentum faceſſet, reparandoque continuo ſubſtantiæ effluxui impendetur. Contra omninò, prauorum humorum reliquiæ cum nutritioni corporis ſint ineptæ, putredinem neceſſariò diutius aſſeruatæ contrahunt, & putridas accendunt febres. Sic morbi reliquias, aut morbos nouos procreare, aut recidiuas facere in dies experimur. Quibus rationibus perſuaſus Galenus venæ ſectionem tanquam ſaluberrimum præſidium in omnibus febribus à pu-

Hipp. 2. Aphor. 12. & Gal. in comm. 11. Methodi. 1. ad Glãu.

tridis humoribus excitatis admisit: Et speciatim eiusdem in quartana (quam putridarum febrium securissimam fatetur) mentionem facit. Sed rem longè clariùs & disertiùs atque ex professo definiuit summum Galliæ decus & ornamentum Fernelius (cuius auctoritas apud me valet plurimum, & per æquè apud cœteros valere debet) is ita inquit. Si peluiculæ omnes optimum sanguinem æquabiliter contineant, credibile est reliquum in venis similem haberi, illum tamen detrahendum fuisse, quod multitudine peccaret: sin vitiosus & impurus sanguis conspicitur, multò etiam vtilius eductus est, vt qui copia & qualitate molestus corpori negotium facesseret: sed & posthac vacuari diligentius corpus decet, aut Pharmaco aut venæ sectione. Concludendum ergò quod quemadmodum maiore emolumento concurrentibus quantitatis & qualitatis vitijs vena pertunditur. Ita sanguinem vtroque modo peccantẽ, si ritè inferemus, liberalius profundendũ at vero palinodiã canit Fernelius, dũ veluti correctione quadã superiora explicans, ista mox subijcit. Non tamen quo impurior sanguis alieniorue à sua natura lõgius desciuerit eò plus detrahes, vulgarium & malorum Medicorum more (notent hoc Lutetiani quibus, & apud quos Fernelius scribebat) sed quanto humores citrà vltràve sanguinis naturam longius recesserint, tantò parciùs & cunctantiùs hauriendum de san-

2. Method. Med. c. 2.

guine, cũque longiſſimè ab eius forma abeſſe deprehenduntur, in totum erit à Phlebotomia abſtinendum. Quam ſententiam ad verbum ferè ex Galeno deſumpſit, cuius hæc quæ ſequitur oratio. Vbi paululum vel citrà ſanguinem eſt reſtitum, vel vltrà progreſſum intrepidè euacuandus ſanguis: vbi verò plus cautius agendum: vbi plurimũ à venæ ſectione prorſus abſtinendum. Et ſanè ita eſſe rem & cum Hippocratis cohærere principijs vnico hoc argumento conuinci poteſt.

1. de ſanit. tuenda.

Inanis omnis indicatio, quam virium conſideratio excludit, prius enim eſt hominem viuere, quàm ſanari, & longè conſultius virtutem non exoluere, quàm ſanguinem euacuare redundantem, ſed in exquiſita plenitudine maiorem perferunt euacuationem firmiores vires, ſola enim copia offenduntur, quâ imminutâ illicò quaſi cœleſti quodam ſpiritu leuiter afflante recreantur: In impura remanet etiamnum praua qualitas ſpiritibus infeſta, quorum largiore detractione ſanguinis, copioſa fit efflatio, non ſine facultatis detrimento. Copioſior itaque euacuatio cõuenit exquiſitæ Plethoræ.

Hoc argumentum procedit ab indicatione à viribus deſumpta, quæ cæteras omnes pre ſe contemni atque intermitti iubet. Aliud proferamus modò quod apud omnes grauiſſimum haberi ſolet, ad ipſa rei natura depromptum.

Euacuationis ſanguinis indicatio à quantitate,

tate, ergo euacuationis quantitas debet ex ipsius sanguinis quantitate non qualitate æstimari. Antecedens in superioribus cumulatè probatum fuit, dum euacuationis indicans perscrutati sumus: Patet etiam consequentia ex dictis imò patet ex seipsa. Nam si verum est à plethora missionem sanguinis indicari, consentaneum est, vt quò propriùs illa ad exquisitam accedet, eò largiùs hic effundatur, habita semper tum virium tum excessus ratione. Quamobrem in plenitudine notha & spuria non vlterius in euacuando progrediendum est, quam fert indicantis natura, sanguinis videlicet redundantia. Reliquorum humorum exuberãtiam cõmodiùs atque vtiliùs, certiùsque detrahet purgatio. Nam cùm ex vera plenitudine & cacochymia commixta sit affectio, duplicem quoque intentionem parit; Alteram quæ ad sanguinis abundantiam, alteram quæ ad humorum vitium & præternatiualem qualitatem dirigitur.

Rectè ergò (vt omnia ferè) Galenus noster si exiguus appareat (inquit) laudatus sanguis inspecta quantitate, reliquus succus copiosior, missioni sanguinis supersedendũ; sin copiosus hic effluat, ille exiguus, liberiùs vacuandum. *1. de sanit. tuenda.*

Neque magnum in ijs momentum est positum quæ in aduersum iactantur. In primis nõ benè inferebatur quantò à pluribus affligimur, tantò vacuationem adaugendã, quod

est afflicto afflictionẽ dare (vt est in prouerbio) quin potiùs quò plura virtutem oppetunt, eò maiorem sequitur in euacuationis modo habendam ipsius rationem. Procederet ratio, si concluderetur, pluribus & diuersis remedijs insistendum, quò à pluribus & diuersis affligimur. Vndè id sequeretur in impura plenitudine phlebotomia opus esse quãtitatis imminuendæ gratia, ac præterea purgatione, quò humor sua qualitate noxius discretè & separatim egeratur. Procederet etiam hoc modo: quò grauiora nos excruciant, eò validioribus neruis & maiori contentione obsistendum, sed in genuina siue tensiua appellata multitudine, grauior est sanguinis vbertas, grauiùs ex tanta vbertate periculum, ergo grauiore nixu, hoc est, largiore sanguinis effusione anteuertendum malum & caussa rescidenda, quam in ea quæ tensiua non est. Hanc ob rem experientium virorùm decreto solius redundantiæ causa nullo peculiari aut substantiæ, aut qualitatis vitio sanguis in Athletico habitu copiosissimus eximitur. Sed humoribus à sanguine alienis infestantibus seriò & prudentèr admonet Galenus, aduertendum ante omnia quatenus valeat & robusta sit virtus, & quæ sit humoris qualitas. Nam exolutæ ab id genus affectibus vires, adhibita sanguinis missione ruere in extremam perniciem solent, sic vt nusquam posteà restitui in integrum queant.

Libro de cur. ratione per sãg. miss. c. 6.

Fluit enim promiscuè cum humore prauo benignus & naturæ familiaris, Nec tantillo tempore, vt in crisi coctione præparatus, sic in morbis cum sanguine confusus extraneus humor, naturæ beneficio mox aperta vena secerni potest. Ex his patet responsio ad secundum.

Non magis promouent auctoritates allegatæ, nam in mittendo citrà plenitudinem insignem sanguine procedit Celsi documentum: Quo casu si colore is fuerit & substantia laudabili, neque facultatem grauet, asseruandus est. Galenus verò citato loco de melancholicis affectibus differit, quos tensiuæ plenitudini cõplicatã non supponit, ideoque venam aperiri consulit experiundi solum gratia qualis in corpore is reperiatur. Quare si pro atro & melancholico rubor & floridus appareat, illico compescit effluxum, quandoquidem solius morbificæ causæ sublationem molitur. Quando verò idem putridis febribus, & speciatim quartanæ sanguinis detractionem imperat, de copiosa aut profusa non debet intelligi. Neque sané Medicos illos vnquam probandos censui, qui in leuibus id genus morbis plena (quod aiunt) manu naturæ thesaurum, innatique caloris penum ac ærarium exhauriunt. Et mirum videtur Galenum hisce casibus Phlebotomiam probasse, quam à magno solũ morbo indicari profitebatur nisi forte metu grauioris mali? Sed de his aliàs. Ad rem dico va-

lere argumentum, si ex Galeno probaretur in synocho non putrida ex plenitudine orta, minorem quàm in id genus febribus, sanguinis euacuationem indicendam.

Quod vltimò profertur nihil aliud efficit quam humorẽ quantitate & qualitate simul infensum, grauiorem cladem & ruinam minari, nisi è corpore exigatur, quàm si sola quantitate peccaret. Non ideò tamen sequitur illo casu reclamantibus viribus sanguinem largiùs effundendũ. Quod enim simul & semel & profusè admodum in vera plenitudine facere licet, illud in spuria per Epicrasin resumptis viribus, interpollatis viribus & parcè tentandum. Atque eò parcius quò à legitima plenitudine longius ipsa discesserit, & ad Cacochymiam propius accesserit. Quo animaduerso præclarè Fernelius, iteratæ aut per Pharmacum (qualitatis scilicet gratia) aut per Phlebotomiam vacuationis (redundantiæ causa) mentionem facit, vt significet in huiusmodi plenitudine detractione vnica nisi aperto virtutis incommodo, satisfieri vix vnquam posse. At præterea vtrique vitio, suam vt peculiarem & propriam medendi rationem accommodet. Nũc altera se se offert in vulgarium gratiam agitanda quæstiò.

An reseruanda sit in extremos vsus prima venæ sectio? An vero statim soluendus bonus habitus?

Qvæstio decima qvinta.

VEtus opinio est nostris maximè vsitata temporibus, non nisi cum iam extrema ac penè deplorata sunt omnia, venæ sectionem attentandam: Extremum hanc esse veluti salutis portum, sacram in tempestate anchoram, vltimam in naufragio tabulam.

Huius opinionis fautores multis se se at tãtum apparentibus rationibus muniunt, grauissimos etiam Medicos testes citant: ita deprauatè sãctissima decreta interpretatur vulgus hominum. Illud primum sexcentis confirmatum exemplis pro indubitato constituunt, prima hominem sanguinis detractione à morte & morbo vindicari: Præterea sanitati pacem, bellũ morbo, Imperatori Medicũ, militibus facultates corporis, armis sanguinem & spiritus proportione quadã responderi asserunt. Quemadmodum igitur demẽtiæ proximũ est pacis tempore militaria præsidia exhaurire, ita quoque summa ratione & prudentia ab excellentibus Medicis cautum esse ne in secanda valetudine aduersæ *Celsus l. 1. Capite 1.*

Libro de scarif. remedia consumantur, Quam fortassè ob causam sæpiùs in anno profundi sanguinē vetuit Galenus. Neque verò minori cura & diligentia has internas opes, hunc vitæ thesaurum conseruandum censent, quam mercatores ea seruare solent quæ non sustētādæ vitæ, sed humanæ libidini explendæ immensis sumptibus & laboribus compararūt, ij non agitato statim pelago, primo vētorū fluctuumque impetu perterriti, nauim mercibus exonerant, ac pretiosa quæque in Oceanum deuoluunt: experiantur in primis omnia, tandēque spe omni abrepta, vitæ propriæ, rerum externarum dispendio cōsulūt: sic & in morbis non nisi tentatis omnibus ad extremum hoc præsidij genus cōfugiēdū est, siquidem extremis tantum, extrema cōueniunt. His addunt semel inceptæ vacuationis legibus nos in posterum toto vitæ cursu obligari. Ac nisi aut singulis annis, aut statis temporibus ipsa repetatur (quod in spontaneis euenire solet) grauissimis nos afflictari morbis, & symptomatis exitialibus oppeti, à quibus immunes degunt, qui huiusmodi auxilia non sunt experti: In his enim alacrior natura, proprijs impulsa stimulis, suoptè nutu & motu, quidquid negotium facessit, per conuenientes ductus excludit & eliminat: In illis nisi aliundè incitata, nihil quod effatu dignum sit perficit, sibi familiares vias aliò pertracta negligit atque illic quò à Chirurgo praua consuetudine trahitur

aliena dumtaxat opera educendis humoribus exitum inuenit.

Postremò cum sanguine spiritus, cum his natiuus calor adeòque vitæ spatium necessaria consecutione minuitur. Hæc atque alia iactitant vulgares αἱμόφοβοι. Quorum compescendus error est, ne alios proposita vtilitatis specie in extremam perniciem deducãt. Id nullo negotio absoluemus, modò se persuaderi sinant, depromptis ab experientiũ virorum auctoritate, à ratione, à natura ipsa, à quotidiano vsu, argumentis. Rem à natura ordiamur, ne quod per iocum falsò imponunt, Chirurgorum indigentiæ potiùs, quàm infirmorum valetudini subuenire toties repetitam venæ sectionem, locum apud nos in posterum habere patiamur.

Hippopotamus hac in medendi parte magister extitit, assidua namque satietate obesus exit in littus, recentes harundinum cæsuras speculatus, atque vbi acutissimam videt stirpem imprimens corpus venam quandã in crure vulnerat. *Plin. lib. 8. naturalis hist. c. 26.*

Atque ita profluuio sanguinis morbidum aliàs corpus subleuat, & plagam limo rursus obducit. Viden brutum animans, omni ratione destitutum, ita compellente natura, remediũ hoc tanquã necessariũ προφυλακτικὸν vsurpare? Nequaquam vero(vt isti parùm prouidi, apparente rationis vmbra occæcati facere solent) malum iam factum imo ad extrema deuectũ præstolari. Sed nõ hippopo-

tamo ſolùm hanc dotem impreſſit naturæ opifex, fuit alijs quoque, quibus ex vſu erat, hæc medela cognita, & in praxim reuocata. Oculos ſuffuſos capra iunci puncto ſanguine exonerat, caper rubi.

Plin. ibidẽ Capite 50. Plin. c. 27. Ibis quoque (licet diſſimili ratione at naturæ ductu) è corpore ſuperflua eximit: Roſtri enim aduncitate ſe perluens, ciborum onera deponit. Cuius inter cætera conſultò meminimus, vt intelligant parum in rebus verſati homines, malè de medicamentis atque in vniuerſum de Medicina meriti, nõ pauca id genus medicatum remedia, tum inſtrumenta ſuſpectu vulgo, à naturæ fontibus profluxiſſe. Hæc itaque imitari hominem quid vetat, quæ maximè ſalutaria in dies experimur? An quæſo vehementi capitis dolore & grauitate infeſtantibus, naturæ ſua ſpõte per nares vnà cum ſuperuacaneo ſanguine hos affectus depellenti, gratiam habebimus, Medico naturæ miniſtro idem opus aggredi nõ licebit? Quid magis naturale eſt quam profuſio ſanguinis menſtrua? quid magis familiare? magis commune? magis neceſſarium? Qua cohibita (niſi fortè ſanguine ab immodicis laboribus exhauſto, aut ad Embrionis confirmationem, tutelam atque alimoniam *Aphoriſ.* reſeruato) norunt omnes quot quamque difficiles morbi ab vtero impendeant. Fluit ergo ſingulis menſibus, fluit & magna copia. Degit eò ſalubrius à partu mulier, quò liberalius (modo ne præter modum) coaceruatum

gestationis tempore sanguinem exigit. Non itaque in extremos vsus euacuationem sanguinis differt natura, ergò neque Medicus præsentis tantùm periculi necessitate impulsus, ad istud remedium confugiet. Sagacis est Naruachi procellem imminentem certis indicijs præcognitam effugere potius, quam dubio euentu summo in periculo nauticam industriam ostentare. Prudentis quoque Medici partes sunt, futurum (quod beatius est) præuenire, aut incipientem summa cum artis laude & admiratione profligare morbum, quam desperato propemodum ægro tum demum quid possit experiri: In extremis plena terroris & diffidentiæ sunt omnia, excandescit morbus, dolores efferantur, nullus quieti locus, infirmātur vires, deiecta ac penè languida patitur etiam à leuissimis natura, vt parum secura videatur id temporis vllius euacuationis intentio, quam si tum aggrediare popularium reprehensionem & calumniam vix effugies. E contrariò circa initia leuior est affectus, mitiora symptomata, virtus integra, vt neque à violentioribus offendatur, tum igitur si quid mouendum videtur iussu Hippocratis moueto. *2. Aphorism. 30.* *2. Aphorism. 29.*

Non bene distuleris vid(as quod posse negari. *Martial. 1. Epigram.*

Præsenti occasione vtitor. τέχνης μὲν γὰρ πάσης ἀλλότριον, ἀναβολή, ἰκτελικῆς δὲ καὶ πάνυ ἐν ᾗ ψυχῆς κίνδυνος ἡ ὑπέρθεσις, Etenim ab omni quidem arte aliena cunctatio, maximè verò à Medicina in qua animæ periculum *Hippocr in Epistol. ad Crateuam*

induciæ.

Apud Homerum Neſtor prudentiſſimus Agamemnonem monet porrectam à Deo occaſionem diu non eſſe protrahendam.

Iliad. β. μηδὲ τι δηρὸν (inquit)

Αμβαλλώμεθα ἔργον ὃ δὴ θεὸς ἐγγυαλίξῃ

In longum differre nefas quod Iuppiter offert.

Idquod non annotauit modo diuinus Hippocrates, verum etiam in praxi curioſè obſeruauit. Non enim ſimpliciter bonum habitum ſolui iuſſit, ſed ſtatim, μὴ βραδέως non cunctanter, non expectatis extremis, nulla ad dilationem admiſſa excuſatione.

Huius imitatione, ſi primo ſtatim morbi inſultu, aut ipſo nondum præſente venæ ſectionem præcautionis gratia adhibebimus (vti poſt ipſum Galenus, poſt Galenum cœteri omnes de re Medica benè meriti ad hæc vſque tempora fecerunt) id quod in prælijs μηδὲν ἀναβαλλόμενος Alexander, hoc nos in quotidiano cum pernicioſiſſimis humani generis hoſtibus conflictu, ſumma gloria ſumma vtilitate conſequemur. Teſtes appello innumeros, quos longum eſſet ac ſuperuacaneum recenſere, qui cum in febrem, in Epilepſiam, in articulares affectus, in pleuritidem, aliaque id genus mala, multis iam annis quibuſdam interuallis recurriſſent, inito tandem conſilio ſanitatis tẽpore morborum incurſum præuenientes, conuenienti ſanguinis effuſione, ſe ſe ab afflictione ſolita vindicarunt.

Galenus libro quos & quando purgare oporteat.

Neque verò ſolum quid neceſſariò, ſed etiam quid vtiliter in familia geratur proſpectus attendit œconomus. Neceſſitatis quidem in extremis eſt venæ ſectio, alijs temporibus ſummæ vtilitatis: Ad illam etiam inuiti cogimur, ad hanc prouida futuri cõmodi expectatione pollicemur: Illam quiſquis renuit in exitialem ruinam non multò poſt agitur, hanc qui negligit in ancipites morborum anguſtias plerumque deuoluitur, quales anteà audiuimus. Non igitur aduerſæ valetudinis præſidia inutiliter conſumit, qui tantis vtilitatibus proſpera valetudine ſanguinem demit. Præſidiorum belli & mercium longè alia eſt ratio quam ſanguinis: Illa euidenti iactura in armorum pelagique tempeſtatibus & tumultibus profunduntur. Hic minima aut nulla calidi innati offenſione, maximo ſanitatis emolumento, blanda & ſuaui caloris, euentilatione effunditur, ſi modo gnari ex artificis decreto, non ex imperiti tonſoris aut myropolæ arbitrio id opus dependeat.

Non etiam perpetuum eſt, multò minus neceſſarium vt prima omnes pertuſione venæ à morbo liberentur. Vltrò quidem conceſſerimus pauciſſimos reperiri, qui ſemel imò pluries detracto ſanguine à morte non euaſerint, priſtinæque diſpoſitioni ſint redditi. Sed fallitur opinione ſua vulgus imprudens, cum alienam numero, primæ ſcilicet remedij applicationi laudem tribuit, pro-

priam remedio detrahit. Alioqui non longè inferior ſecūdæ habenda eſſet gratia, vt quæ proximè ad primam accedit, cuiuſque beneficio ſæpè ſæpius ægri ſanitati reſtituuntur. Quin etiam aliquando maior: Quibus enim prima detractio non ſatis fuit, illos ſecunda vt plurimùm ſanauit.

Gal. lib. de cōſuetud. capite 5. At praua conſuetudo inducitur. Iſtud eſt quod conſtanter negamus. Nam ab eadem cauſa habent corpora vt his euacuationibus egeant, à qua etiam primum factum eſt vel natura per ſe agente, vel medicinali quadam peritia, vt huiuſmodi vacuationibus eguerint. Sunt enim nonnulli qui ex malo victu, alij ex praua quapiam affectione ſanguinem plurimum, aut vitioſos humores aggregant, quos plurimùm iuuat, ſi eximatur quod ſuperfluit, antequam in morbos illabātur. Sed eſto generetur conſuetudo quid incommodi? Quantò conſultiùs eſt probatis remedijs aſſueſcere, quàm grauiſſimis periculis exponi? Et quantò optandum magis vt integra valetudine id tibi familiare effeceris quo afflictis poſtmodum viribus ſi neceſſitas poſtulet, ſecuriùs vtare? Difficilis quippe eſt inopinatus & præceps ad inſueta tranſitus, quæ verò lōgo tempore ſunt aſſueta minorem moleſtiam exhibēt. Vt illud non omittamus præter cætera conſuetudinem id efficere, ne in euacuationis menſura præſcribenda facilè aberremus: Experientia priùs edocti quantum ab euacuatione eius qui perferre debet natura

2. Aph. 50

percellatur.

Ne cui vero effingi hæc à nobis in mentem veniat totum negotium Galeni arbitrio relinqui velim: Tale est eius decretum. Tanquam accidens quoddam ægrotantis ad patiendam facilitatem considerare est necessarium, multi enim neque vnquam sunt euacuati, neque euacuationem integram, aut longam inediã possunt perferre, sed alij quidem ex his in omnimodam imbecillitatem facilè incidunt. Et paulò post idem fermè repetens, tandem concludit his verbis. Et cõsuetudo non parui momenti est, tum ad alia omnia, tum ad euacuationis indicationem, quidam enim nunquam anteà fuerunt euacuati, neque vnquã euacuationem integram pertulerunt, nonnulli contra vacuationibus sunt assueti, hos igitur intrepidè vacuare oportet, quando & cœtera consentiunt: Cæteros verò ne si alia omnia consenserũt: Ecce vt aperto periculo se submittũt, qui primam sanguinis ex aperta vena missionem quantum in se est remorantur & differunt: Saniorem itaque mentem induant vulgares, neque Medicis in posterum recta consulentibus obstrepant, suoque exemplo cœteros à salutaribus auxilijs deterreãt. Illud pro indubitato apud se statuant sanguinis euacuationẽ suppositis indicationibus liberè tentandam, importunum eius vsum, largam & assiduam profusionem penitùs damnandam atque improbandam. Quod à Galeno citato prius de sca-

1. ad Glau. Capite 14.

rificatione libello animaduersum fuit.

Quæ sint commoda Phlebotomiæ in plethora? & vtrũ nutritio perseueret tota vita?

QVÆSTIO DECIMA SEXTA.

PLethoræ incommoda in præcedentibus enumerauimus, vt nihil hoc loci disquisitione dignũ superesse videatur, modo iuxta vulgare illud Logicorum axioma in memoriam reuocemus, ad sublationem causæ effectus euanescere, quod in ijs locum habet, quæ in sui generatione & cõseruatione etiamnùm à causa pendent. Hoc axiomate supposito, nullo doctore instructi Dialectici cõcludent illicò, tot esse phlebotomiæ cõmoda, quot impendẽt ex multitudine incõmoda. Occurrit tamen non prætereunda difficultas in Hippocratis verbis, dum cæteras vtilitates silentio obuoluens, hanc vnicam proponit (vt rursum corpus nutriri incipiat) quasi verò in Athletico habitu cesset nutritio, & feriari natura possit, quæ quantùm in se est vires suas exerit maximè in tanta materiæ affluentia, quanta in Athletis reperitur.

Neque etiam deest in ipsis quod repare-

tur, violenta enim corporis agitatione maximam ſubſtantiæ partem diſſolui neceſſe eſt, id quod teſtantur ſudores copioſiſſimi quos quidem in multis eouſque proceſſiſſe literis proditum eſt, vt humanam fidem quodammodo excederent. Neque ſi reparatione nulla ſit opus, conſequitur illicò deſinere nutritionem, aliàs dicendum eſſet accretionẽ nullam fieri. Quanquàm verò non diffitemur primam ac potiſſimam nutritionis neceſſitatẽ, in cõſeruatione humidi primogenei (in quo radicaliter inhæret natiuus calor) eſſe poſitam, quod quidem cùm perpetuo contrariorum appulſu ſenſim ſiue ſenſu in corpore etiam ſuis muneris vndequaque abſoluto diſſipari certum ſit, ſubſiſtere niſi reſtauretur, diu non poteſt; non mediocris tamen conſequitur vtilitas, dum caloris beneficio, id quod præter neceſſitatem ſubſtãtiæ corporis addictum eſt, amplificandæ corporis moli, iuſtæque partium dimẽſioni conſtituendæ impenditur. Durat itaque in Athletis tota vita nutritio, quanquàm diſpari, vt in cœtetis quoque hominibus ſucceſſu: vel enim tantùm ſubſtantiæ reſtituit quantùm eſt deperditum, & hoc ſimpliciter nutritio appellatur: vel vlteriùs addit aliquid; vndè fit augmentum: vel deficit, hoc eſt minùs adijcit, quam vt reſarciendo ſubſtantiæ effluxui ſit ſatis, atque tum imminutio accidit, qualis in ijs viſitur, qui aut morbi violentia, aut longa ciborum abſtinẽtia, aut ſummis

Galenus Libro de marc. c. 1.

exhausti consumpitque laboribus emarcescunt. Huius sententiæ fautorem fuisse Aristotelem declarant hæc verba, quandiu saluũ manet animal, & si decretionem subeat, alitur, sed non semper accrescit. Quam ob causam assidua premit alimenti indigentia, veluti lucculenter explicat idem Aristoteles dũ inquit? Tale quidem animæ principium, vis est talis, vt id conseruet quod ipsam habet, ea nimirum ratione, quâ ipsam habet, Alimentum autem ad operandum præperare videtur, quapropter alimento priuatum esse non potest, hoc est (vt clarioribus verbis hanc alioqui obscuriorem sententiam explicem) potentia nutritiua vis est animæ ad conseruandam viuentis substantiam vt viuens est: hunc finem, continua alimentorũ præparatione & administratione consequitur, quare alimento carere nequit. Hanc obrem noua suppeditatur in dies alimonia, quâ probè confectâ sanguinis adaugetur massa. ipse postmodum (præterquamquod longa in venis copia tanquam in penu asseruatur ad communes vsus) fertur in omnia corporis membra, & singulis quaquà versum tanta æquitatis lege distribuitur, ita debitè applicatur, vt quantulacunque discussa carnis portiuncula, continuò effluat: Quæ sanè vana inutilia atque irrita futura sunt omnia, nisi ad nutritionem ordinentur. Perennis ergò est continuaque nutritio.

1. de generatione. Cap. 45. Text. 42.

2. de anima c. 4. t. 48.

Sed negatiuam partem tuentur nonnulli imbecillis

imbecillis aliquot rationibus suffulti, quarum prima est vnio animæ ad corpus in qua vita prima & essentialis cōsistit, sine nutritione conseruari potest, nulla enim forma separatur à materia propter cessationē ab operatione, sed propter actionem contrarij: ergò nutritio subsistente vita interrumpi potest.

Præterea ad conuersionem substantialem requiritur humiditas, qualis non reperitur in tota vita, cessante ergo humiditate, cessabit & alimenti transmutatio.

Deniquę nulla videtur sufficiens afferri posse ratio; cur non fiat semper accretio, si integro vitæ cursu nutritio persistit: quo enim tempore minuitur nutritio, minor quoque fit dissolutio; vt videre est in senibus.

Hæc sanè argumenta & si verè & ad mentem nostram concludunt, sunt nihilominus leuiora quam vt propositum certò & citrà controuersiam definire queant: demus enim cessationem ab opere corporis & animæ nexum per se non dissoluere, dissolutionis saltem causa ipsa est, eo modo quò Naucleri absentia naufragium facit, si quidem reparationis defectu nullo negotio quicquid solidioris etiam est substantiæ, à contrario, puta ambiente, cœterisque externis causis in extremam perniciem agitur.

Neque tanta deficit humiditas; quanta ad nutritionem est opus, etiam in extremo senio. Nisi in ijs fortè qui morti proximi summam vitæ periodum transigunt? Vt enim

consumpto prorsus ellichnij humido lampas exstinguitur, sic exhausta planè corporis humiditate natiuus calor primum animæ corporisque vinculum, necessariò marcessit, Minimè omnium concludit postrema ratio pauca siquidem alimonia qualis in senibus non dixerim augendæ, sed ne vniformiter quidē conseruandæ moli par esse non potest, cuius rationes à Medicis plurimæ afferri solēt, quas breuitatis studio prætermitto. Et licet concederemus tantam suppetere alimenti copiā, quanta ad accretionem desideratur, vetat nihilominus senilis corporis siccitas ne vlterius crescant & dilatantur partes solidæ quarum est accretio. Itaque vt his suffusa tenebris veritas, maiori affulgente luce in propatulum emergat, præmittendæ sunt nōnullæ veluti faces, quibus omni tandem caligine discussa, aliquantò clarius illustretur.

Aristot. 2. de anima t. 49. Primam nobis exhibet Philophorum princeps dum tria asserit ad nutritionem concurrere. Id scilicet quod alitur, quo alitur, & quod alit. Quod nutrit est vegetatiua anima, hæc enim primum motus principium. Quod nutritur corpus est in quo talis anima reperitur: quo nutritur, est alimentum.

Aristoteles ibidem t. 5. Vegetatiua quidem anima id opus immediatè non attingit, sed facultatē sibi adsciffit naturalem: & hæc calore vtitur tanquam instrumento, quem ideo necesse est in viuētibus omnibus inueniri. Non aliundè modò quam ab his petendæ sunt ἀτροφίας causæ

horum enim aut omnium aut aliquorum defectu cessat nutritio. Animam in primis necessariam esse ad hanc actionem nemo est qui in dubium reuocet, cùm pereant ipsa separata omnes corporis facultates, atque functiones. Caloris vero non cuiuscunque, sed naturalis proprium est naturalibus animæ operibus deseruire? Huic cùm auxiliares præbeat manus vitalis cuius actio in quadam moderatione consistit, quid mirum influente in igneum commutato qualis in febribus persentitur membra citissimè contabescere? sunt etiam ex parte corporis atque ex parre alimenti necessariæ quædam conditiones. Ex parte quidem corporis, certa desideratur temperies & dispositio cui veluti formæ medicæ nonnulli acceptus ferunt actiones, ac prætereà cùm nutritio sicuti reliquæ actiones Physicæ, contagione perficiatur, vias quasdam & quasi tubos sagax natura, conformauit, quibus vndequaque in omnem corporis regionem alimonia deferretur: Hos si quo obstaculo contingat intercipi, carent membra suo pabulo tantisper, dum meatus reserentur.

Alimenta verò talia esse debent, vt neque substantiam nostræ prorsus alienam sint sortita, neque insigni aliqua & violenta qualitate prædita (his enim à deleterijs & medicamentis differunt) neque prorsus ἄπεπτα, non enim vt à strutio camelo ferrum digeri comminiscuntur quidã, sic ab homine ligna,

saxa, cæteraque ad horum naturam proximè accedentia concoqui credibile est. Denique moderationis limites sua copia non excedant, alias à calore vinci & transformari nequeunt, ita vt in crudiores succos facessant: corpori alendo, nisi elaboratione maiori adhibita, prorsus inhabiles. Neque vero si in laudatum cõmutentur sanguinẽ copiosiora alimẽta, sequetur necessario nutritioni ipsa deseruire & impendi. Suus quispe est omnibus natura constantibus (vt Aristoteles loquitur) hoc est viuẽtibus magnitudinis & accretionis terminus, quem prætergredi non licet addita quacunque nutrimenti copia: cum itaque adijci solidis partibus nihil vlterius potest, vt in Athletica εὐεξίᾳ, neque venis vllum superest conceptaculum in quod alimentum recipiatur & recondatur, desistat ab opere nutrix facultas necesse est. His & similibus rationibus & modis cessare in viuentibus nutritionem posse non negauerit, quisquis rationi & experientiæ locum apud se aliquem esse volet.

Aristot. 2. de anima textu 41.

Verum ne qua obrepat difficultas animaduerti velim, & tanquam facem alteram præmitti, cessationem huiusmodi vix diuturnam esse posse sine corruptione atque interitu viuentis. Etenim supposita maiore quam par est alimenti quantitate, in quot quantasque redacta est humana vita angustias huic suffocationis periculum, huic venarum disruptionis vrget metus, huic innumera alia quæ antè

commemorauimus impendent mala, quæ proximam nobis perniciem minantur & ruinam. Sin alimenti defectu id accidat, vijs nimirum interclusis, aut prauorum humorum infestante redundantia. Quibus tum machinis fluxa hominum substantia, assiduis insultibus oppetita, internis externisque iniurijs grauiùs lacessita, aut obsistet ad tempus: aut mox futuram cladē propulsabit? latet in intimis medullis & visceribus nunquã otiosus calor, mutuus est diuersarum partium inter se conflictus, torquetur varijs hinc inde Pathematis agitatus animus magno spirituum dispendio, sua est aëri, sua cœteris rebus extraneis, sua interioribus recrementis & humoribus violentissima actio, cuius vim atque impetum ne Athlas quidem longo tempore sustineat, nisi vnà cùm sanguine & spiritibus renouentur & resumantur vires deficit alimento destituta, ac euanescit virtus, nisi noua continuaque eiusdem accessione reparetur. Enimverò substantiæ nostræ non absimile euenit ei quod in fluuijs cernimus: renascuntur isti in dies, in horas, in momenta, nouarũ aquarum affluxu. Sic & euanida mortalium hominum substantia tantillo tempore intermoritura nouæ adiectione reuiuiscit. Quod itaque viuimus, quod sentimus, quod mouemur, imò etiam quod intelligimus (sunt enim inferiores actiones superioribus subalternæ) vni acceptum nutritioni referri debet. Quemadmodum ergo

vegetans anima cœterarum est veluti basis & fundamentum, illius enim in se gradum hæc formaliter continent, sine quo non subsistunt, sic & reliquæ potentiæ nutritiuam quasi fundamentum supponunt: huius denique actus qui est nutritio, mutua consecutione basis est actuum quorumlibet animatorum. Vt fatendum sit mediatè saltem necessarium esse hunc actum ad operationes omnes quæ ab anima qualibet proficiscuntur.

Hanc porrò interruptionem, qua de loquimur, in vera tantùm & legitima nutritione admittimus, quæ est conuersio alimenti in formam viuentis. Impropria namque nutritio (quam humidi conseruationem vocant, & quasi fomentum ipsius) nec tantillum quidem intercipi potest, saluo eo ad cuius conseruationem necessariò requiritur. Id quod euidenter probat assiduus alimenti apparatus, eiusdemque concursus, distributio, applicatio; Quæ licet ad nutritionem veram desiderentur omnia, impediri tamen eorum effectus hac in parte potest vti declarauimus. Fouent nihilominus hæc ipsa assiduò radicale humidum, neque ab exsiccantibus causis illud absumi sinunt.

Hinc patere arbitror allucinari Philosophos illos qui Aristotelis auctoritate decepti, id nutritioni propriæ tribuunt quod impropriæ tantùm peculiare est. Nec aliud subiectæ Aristotelis auctoritati rationes, quam posterioris huiusce nutritionis necessitatem

arguunt. Quorſum verò deſinat in Athletis nutritio, repetione non indiget. Quæres cur ſupra deperditi reparationem in accretione progrediatur nutritio? Nempè vt perfectam & probè obeundis operibus idoneam quantitatem ſortiatur animal, quam cum ſemel eſt aſſecutus, vltrà (quantumuis adieceris) exporrigi non poteſt: Eſt enim modus in rebus ſunt certi denique fines.

An extremæ euacuationes & repletiones ſint periculoſæ?

QVÆSTIO DECIMA SEPTIMA

HAnc præſentis Aphoriſmi ſententiam ita ſæpè repetit & inculcat diuinus Hippocrates, vt nihil in omni medicina adeò tritum & vulgare cōperias. Hæc enim verè aurea ab eo dicta ſunt omnia. Non ſatietas, non fames, neque aliud quicquam quod naturæ modum exceſſerit bonum. *2. Aphoriſmorum 4.* *2. Aphoriſ 14.*

Et alibi. Quandò cibus præter naturam plus ingeſtus eſt hic morbum facit. Amplius plurimum & repente, vacuare vel replere, calefacere vel refrigerare, ſiue quouis alio modo corpus mouere periculoſum, quoniā omne nimium naturæ inimicum, ſed quod paulatim fit tutum eſt, tùm alias, tùm cum ab altero in alterum tranſitus fit. Et in Epidemijs, ſalubris victus optimam arbitratur *2. Aphoriſ 51.* *6. Epid. part. 4. text. 22.*

normam non impleri cibis, & impigrum esse ad labores. Huc referri potest vulgaris illa Paræmia, longa annorum serie & experientia confirmata, plures confecit gula quàm gladius.

Hæc de repletione immodica: quod ad euacuationem attinet, contrariorum eadem est disciplina & ratio, si ergo summis est periculis obuia extrema repletio, ab ijsdem immunis non erit euacuatio extrema.

Et horum quidem assignare rationem non magni fuerit operis. Dicam illud in primis, quod à Plutarcho memoriæ est proditum non viuendi solum, sed & moriendi quoque materiem esse alimentum. Id quod ab Homero fortè didicerat. Qui Deos quod non alantur, idcircò neque emori existimauit.

In Sympos.

Iliad. ε.

οὐ γάρ (inquit) σῖτον ἔδουσ' οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον.
Τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

Non panem comedunt, non vina ardentia potant,
Sunt ideo exangues, immortalesque vocãtur.

Agunt in nos mutuò dum à nobis patiuntur alimenta, sensim siue sensu contrarias in nobis dispositiones imprimunt, quantùmque noua substantiæ accessione vita nostra ab alimentis augetur, tantum continua qualitatum actione, & excrementorum prouentu ab ijsdem decurtatur, grauis ideò exuberan-

tem quantitatem noxa consequitur.

Præterea cùm in elementorum commoderatione natura sit posita, & nimiū omne naturam destruat, animalis pariter consistentiam dissoluat necesse est. Quid quod sanitas in mediocritate consistit, imò verò ipsa mediocritas est? Sequitur itaque immoderationes omnes quæ plurimum à medio recesserunt iam ægritudines esse, quæ verò nondum id quod plurimum est obtinent ægritudinem generationem ostēdere atque efficere; Quid igitur mirum euacuationes & repletiones extremas tot periculis obsitas? Verè & sapienter cecinit experientissimus Hesiodus μέτρον ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον optimam in omnibus moderationem.

2. Aphor. comm. 51.

Galenus 2. Aphorism. comm. 4.

ἐπεὶ λόγος ἐςὶ παλαιός
ὡς καὶ τοῦ μέλιτος τὸ πλέον ἐςὶ χολὴς

In antiq. Epigr.

Quando veteri sermone receptum est.
Bilem, si excedant dulcia mella fore.

Contrarium tamen ex ipsius Hippocratis & Galeni documentis colligi videtur. Et primum quidem extremam Athletis euacuationem conuenire vtriusque principijs innixus hunc in modum constituo.

Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt, at extrema est de qua fit sermo Athletarum plenitudo, ergo euacuatione extrema soluenda erit.

An quæso maior aliqua euacuatio admi-

1. Aph. 23. 9. Method. 4. de cur. ratione 12

niſtrari poteſt ea quæ ad lipothymiam? At hanc ſummus vterque Medicinæ parens, vt legitimam & conuenientem admittunt. Quamobrem ſibi ipſis diſſentanea proferũt dum vacuationes extremas vti dubias repudiant.

lib. de curatione Capite. 0. Celſus lib. 1. Cap. 1.

Equidem à quantitate redundantiæ euacuationis coindicatur quantitas ipſo Galeno teſte. Debet itaque ex indicationis lege alterum alteri reſpondere. Amplas verò refectiones tantùm abeſt vt reijciat vt etiam approbet latinus Hippocrates: prodeſt (inquit) interdum in conuiuio eſſe, interdum ab eo ſe retrahere modò plus iuſto, modò non ampliùs aſſumere. Neque aliud ſibi videtur velle noſter Hippocrates cum breui extenuata corpora breui reficienda monet. Ita enim ὀλίγως explicat Galenus vt non modò ſignificet διὰ ταχέων hoc eſt citò, ſed etiam ἄκρως id eſt ſummè vel extremè, hanc enim vocem ἄκρως communiter ſic reddunt interpretes, & Leonicenus ipſe (quanquam citato loco ipſam exponit pleniùs). Primo tamen ad Glauconem (ſupramodum) interpretatur: græca proferam & latina, quò res euadat manifeſtior. Ita habet Galenus ὅταν ἄκρως ἢ ξηρὸν καὶ αὐχμῶδες ἢ πληθωρικὸν ἀμέτρως τὸ σῶμα. Quod ita vertit Leonicenus cùm ſupra modum ſiccum & ſqualidum, aut plenum immoderatè corpus extiterit. Quare ſi verus hìc verborum Hippocratis ſenſus, in breui extenuatis corpori-

2. Aphoriſm. 7. *Capite 14.*

bus extremæ refectiones approbantur. Huius porrò vocis significationem quid opus est aliundè perquirere? De extremo Athletarum habitu loqui Aphorismum hunc in quo versamur, citrà controuersiam est: Habent autem Græca verba ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι, & in commentario palam profitetur Galenus, περὶ τῆς ἄκρας πληρώσεως hoc est, vt arbitrātur omnes de extrema plenitudine sermonem institui. Vt meridiana luce sit clariùs passim apud Hippocratem & Galenum dictionem ἄκρως, καὶ ἐσχάτως pro Synonymis vsurpari. Idipsum quod volumus conuincit ratio: si enim breui spatio extenuata corpora, breui itidem refectione indigēt, quæ extremè sunt exhausta celeriter instaurari nisi summa expletione non poterunt, quandoquidē iacturam extremam non compensat reparatio mediocris.

His sanè nihil obstantibus manet in Hippocratis decreto constans & stabilis veritas, tàm extremas repletiones quàm euacuationes periculo non vacare. Pro qua firmiùs stabiliendarepetendūex præcedentibus silere indicationē omnē præ consideratione virium, quandò priùs est viuere quàm sanari. Eripitur scilicet vnà cum virtute anima: Emortua verò ac prorsus elanguida vis nusquam restitui, neque efflata semel anima vllis amplius remedijs atque auxilijs reuocari potest. At in deploratis quandoque affectibus externis etiam præsidijs destituta firmior virtus ex-

pectationem fallit, omnemque opinionem exuperat.

Notandum præterea dedecoris & calumniæ plenum esse in ijs periclitari, quæ licet adhibito conuenienti iudicio & prudentia conferre queant, afferunt tamen adstantibus horroris aliquid, imò & nobis ipsis, itaut re etiam vtiliter peracta, ne non timere quidem sine aliquo timore possimus. Maximè in tanta vulgi maledicentia, & tam deprauata in accusandis Medicis propensione & libertate, quæ eò demẽtiæ prouecta est, vt quem non seruaueris eum te occidisse temerè ausint profiteri, itaque si ad extrema, de quibus orta disputatio, fiat progressus, ac tum aliquid præter naturã accidat, quis non in Medicum exclamabit? quis eiusdem imprudentiam non accusabit? *Celsus*

His suppositis nullius est operis aduersariorum spicula retundere. Vltro nos concedimus extremum esse hunc exercitatorum habitum, extremos quoque ab ipso morbos portendi & procreari, hæc ipsa vacuationem extremam indicare, à qua nihilominus reuocat nos fortior intentio virtutis, summis ideo periculis obnoxiam euacuationẽ fatetur Galen⁹, quæ ad animi deliquium deducit, simulque hortatur pulsuum diminutionibus animum aduertere sanguine etiamnum fluente, ne videlicet nec opinantibus nobis pro lypothymia mors occupet. Quam ob causam vbi ad animi deliquium fundendum sanguinẽ dixit *de cur. ratione per sang. miss. Capite 12.*

Hippocrates, ſubiecit illicò dummodò æger poſſit tolerare, & Galenus iubet ad maiorem ſecuritatem defectum nos potiùs iteratione ſupplere, quàm ſemel largè & profuſè cum detrimento virium vacuationem tentare. Tantùm verò abeſt vt repletiones extremas Celſus approbet, vt nè earum quidem meminerit. Aliud enim eſt plus iuſto aſſumere, aliud belluarum, aut lutulenti ſuis more ad ſummum, aut canis inſtar ad vomitum infarciri. Multò minùs vera moderationis regula diuinus Hippocrates, extenuatis refectionem imperat extremam, maximè cùm ſummè exhauſta corpora tantis virib⁹ eſſe nequeant quantæ ſummis refectionibus perferendis ſunt neceſſariæ, ſed neque hoc voluit in commentario Galenus: Quiſquis error eſt, Aldini eſt, qui pro ἀδρῶς ἄκρως ſubſtituit, ſiquidem ἀδρῶς idem ſignificat quod plenè & copioſè, quo ſenſu ἀδροτέρῃσι διαίτῃσι hoc eſt pleniore victu & ἀδροτέρως διαιτᾶν hoc eſt liberaliùs nutrire dixit in noſtris Aphoriſmis Hippocrates. Neque ſi verbo ἄκρως vſus fuiſſet eius fideliſſimus interpres, ſequeretur extremam ſimpliciter refectionem ab ipſo laudari, ſed eam ſolùm quæ reficiendo corpori citrà virtutis iacturam ſatis eſſe poteſt. Hoc ipſum eſt quod ad argumentum reſpondemus: Fatemur enim cuneum cuneo tundi, vt eſt in prouerbio, & extremam euacuationem extrema refectione integrè reſarciri, ſed tantam alimenti copiam, vis integra

1. Aphoriſmorum 5. & 7.

non feret, quapropter illa à defectu petita indicatio, vitium consideratione restringitur, addo etiam malum malo verè non curari, medium tenet sanitas, quemadmodum & animi virtutes.

Vti igitur parum promoueris si contrarium auaritiæ habitum hoc est prodigalitatem induxeris, vltrà medium progressus: ita profectò neque is multùm profecisse putandus est, qui pro iusta corporis, aut tẽperiei, confirmatione aut moderatione, contrariam quidem ei quæ vitiosa est, at indebitam inuexerit? aut detorta in sinistrum latus membra, nixu contrario in dextrum ampliùs quàm par est inflexerit.

Meritò ergo extremæ omnes tum euacuationes tum refectiones (quanquàm neque perpetuò neque necessariò interimunt) ab Hippocrate nostro exploduntur, tanquam summis morborum angustijs & periculis obiectæ. Iam nunc ambo extrema inter se conferamus.



An extremæ euacuationes extremis repletionibus sint periculosiores? an contra?

QVÆSTIO DECIMA OCTAVA.

SI Hippocratem sequemur ducem, nullo negotio propositum definiemus, is non modò in presenti Aphorismo, & sequenti aut etiam in alijs præcedenti quæstione allegatis, sed alibi sæpè hæc ambo tanquam paria & æqualia in eandem classem videtur retulisse, hinc factum arbitror quinto Aphorismorum quod cùm euacuationis damna percensuisset mox expletionis incommoda subiecerit (quanquàm in Aphorismis aliàs nulla ordinis ratio quærenda est) hi autem se se mutuo subsequuntur. Vbi sanguis multus fluxerit, singultus aut conuulsio superueniens malum. Item. Ex superflua purgatione conuulsio aut singultus superueniens malum. Denique si ebrius quispiam repentè obmutuerit conuulsus moritur nisi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit qua soluuntur crapulæ vocem recuperet.

Tribus hisce sententijs apertè concludit lethalem esse tum euacuationem summam, tum repletionẽ: Non enim aliud sonat ma-

lum quàm lethale Galeno interprete(hic interim & præcedenti quæſtione repletionis nomen quod generale eſt, atque etiam expletionis, ſi quando occurrent, pro immoderata cibi aut potionis ingeſtione volumus accipi)

Capite 12 Hanc ſententiam Galenus ipſe proprio calculo confirmat. Vt enim is libro de cur. ratione per ſang. miſſ. hiſtoriam eorum profert, qui ex euacuatione immodica repentina morte ſunt abrepti(quibus alios niſi odioſum foret annecterem qui ante paucos annos imperitorum quorundam; abſit vt Medicorum dicam, neque enim tales erant re aut nomine, ſed Empiricorũ, imò ne Empiricorũ quidẽ, ſi quales à Galeno deſcribuntur velis intelligi; ſed myropolarũ, tonſorum, aut vagatorum vitio, in ipſo euacuationis impetu parem ruinam ſunt perpeſſi) ſic in præſenti Aphoriſmo teſtatur Athletas quoſdam præ immoderata repletione calore ſuffocato, protinus interijſſe. Idem quoque propria nobis experientia liceret confirmare.

Neque minus ſeuerè nos ab excedente vacuatione reuocat, quàm à nimia repletione: teſtes appello omnes quotquot in eius lectione diurnos nocturnoſque labores aſſiduè collocant.

At videntur à Medicorum placitis deflectere, quicunque in componendis hominum moribus ſunt hactenus verſati. Iſti cùm repletionem omnẽ non minùs quàm peſtem corpori

corpori animoque prorſus exitialem vbique fugiendam aſſerant, euacuationis ne meminerunt quidem, tanto ſilentio palàm innuentes periculi ſe nihil ab euacuatione pertimeſcere. Quod ampliùs, ſi quando de inediæ tolerantia ſermo eſt (à qua non mediocriter, imò etiam extremo quandoque diſpendio exhauriri corpus diximus anteà) ſummis ipſam laudibus ad cœlum euehunt.

Audiamus in primis ipſum eloquentiæ parentem, vnàque Philoſophiæ peritiſſimum, ſuo in Tuſculo Philoſophantem. Omnium perturbationũ (inquit) fons eſt intemperãtia, quæ eſt à tota mente, etiam à ratione deflectio, ſic auerſa à præſcriptione rationis vt nullo modo appetitiones animi, nec regi, nec contineri queant, neque mente rectè vti poſſimus multo cibo & potione completi, Quam ſententiam ad ſolam vini intemperantiã reſtringit Xenophon dũ Iſchomacum his verbis loquentem facit. πρῶτον μὲν τοὺς οἴνου ἀκρατεῖς οὐκ ἂν δύναιο ἐπιμελεῖς ποιῆσαι: τὸ γὰρ μεθύειν λήθην ἐμποιεῖ πάντων τῶν πράττειν δεομένων hoc eſt Primum quidem haud poſſis intemperantes vini diligentes efficere, ebrietas enim obliuionẽ inducit rerum agendarum. De hoc eodem exceſſu ſi primos Philoſophiæ cultores non aſpernamur (poëtas intelligo) Cratis opinionem non reijciemus ab iſtorum ſententia minimè diſſentaneam.

4. Tuſc. quæſt.

5. Tuſcul.

In Oeconomico.

Ὅςις δέ μὴ γαςρὸς κρατεῖν ἐπίςαται, (inquit)
Οὗτος τὰ πλέιω τῶν κακῶν ἔχει κακά.

Bb

Quicunque nescit imperare abdomini,
Hic plura semper aggerit malis mala.

Quam sententiam (vti anteà Xenophon) ad solius vini excessum restrinxit antiquus Satyrarum scriptor, ob hoc fortasse quod in hoc magis quàm in cœteris alimentis peccetur.

Lucilius satyra 30.

Scito etenim (inquit) *benè longinquum mortalibus morbum*
In vino esse, vbi qui inuitauit Dapsilius se.

Libro 4. Capite 5.

In vino (inquam) quo, vt cũ Plinio loquar, neque viribus corporis vtilius aliud, si modicè vtare, neque aliud perniciosius, si modus absit; Id est si mensuram excedas, non item si infrà subsistas. Nec modò valetudini corporis infensam, sed & Deo inimicam intemperantiam arguit illud Stobæi.

Γαστέρα μισήσειε θεός, καὶ βρώματα γαστρός.
Ventrem odit, ventrisque epulas qui sydera torquet.

Quid amplius? etiam peccati supplicium temulentiam facit Hesiodus, quam Pandoræ nomine ab infenso Ioue mortalibus demissam, & ab Epimetheo, hoc est inconsultis viris admissam fabulatur. Hæ sunt Iouis minæ.

Τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακὸν ὧ κεν ἅπαντες
Τέρπονται κατὰ θυμὸν ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες.

His dabo pro igne malũ, quo non iucundi⁹ vllũ
Esse putat gens cæca, suam complexa ruinã.

Tale porrò deorum parentis donum fuit, in quod cœteri dij deæque omnes suam ope-

ram contulerunt.

πάντες ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
Δῶρον ἐδώρησαν, πῆμ' ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν.

Quotquot cœlesti sede morantur
Nobilibus sua dona viris nocitura dederunt.

Ecce vt illic malum, hîc nocumentum Pandoram vocat, & rem ita esse comprobauit exitus, hi enim sunt effectus consecuti.

πρὶν μὲν γὰρ ζώεσκον ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων
Νόσφιν ἄτερ τε κακῶν, καὶ ἄτερ χαλεποῖο πόνοιο
Νούσων τ' ἀργαλέων αἵ τ' ἀνδράσι γῆρας ἔδωκαν

Principio vitam proles humana trahebat
Expertemque mali prorsus vacuamque laboris,
Morborum immunem quibus accersita senectus.

Verum Pandora postmodum (hoc est voluptate, ebrietate, incontinentia) hospitio suscepta.

μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται
πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν πλείη δὲ θάλασσα,
Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ, αἳ δ' ἐπὶ νυκτὶ
Αὐτόματοι φοιτῶσι, κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι.

Grande malum mortales inter oberrat
Plena malis terra est, his & vada salsa redundant,
Morbi errant homines inter noctesque diesque
Sponte sua nati cladem exitiumque ferẽtes.

Ecce vt morbos, adeòque mala omnia repletioni ac intemperãtiæ refert accepta vniuersa Poëtarum classis, non euacuationi non inediæ ex cuius mente & suffragio ita con-

Libro de Oratore. cludit Cicero; suus cuique modus est tamen magis offendit nimium quàm parum; At suspecta fortasse fuerint Oratorum & Poëtarum testimonia, tetricis illis ferè dixerim ἀμούσοις, qui à seuerioribꝰ studijs ipsos nescio quo hostili animo penitùs ablegandos putant.

Itaque Peripateticum, hoc est Philosophorum omnium primarium consulamus, is in problematis de inediæ incommodis parum aut nihil sollicitis, ebrietatis damna quædam at non omnia proponit, & sigillatim cuiusque rationem quærit.

Primum quidem quorsum frigeant vinolenti & laterum dolore cæterisque huiusmodi vitijs torqueantur? Præterea qua de causa delirent qui leuiter se inebriarũt? vbi asserit solui penitus & languere eos qui multum hauserint. Amplius cur ebriosorum genitale semen sit infœcundum? Cur tremant & rigeant tumulenti? Cur grauitèr à vino detentis omnia circumagi videantur & duplicata obiecta? Aliaque id genus inquirit, quorum sanè causam in excessum & redundantem vini vsum reijcere debemus. Non enim ab eo moderatius sumpto labefactantur sed recreantur & reficiuntur animi corporisq; facultates. Sin minus rationi parebunt, eique subiecti erunt appetitus, longiùs euagati immedicabilẽ inferent cladem. Est enim cùm per se voluptatis insatiabilis & inexplebilis cupiditas, tum omni ex parte in eo qui à ratione discedit; &

1. problema. sect. 3.

2.

4. Consequentibus

Aristoteles 4. Ethicorũ Capite 12.

cupiditas dum expletur, eius quod cognatum est vires amplificat, quæ quò sunt maiores & vehementiores eò magis mentem é sua sede & statu dimouent. Hanc ob rem intemperantiam meritò belluinam vocat idem Aristoteles, eamque iurè vt probrum maximè obiectari censet, quandoquidem inest in nobis non quatenus homines sumus, sed quatenus animalia.

4. Ethic. Capite 10.

Dies me deficiat si consentientia doctissimorum hominum suffragia in hunc locum tanquàm in cumulum congerere aggrediar. Et hæc abundè conficiunt longè maiorem abextrema refectione, quàm ab euacuatione summa perniciem imminere. Nihilominus tamen si rem acu perpenderimus, longè aliter se habere comperiemus. Pro qua firmius stabilienda hac distinctione concludamus. Si amborum extremorum graues & difficiles anfractus inter se conferantur, in se spectati secluso omni respectu, nullus est dubio locus quin ad æqualitatem proximè accedant. Pendent vtrinque planè exitiales affectus quales anteâ enumerauimus. Neque minus euacuatio si ad extrema deuenerit corporis animique facultates omnes & actiones funditus euertit quàm repletio.

Literis prodidit antiquitas (quod & nostra memoria vidimus) copiosissimos exercitus, qui nullis laboribus defatigari, nullis artibus eludi, nullis angustijs intercipi, nulla vi, nullis machinis opprimi potuerant, tan-

dem inedia proſtratos cum è contrario vino largius epoto ebrij in aduerſos hoſtes ardentiore animo concitarentur & irruerẽt. Quin etiã florẽtiſſimas Ciuitates cœteris militarib' præſidijs inſtructas, locis inacceſſas, armis inexpugnabiles, annonæ defectu tum demum expugnatas. Imò verò tantas inedia moleſtias exhibet, vt fami, (quam maleſuadam vocat) propriam tribuerit Virgilius apud inferos manſionem, hanc Tantalo pœnã illic infligi comminiſcuntur Poëtæ.

9. Æneid.

Tantalus à labris ſitiens fugientia captat,
Flumina.

An his grauiora tribui ebrietati poſſunt? Paria certè non negamus. Quanta enim moleſtia eſt fame & ſiti oppreſſis cibo & potione non refici, tanta eſt expletis & alimenta auerſantibus ad cibum & potionem cogi.

Verum ſi moralitèr loquamũr (quemadmodũ hiſtoriarum ſcriptores, Oratores, Iuriſcõſulti, Philoſophi & Poëtæ) eſt ſanè quod temulentiam hominum planè belluinã compeſcamus, Medicis tuendæ reparandæque ſanitatis in vniuerſum præcepta ſtabilire, euacuandi leges tradere, modũque euacuationi imponere ſolis concedamus. Quorſùm enim nos ab inedia & immoderata fame ſuis illi aut exemplis aut rationibus auocent, quas motu proprio, ſuadente naturali appetitu cane peius & angue omnes perhorreſcimus? Repletio verò, quanquam ipſam natura refugit, quoniam cum voluptate coniuncta eſt,

Ariſt. 4. Ethic. Capite 12.

vt facilis, earum rerum consuetudo quæ sunt voluptatis, à voluntate nostra proficiscitur, illam deprauato iudicio amplectimur, in eandem omni studio incumbimus, ad eam (quod sanè turpe est) premij spe proposita volētes, incitamus, inuitos impellimus; Pro poculis quandoque (quod apud Ethnicos fortassè tolerari posset) tanquā pro aris & focis aut pro gloria decertantes.

Tam pernicioso & cōmuni passim grassanti vitio, nil mirū est sapiētissimos homines omni industria se se opponere: aliàs inexplebilis gulæ incommoda proponētes, aliàs helluonum insolentiam atque ignorantiam obtrudentes. Aliàs denique efferatos & plusquam ferinos, ipsorū mores debitis supplicijs coercentes. Ecquid verò magis à ratione alienum, quàm intemperantia? Quid homini magis absimile quam helluo? aut quid ad lutulenti suis naturam propiùs accedit, cuius ad viuum impressam moribus refert imaginem? imò ne cum belluis quidem comparandus, quisquis ebrietati, temulentiæ, crapulæ se se liberiùs dat in prædam. Non enim solius rationalis animæ sed & sensibilis quoque vsum & functiones, praua consuetudine subuertit, solas habet vegetantes facultates (penè etiam obrutas atque suffocatas) cum stirpibus cōmunes. Quam ob causam rei polyticæ studiosissimi quondam Lacædemonij seruos quos εἵλωτας vocabant vini plenos vere tum ἠλοὺς hoc est stolidos liberis suis visendos proposuere, cer-

tô persuasi hoc vno spectaculo longè magis quam minis, vel blanda oratione posse ipsis à crapula deterreri, cùm multa ab ebrijs perpetrari turpitèr cernerent quæ à libero & liberali homine sunt prorsus aliena. Verum huic tanto malo in grauissimam hominum perniciem inuecto, ita se pleriq; omnes hac nostra tempestate implicant & immergunt, vt quasi ab Epicuri lacunis emersisse videantur in quos iam olim ab Ascreo Poëta detortum illud videtur.

Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός
Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε, καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ
Quantò dimidium toto sit maius inertes
Haud norunt, nec adhuc quid malua, quid hastula prosit.

At quid inertes dico? imò ne ij quidem ipsi qui sapientes vulgò æstimantur, non Legislatores non Iudices, non Philosophi & (quod dici pudet, & pudet fateri) non Medici. Equidem vt si Grãmaticum se professus, quispiam barbarè loquatur, aut si absurdè canat is qui se velit haberi musicum, hoc turpiùs est quod in eo ipso peccat cuius profitetur scientiam; sic Philosophus, in ratione vitæ peccans hoc turpiùs est quod in officio cuius magister esse vult labitur, artemque vitæ professus delinquit in vita. Ecquis vero hoc tempore Quintum illum Asiaticum ferat, vini odorem grauitèr spirantem, tetro expiratu iacentium nares & caput molestè ferientem? Medicus certè ebrius

Cicero 2. Tuscul.

Galenus 4. in 6. Epid commune 4.

alter morbus, sibi ac ægrotanti inutilis imò infestus aut periculosus si qui fortè turpissimo tam fœdæ voluptatis cœno volutantur, à suis musis remedium petant. Sed quo feror? cum Medicis ago, nec Medicè: Vt ebrios vini vapor, sic me mei ferè oblitum reddidit ebrietatis cõmemoratio. Ad me redeo, & ad Medica: Circà quæ dubium est vtri facilius succuratur an euacuationi? an repletioni? equidem redundantiæ sanguinis facillimum & promptissimum est venæ sectione occurrere; Et ciborum redundantem copiam vomitione deponere, illud in praxi sæpiùs experimur: istud prioribus sæculis in frequentem vsum, ac ferè in consuetudinem abierat: frigida quondam in conuiuijs ac tepida separatim vltima mensa offerebatur accumbentibus: vtraque cùm ad oris collutionem tùm ad potum: illa quidem ad reprimendos ingestorum vapores: ista potiùs ad ciendum vomitũ, vt suo quisque arbitrio natam ex ingluuie molestiam excuteret, At immodicæ euacuationi non ita præsens remedium: vetant afflictæ vires ne pacem defectui copiã rependam⁹, vnde non rarò euenit vt quos euacuatio non exstinxit, vberior postmodum refectio repentè interimat.

His rationibus manifestè conficitur repletioni cõmodiùs & promptiùs posse nos subuenire, secus tamen res habet si veris rationibus & Galeni suffragio æstimetur; Galenus quidem exhaustis consũptisque inedia *10. Methodi. 3.*

ſuccurrendi facilitatem proprio experimēto cōprobauit, dum iuuenē illum iam penè exanimē oblato cōuenienti cibo protinus quaſi ab inferis reuocauit. Conuenienti (inquam) cibo, hoc eſt moderata cremoris ptiſanæ quātitate? nam largiorem nuſquam illæſus, pertuliſſet iam propè exſtinctus natiuus calor. Neque opus fuit vt parem defectui copiam exhiberet, poterat is defectus iteratis vicibus nullo detrimento reſarciri; at quod plus eſt (ait Hippocrates) noxas interdum inemendabiles parit. Quam ob cauſam ciborum adiectioni multò minùs intendendum ſubtraxere omninò ſæpè expedit. Quanquàm verò exuberantem ſanguinem nulla virtutis offenſione, ſucceſſu optimo, & valdè expedito pleriſque detrahimus, non ideo inferendum vtilem fore atque expeditam ſanguinis detractionem ijs qui abdomini ſeruiunt: ſuccos crudiores non eximit venæ ſectio, primarum viarum infarctus non tollit. Non etiam ſunt omnes aut ad vomendum faciles, aut vomitionibus aſſueti: Neq; ſi euomāt moleſtiam omnem illicò deponunt, nouam etiam quandoque ex vomitu contrahunt. Tutiùs ergò atque facilius ex immoderata vacuatione iacentem reficere atque ſubleuare, dummodo iuſtæ moderationis legibus ſe ſe ipſe contineat.

3. Acut. s. 37. & ibi. Galenus.

Sed hic Colophonis loco diſcutiendū vulgatiſſimū illud problema. *Cur plures poſt ſummam annonæ caritatem, quàm ipſo famis tem-*

pore moriantur?

An quia contractus longa parcimonia ventriculus repentinam extensionem ferre non potest? siquidem famelici affluente alimonia sese vltrà modum infarciunt inde repentina ventriculi distentio; at subitas mutationes natura non patitur. An potius quia debilitatus diuturniore inedia natiuus calor ac elanguidus refectione larga suffocatur? Quam ob causam à morbo conualescentes dum cibi multitudine naturæ facultatem obruunt, non modo non corroborantur (vt annotauit Hippocrates) sed plerũque etiam recidiuas patiuntur & intereunt. Huic finitimum est aliud problema, *cur post famem magis quàm in fame generetur pestis?* Hinc enim natum prouerbium, μετὰ λιμὸν ὁ λοιμὸς, post famem pestis, cùm rationi magis videatur consonum, vt quo tempore putrida ingeruntur ita cogente necessitate, maior subsequatur putredo, putredinem pestis. An vt pestiferam luem non effugiant, in quos diuinam vindictam non exercuit fames? Hæc enim inter cœtera sceleratis hominibus in pœnam diuinitus immittuntur, vti perbellè, sacrarum opinor literarum monimentis instructus Hesiodus scriptum reliquit.

2. Aphorism. 8.

ὠρανόθεν μέγ᾽ ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων
Λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμὸν ἀποφθινύθουσι δὲ λαοὶ
Οὐ δὲ γυναῖκες τίκτουσιν, μινύθουσι δ᾽ οἶκοι
Ζηνὸς φραδμοσύνῃσιν ὀλυμπίου ἄλλοτε δ᾽ αὖτε
Ἢ τῶν γε στρατὸν εὐρὺν ἀπώλεσεν ἢ ὅγε τεῖχος

ἔργον καὶ ἡμέρα.

Η νέας ἐν ποντῳ Κρονίδης ἀπόλλυνται αυτὸς.

Quam Hesiodi sententiam Iuuenili feruore abreptus Nicolaus Valla non iuueniliter sané, sed perquam eleganter & fideliter ita reddidit.

Pestis furit atra per vrbem
Et malesuada fames, paulatim desinit omne
Vulgus, & hic vacuos ostendit tecta penates:
Fœmina nulla parit, sic sæuit Iuppiter erga
Quos malefacta iuuant, qui si modo fortè cruentum
Militiæ excercent studium, mora nulla sinistro
Marte cadunt, vel si potiùs iuuat ire per altum
Fluctibus in medijs submergitur obruta puppis.

Ecce vt cœlestem vindictam nusquam deuitant improbi. Eandem pestis causam deorum scilicet vindictam, Homerus agnouit.

Iliad. α. ὁ γὰρ βασιλεῖ χολωθεὶς (inquit de Apolline loquens)

Νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακὴν ὀλέκοντο δὲ λαοὶ
Τοὔνεκα τὸν Χρύσην ἠτίμησ' ἀρητῆρα.

Regi succensus Apollo
Misit in armatos pestem, populusque peribat
Quod sua sacrifico non esset gloria Chrysi.

An verò (Theologicis prætermissis) id accidit quoniam famis tempore praua etiam edulia exigua quantitate deuorata, tantisper edomari à natiuo calore poterant & putre-

do impediri; posteà adaucta suprà modum quantitate humores in corpore stabulantes, ex anteactæ vitæ prauitate putredini obnoxij amplius coerceri nequeunt? *Galenus 1. de diff. feb. capite 4.*

An potius quia ex subita & vehementi repletione generatur cruditas, ex cruditate obstructio, ex obstructione putredo, ex putredine pestis? An denique vt in prælijs sic in fame non cremata (veluti antiquis mos erat) aut insepulta egenorum cadauera contagione aërem inficiunt, atque vt sensim is corrũpitur, ita quoque pedetentim serpit venenata aura & non nisi prestituto tẽpore sufficienti longè lateque in Ciuitates dispergitur? *Galenus. ibidem.*

Plura circa venæ sectionem cæteraque hactenùs disputata agitari à nobis potuissent, sed hæc pro Aphorismi interpretatione videntur satis, non enim materias quascunque integrè pertractare propositum est, sed tantum in singulis immorari quantum per Hippocratem licebit.





Αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται καὶ ἐν τοῖσι μακρῇσιν αἰεὶ πάθεσι καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσιν, οὗ μὴ ἐπιδέχεται σφαλεραί. καὶ πάλιν αἱ ἐς τὸ ἔσχατον λεπτότητος ἀφιγμέναι δίαιται, χαλεπαί: καὶ γὰρ αἱ πληρώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἀφιγμέναι χαλεπαί.

Victus tenuis atque exquiſitus, & in longis paſſionibus ſemper: Et in acutis, in quibus non cõuenit periculoſus, & rurſus ad extremum tenuitatis deuectus grauis eſt: Etenim ducta ad extremum refectio, difficilis.

Commentarius.

QVid ſit victus tenuis, quid acutus morbus, quot vtriuſque ſpecies, docet abunde hîc & alibi Galenus, quæ mutuari ab ipſo in præſentia non pige-

bit, quandoquidem doctrinæ Hippocraticæ sunt apprime consentanea, & ad huius Aphorismi intelligentiam cõsequendam penitus necessaria. Victum ergò tenuem definit eum, qui per pauca aut parum nutrientia fit alimenta, qualis est ptisanæ succus. Quo loco alimenti nomine extremum intellige, ita communiter accipitur, cum de victus instituendi forma sermo est apud Medicos (quanquam aliàs ne alimenti quidem appellationē apud Galenum meretur) huius diætæ finis est parua nutritio, quanta scilicet viribus ad indicationem vsque prorogandis sufficiat. Indicatio porrò aliàs obtingit citiùs, quãdoque tardiùs: Ex hoc diuerso motu diuersæ acutorum differentiæ oriuntur quarum singulæ peculiarē sibi vendicant alimoniæ quantitatem. In hoc sanè cõueniunt quæcunque acutorum differentiæ quod citò terminentur nec periculo vacent: differunt sola maioris aut minoris ratione. Pari modo tenui cuicunque victui. illud in genere commune est, quod pauca offerantur alimenta (inquam seu virtute seu mole) at sola itidem inter se discrepant maioris aut minoris ratione, Quare tenuis-

ſimus exactè is appellatur, in quo penitùs à cibis abſtinem⁹, ijſq; affectibus conuenit quos exactè peracutos vocamus, in quibus, cùm vltra quartum diem non protendantur, verendum non eſt ne tantillo tempore concidant vires, ſi tamẽ non omnino robori confidimus aut ex eorum numero ſit morbus qui ſimpliciter peracuti nominantur, & ſeptimo terminãtur die, concedendum aliquid quale melicratum. Et hic quoque tenuiſſimus eſt victus at non exacte'. Sin ante decimum quartum cri-
2. Aph. 23. ſim non expectamus, quemadmodum in acutis exquiſitè, ad ptiſanæ cremorem veniendum, quæ exactè tenuem diætam conſtituit. Tum demum ſi neque hanc vitæ regulam patiantur vires, aut ad vigeſimum diem protrahatur morbus vti fit in acutis non exacte', ptiſanam integram offeremus, hoc eſt, victum tenuẽ, at non exquiſite'. Eliciamus modò ex dictis ſi fieri poteſt Aphoriſticæ ſententiæ interpretationem, quam poſtmodum ratione ſtabiliemus. Iſtud meo iudicio voluit Apollo noſter pluſquam Delphicus victum tenuem, hoc eſt, quem ſimpliciter tenuem nũcupamus, & exquiſitum, hoc eſt exquiſite' tenuem

tenuem, non autem acutum, quomodò improprijſſimè vertit Fuchſius. Nam præterquàmquod dictio, ἀκριβὴς qua in præſenti vtitur Hippocrates, ea ſignificatione apud probatos auctores non inuenitur, abſonū eſt propriam & peculiarem qualitati exprimendæ vocem, in quantitatem καταχρηστικῶς detorquere, tum præſertim cùm clariorē loquendi formam interpretis munus expoſtulat, victum enim acutum[ſi voce non abutemur] eum eſſe fatebimur, qui acuto pungenteque ſapore ſit præditus, cuiuſmodi ſunt acer, acerbꝰ, acidus, qui linguā & fauces, punctim quaſi laceſſūt, feriunt, atque vellicant. Sed relicto interprete redeamus ad noſtrum Æſculapium, cuius hæc mens fuit docere victum tenuem ſimpliciter, & tenuem exquiſitè perpetuò, dubium eſſe in affectibus diuturnis, necnon etiam in acutis in quibus non competit, hoc eſt in acutis ex decidentia, addas etiam in ſimpliciter acutis ſi duo hæc verba tenuem & exquiſitum, ſimul iungas, ita vt idem ſonent quod exquiſitè tenuem, altero nimirum vices aduerbij gerente, qui modus Græcis eſt non parum familiaris. Et rurſus victum illum qui ad ex-

tremum tenuitatis deuenit grauem & anxium. Puta in ijs passionibus de quibus sermo est. Rem ita habere colligit ducto à contrarijs argumento, quorum cum eadem disciplina sit & ratio vulgato logicis axiomate, si difficilem esse refectionem extremam non inficiamur, pari modo extremã inediam minimè tutam fore negari non debet. Hæc est authoris sententia breuibus quantum commentarius requirit illustrata, latiùs postea, & quantum videbitur in controuersijs excurremus. Illud tanquam fundamenti loco supponendum ante omnia, ex quo pendet tota decisio, legitimam illam esse viuendi rationem, quæ neque morbum auget, neque vires vltrà quam par est collabi sinit: Quæ cõtrario modo habet, illegitimam: Morbum auget quæcunque copiosiore quã æquum sit vtitur alimento: facultatem destruit, quæ parciore. Quicunque igitur in alterutrum impinget non erit periculo immunis. Huiusmodi autem est tenuis victus in propositis affectibus: in longis quidem & ἐκ μεταπτώσεως hoc est ex decidentia acutis tolerari non potest quin lædatur insigniter virtus aut fracta penitùs atque exoluta collabatur.

Idem iudicium esto seruata temporis proportione, de simpliciter acutis, si de exactè tenui victu solùm sermo sit, is ipse victus tenuis in peracutis morbis naturam à coctione auocat, grauioraque concitat incendia magno ægri dispendio. Iam quæ extremè tenuis diæta est multò minùs quàm præcedentium vlla viribus illæsis perferri in Chronicis, & ex decidentia acutis passionibus potest: extrema quoque refectio morbi radices altiùs defigit, & naturæ negotium facessit. Ita vt morbificæ causæ maturationi & depulsioni cum opus est intendere ipsa nequeat. Quare meritò ambæ dicuntur à Galeno verè alienæ & monstrosæ, quandoquidem extremæ cùm sint paucissimis omninò aptæ sunt, cæteris quàm infestissimæ etiam ab idiotis deprehenduntur. Quæ verò medium tenent habent vtrinque aliquid quo se tueantur, & si quem offendant leuiorem cladem ac iniuriam inferunt. Extremarum porrò diætarum dispar est noxa: Ab inedia omnimoda vehementiùs concutiuntur vires in morbo diuturno. Ab extrema refectione magis efferantur acutæ passiones. Mirabitur fortasse quispiam nos modò

1. acut.Cōment. t. 13

extremam refectionem tanquam in vniuersum funestam non penitùs allegare, nostramque sententiam velut in omni medicina hactenùs inauditam aspernabitur & reijciet. Quid enim magis in Hippocratis doctrina tritum & vulgare, quàm omne nimium naturæ inimicum, optimam sanitatis tutelam non impleri cibis; hi enim vbi plus præter naturam ingeruntur morbos procreant, vti paulò antè cumulatè demonstrauim⁹. Quid porrò nimium dici debet nisi quod extremum? Quorsum ergò extremas refectiones paucis aptas dicimus, vbi de ægrotis sermo est, cum ne sanis quidem quadare vnquam posse videantur? Ne his difficultatum inuolucris teneamur irretiti, sciendum est extremæ refectionis nomine eam hîc intelligi quam communiter plenissimam vocant, quæ & multis fit, & copiosè nutrientibus alimentis. Non autem eam quæ in quantitate moderationis terminos excedit, de qua loquitur diuinus senex citatis in contrarium Aphorismis & nos in superioribus egimus. Hæc enim ex se suaque natura summis perpetuò grauissimorũ symptomatum periculis obnoxia est.

2 Aphorismus 4. & 51. 6. epid comm. 4. t. 10. 2. Aphoris. 17.

Illa non ſemper, ſed in aduerſa valetudine dũtaxat præſertimque in acutis morbis, quorum reſpectu plena refectio non ſolùm immoderata, ſed etiã monſtroſa & à ratione penitùs aliena Galeno appellatur, quæ certe' appellatio ſimpliciter loquendo alteri longe' conuenientior eſt: Monſtroſam verò refectionem nuncupatam fuiſſe plenam à Galeno oſtendunt ipſus verba, dum Petronam reprehendit quod in febribus tum vinum tum carnes exhiberet nulla quantitatis ſummæ aut excedentis facta mentione. Neque veri ſimile putandum eſt Petronam fidei ſuæ creditos febrientes ciborum copia ingurgitaſſe, eamque vere' monſtroſam, & ſuapte' natura alienam quantitatem ægris conceſſiſſe, quam ne pancratice' quidem habentibus conceſſiſſet. *1. acut. cõment. t. 13*

Hic itaque verus & genuinus eſt poſtremæ partis noſtri Aphoriſmi intellectus: tam exacte' tenuiſſimam, quam exacte' plenam viuendi rationem [hoc eſt quæ fit per multa & multum nutrientia alimenta, & ſanis ac benè habitis corporibus quàm accommodatiſſima eſt] in longis paſſionibus, & acutis quibuſdã [de quibus in priore Apho-

risimi parte sermo est, ad quam seruata proportione referri debet altera] minime' cōpetere, periculo non carere. Imò verò [quod maxime' ad rem nostram facit] videtur Hippocrates sumpto à minori ad maius argumēto probare velle summe' tenuem victum in prædictis affectibus fugiendum. Hac ratione: si verum est in hisce passionibus refectionem extremam, hoc est plenissimum victum non conuenire, quod quidem minus credibile videri potest, quandoquidem affectus diuturnitas largiore cibo virtutem sustentari iubet, quantò magis credibile fuerit detestandam longioribus in morbis inediam, à qua hæc ipsa funditùs euertitur? Tale esse Hippocratis institutum denotat causalis illa particula γὰρ. Quanquam non repugno, quin de contrarijs extremis simpliciter intelligantur hæc clausulæ, quorum primum virtutem plane' exhaurit: alterū hanc ipsam suffocatam opprimit, necnon à morbi coitione distrahit.

Quæstionum series & ratio.

Morbi in hoc Aphorismo passiones appellantur, hanc appellationem fortè vix admiserit Galenus: Vnde primæ disputationis occasio.

An morbus sit passio? Et quoniam verè admittere illam appellationem nobis non licet, sequitur altera quæstio, sub quo genere contineatur morbus?

Postmodum ad commemoratas in Aphorismo differentias morborum progredimur, & quid longus sit morbus, quid acutus, & de quo acuto in præsenti sermo sit, docemus.

Postremò illud decidimus, cuius gratia totus Aphorismi contextus, à quo nimirum victus tenuis indicetur.



An recte dictum ſit ab Hippocrate ἐν μακροῖσι πάθεσι? ſiue an morbus ſit paſſio?

QVÆSTIO PRIMA.

Πάθος, ſiue paſſionis nomine morbum in præſenti ſignificari nemini dubium eſt, ideòque dictionem hanc ἐν πάθεσι verterunt in morbis nonnulli interpretes, quam verſionem ſuo commentario Galenus non obſcurè comprobauit. Eadem in ſignificatione à ſummo latinæ linguæ exculrore & principè accepta eſt, cuius hac in parte non planè reijcienda auctoritas. Reliquæ (inquit) perturbationes animi, formidines, libidines, iracundiæ, hæc enim ferè ſunt eiuſmodi quæ Græci πάθη appellant, ego poterã morbos, & id verbum eſſet è verbo, ſed in conſuetudinem noſtram non caderet. Nam miſereri, geſtire, gaudere, lætari, hæc omnia morbos Græci appellant, motus animi rationi, non obtẽperantes: nos autem eoſdẽ motus cõcitati animi rectè vt opinor perturbationes dixerimus, morbos non ſatis vſitatè. Hanc ſummi Oratoris interpretationem confirmat Ariſtoteles cum libro de ſenſu & ſenſili morbum definit paſſionem corporis viuentis. Verum impropriam eſſe huiuſmodi accep-

3. Quæſt. Tuſcul.

tionem grauissimorum auctorum Graeciae Philosophiaeque luminum, ipsius etiam Galeni suffragio conuinci potest: Plato quidē non voluptatem modo sed & quascunque nascentes alterationes quae morborum appellationem mereri nequeunt τὰ πάθη nuncupauit. Cuius principijs insistens eius discipulus, atque vnà reliquorum omnium magister grauissimus pathemata à praedicamento qualitatis seclusit: & meritò. Pathematum namque essentia incompleta est & imperfecta, in ipso (vt loquuntur) fieri, neque actione separata subsistit, quare ex consequenti nihil habet à quo subiectum quale dicatur, sed aliquid esse perpessum. Quicquid enim absoluto motu relinquitur non iam passio est, sed vel habitus, vel dispositio, vel patibilis qualitas. Huic eidem sententiae subscribens Galenus inquit, quod in ipso (vt sic loquar) fieri essentiam habet, actionem passionemue nominamus? quòd in permanentia ad aliquod tempus, sanitatem morbumve. Quippé agentis motus actio est: eius verò quod ab eo est quodammodo affectū, passio. In summa ipsum affici idem quodammodo quod pati est, differtque passio ab affectu affectioneve motu. Namque cessante eo quod alterabat, alteratio quae in passo iam remanet affectus. eius est, ita scilicèt vt in ipso verti, & mutari, & alterari, & moueri passio generationem habeat, in eo verò quod manet & in subiecto corpore

Libro de symptom. Capite. 1.

reseruatur affectus constat.

Huic principio innixus quæ præter naturam in corpore inueniuntur. In methodo ita distinguit. Prisci motus omnes etiam qui naturaliter habent πάθη Græcè id est passiones nominant, sicuti etiam ipsos actiuos motus actiones. Et paulò post, contrarium sanitati affectum à quo lædi actionem dicimus, morbum tantum appellamus siue diutinus sit, siue breuis, siue momento duret. Ex reliquis affectibus, qui præter naturam sunt, eos qui hunc præcedunt, causæque rationem obtinent, causas tantum dicimus non πάθη. Qui illum sequũtur, si actiones offensæ sunt & Symptomata & πάθη: Eodem modo & immodicas vel inanitiones, vel retentiones. Qui verò affectus sunt veluti vitiosus color, supra passionis & Symptomatis appellationem etiam affectus vel affectiones vocamus, ita nimirum vt sunt. Dicuntur hæc quidem omnia communi nomine Symptomata, cœterum non vni generi subdita. Quippè affectus quidam corporis est vitiosus color, quod excernitur aut retinetur affectus non est, sed affectum sequitur: similiter actio vel læsa vel integra affectus sanè non est, at particulæ à qua editur affectum necessariò comitatur: Hactenus Galenus. Si huc aliorum quoque Philosophorum & Medicorum placita referre in animo esset, morbis hanc appellationem quadrare propriè non posse communi suffragio de-

2. Method. Capite 3.

cretum inueniremus. Sed hæc à principibus viris petita (in quorum ſententiam pedibus eunt cœteri) omnium inſtar eſſe poſſunt.

An igitur Hippocratem accuſabimus qui tum longos tum acutos affectus πάθοος nomine donauit? Arguere certè ipſum non poſſumus niſi pariter antiquos omnes atque adeò Galenum ipſum in iudicium vocemus. Galenus quidem ſub Pathematis verbo febres horrificas cõprehendit, & dyſenteriam, & Phlegmones. Eundem quoque apud veteres huius dictionis fuiſſe vſum cumulatè probant, quæ ex Cicerone adduximus, qui græcarum literarum fuit peritiſſimus. Eius tamen auctoritati (quoniam extraneus fuit) ne quiſquam detrahendũ putet, Aſiaticum noſtrum iterum loquentem audiamus. Iam ipſum permanentẽ affectum Græci (inquit) paſſionẽ vocant, veluti quod iam fecit, nec etiamnum facit cauſam. Quanquam neque hoc abſoluto ſermone cauſa eſt, neque affectus qui manet abſoluto ſermone paſſio: & alibi. A veteribus quidem πάθος priuatim de omni extrinſecus motu dicebatur, nunc per abuſum etiam affectus qui ex paſſione iam prouenère, nec ampliùs in motu ſunt πάθη, id eſt paſſiones vocant. Tum inferiùs eodem capite πάθος id eſt paſſionem de morbo dixiſſe veteres quemadmodum & ἀῤῥωςίαν, id eſt infirmitatem, & ἀσθένειαν id eſt imbecillitatem oſtenſum nobis eſt in ijs quæ de medicinalibus vocabulis ſcripſimus. Ex qui-

1. Epid. comm. 2. t. 23 libro aduerſus Iulian.

Galenus lib. de diff. ſympt. c. 1.

2. Method. Capite 3.

bus manifeſtum arbitror ante Galeni tempora, ipſo Hippocratis ſeculo duplicẽ fuiſſe huius dictionis vſum: proprium alterum & ſtrictum, quo priuatim de omni extrinſecus motu paſſio dicebatur. Alterum improprium & amplum quo inducta qualitas, & permanens affectus ſignificabatur. Vndè non incommoda elici poteſt difficultatis ſolutio, ſi dicamus Hippocratem & Galenum communem quandoque loquendi morem ſectari, cum de rei natura ambigi non poteſt, quemadmodum in præſenti Aphoriſmo nemo ambigit quin de morbis inſtituatur oratio. Neque verò decuit experientiſſimos docendi magiſtros de verbis vbique eſſe ſollicitos dummodò ſublata omni Homonymia id intelligeretur de quo ſermo eſſet. Imò præſtitit nonnunquam facilioris doctrinæ gratia receptis acceptionibus, quanquam non ita proprijs, ſe ſe accõmodare, & inſiſtere: Niſi cùm de genuina dictionum ſignificatione, & natura rei ſermo ſit ex profeſſo, tùm enim remouenda omnis æquiuocatio, omnis ambiguitas tollenda & declaranda. In hunc modum de paſſione ſtrictiùs in prædicamentis egit Ariſtoteles, & ſi alibi, alia ratione: vt in poſterioribus θὰ πάθη καθ' ἀῦτὰ dixit ea quæ de re aliqua præter naturam & eſſentiam ſumpta definitione demonſtrantur.

Galenus quoque eſſentiam morbi prodíturus, ne vllis eſſet ãbagibus, implicita definitio, neceſſitate cõpulſus veram τοῦ πάθους

significationem proposuit, quoniam à viris etiam non vulgaribus tanquam morbi genus assignabatur πάθος. Quanquam non ita anguste vt Cicero tradidit hac dictione vtebãtur, ita vt è verbo ad verbũ morbũ significaret. Nam præterquã quod aliũ apud antiquos eius fuisse vsum cumulatè satis hacten⁹ cõprobauim⁹(quod etiam ex Galeno si opus esset confirmare pluribus liceret qui τὰ ψυχῆς παθήματα non inter morbos vt refert Cicero, sed inter salubres, aut insalubres causas recensuit) si notationem nominum attendamus plurimum ἀπὸ τῆς νόσου differre τὸ πάθος ἤ τὸ πάθημα comperiemus; Ignaros fortassè aliquos, in quorum lectionem incidit sequutus Cicero, particularem errorem pro communi recepit, & peculiarem quorumdam interpretationem, vsitato auctoribus loquendi more, in omnem Græciam detorsit. Pathos quidem definit Olympicus corporis affectum præter naturam permanentem. Qua ratione morbi proprium genus Pathemati tribuit, multisque & grauissimis erroribus breui oratione se se implicuit quos doctè & copiosè vti solet Galenus confutauit. Thessal⁹ quoque inter morbum & Pathos nihil esse discriminis existimauit: Suis enim commentarijs translatitiè vtrumque ponit, isto vel altero vsus promiscuè, quasi nihil intersit quocunque modo vsurpentur. At hoc neque Hippocrati, neque cæteris vsquam in mentem venit,

In arte parua capite 85.

1. Methodi Capite 7. & 9.

præterquam explicato modo.

Illud hoc loco monitos velim latinitatis ſtudioſos, rectè quidem à Cicerone animi Pathemata perturbationes appellari, non tamẽ quicquid verè & propriè Græcis appellatur πάθος aut πάθημα latinis perturbationem interpretari licere, anguſtior enim eſt huius vocis ſignificatio, quam vt Græcis illis vndequaque reſpondeat, itaque ſi aliquanto barbariùs at ſignificantiùs loqui lubet, paſſionis dictionem haud aſpernabimur.

Iam nunc quæſierit aliquis, quoniam Philoſophorum Medicorumque decreto Pathos à definitione morbi ſubtraximus, ad quod tandem genus morbum referemus?

Sub quo genere contineatur morbus?

QVÆSTIO SECVNDA

DIcam eò lubentius, quo iniquiùs Galenum video Argenterij ſpiculis oppeti. Vnde liquidò tandem patebit morbum ad eorum genus minimè pertinere quorum eſſentia in motu eſt poſita, totaque ab actione dependet, quod iam antea diſcuſſimus.

Galenus multis in locis διάθεσιν hoc eſt diſpoſitionem ſiue quod perinde ipſi eſt κατασκευὴν hoc eſt conſtitutionem tanquam verum & proximum morbi genus colloca-

uit, Dispositionem siue affectum à definitione morbi reijcit Argęterius solam constitutionis appellationem recipit, vnum hoc agnoscit genus. Candidissimi doctoris mentem declaremus in primis tum aliena tela nullo negotio repellemus. Illud ante omnia fundamenti loco statuamus (ne quem in posterum ambigua vocis acceptio fucum faciat) non vno sensu apud omnes affectus nomen vsurpari: generalissimè quandoque capitur non à Poetis modo aut Oratorib[9], sed à Philosophis quoque & Medicis, vt id omne indicet à quo afficimur, qua ratione ipsas etiam passiones suo ambitu includit: sic animi Pathemata affectus & affectiones nuncupamus, Sumitur alias pro ea qualitate solum quæ ab actione relinquitur; Hoc modo superiùs morbum à passione distinximus; Nempè quod huius esse in continuo fluxu sit constitutũ, ille finita alteratione permaneat.

Tertiam addit significationem Fuchsius qua magis contractè sumitur pro omni in id quod præter naturam est mutatione. Qua in distinctione aut mancus videtur, aut superfluus. Mancus quidem si dicamus huic acceptioni respondere alteram, quæ est mutatio in id quod secundùm naturam, sanitas enim affectus est; Adiaphora quippè affectus vox, æquè in bonam ac in malam partem sumitur. Superfluus verò siquidem tertia significatio non minus commodè refertur ad priores quam ista posteriora loco adiecta. *3. inst. sect. 1. Cap. 1.*

Nisi pro Fuchsio respondeam⁹ simpliciter & absoluté sine adiectione positum affectus nomen sinistrè accipi, morboque tantũ morbificis causis, & symptomatis applicari, non autem contrarijs affectibus.

Hoc sensu apud Galenũ inuenitur, dum actionem ab affectu seiungit, quod per actionem motum quendam naturalem intelligamus; affectum autem præter naturam. Vbi notandum actionem dici motum, primaria ratione, hoc est à natura primariò intentum, non ex aliqua consequentia alia necessariò consequentem. Sic cordis motus qui in pulsibus fit actio dicitur, qui in palpitationibus affectus. In prima significatione hocipso loco affectũ describit Galen⁹ motum in altero ab altero: actionem motũ quendam efficientẽ siue per se existentem, quorum vtrũquè sæpè necessariò in vnum concurrunt subiectum. Nam à secante facta diuisio in eo quod secatur vna & eadem res cum sit, secantis quidem actio, eius autem quod secatur affectus est. Propriè hoc est secundo modo sumptum affectus vocabulum, generis & speciej locum obtinet, apud Logicos & Medicos. A Galeno quidem ἕξις per διάθεσιν veluti propriũ genus definitur. Habitum enim non qualitatẽ sed affectionem vocat permanentem. Quacunque (inquit) ægrè à subiecto remouetur affectio, habitus nuncupatur. Quicquid in constanti ægrèque solubili affectu est, id habitu iam quodam

6. de placitis Hippocratis & Platon. 8.

8. Methodi 9.

quodam affectum eſt. In ſpecie habitui opponitur, eamque notat qualitatem quæ facilè à ſubiecto remouetur; Et hoc modo propriè ab Ariſtotele & Dialecticis in Categorijs vſurpatur. Quanquam neque tum quidem ſpeciē efficit ab habitu ſeparatam, nam quæ ſecundum magis & minùs ſolùm differunt, ſpecie non differunt. In genere ſub ſe vtramque continet qualitatem, & quæ ægrè, & quæ facili negotio euellitur.

Hæc diſtinctio noſtra non eſt quam multo antè tempore his verbis doctiſſimus Ammonius propoſuit, τὸ τῆς διαθέσεως ὄνομα διττὸν ἐστι, τὸ μὲν γενικώτερον, ὃ καθηγορεῖται καὶ κατὰ τῆς ἕξεως: τὸ δὲ εἰδικώτερον, ὃ ἀντιδιαστέλλεται πρὸς τὴν ἕξιν. Hoc eſt diſpoſitionis nomen duplex eſt, hoc quidē generalius quod etiam de habitu enunciatur: illud verò ſpecialius quod habitui opponitur. Iam ad rem dicimus affectum in definitione morbi collocari, quatenus ſub ſe habitum ſimul & diſpoſitionem continet, Nec aliter ſumi debet quando de morbo propriè dicto ſermo eſt, ipſo Galeno auctore, in cuius fidem ſatis fuerit hæc eius verba prioribus adſcripſiſſe. Accidit interdum vt partium aliquæ diſpoſitionem habeant (vt ita dicam) ἐκτικὴν: quæ tenaciter hæret, reliquæ verò (vt ſic dixeris) κατὰ σχέσιν id eſt quæ facilè diſcutitur. *3. de loc. affect. c. 2.* Ecce vt diſpoſitionem pro habitu ponit: ſed quid opus eſt in huius rei probationem teſtimonia conquirere; Cùm videamus, non

modo hecticas febres, sed & diarias quoque, in morborum numero ab omnibus percenseri, quarum illæ ad habitum, hæ ad dispositionem pertinent? Præstiterit itaque obiectorum ab Argenterio spiculorum aciem retundere, vbi cœtera quæ ad confirmanda Galeni circa difinitionem morbi documenta spectant, proponemus.

Catachresim notat primo loco vbi Galenus affectum dicit esse alterationem, cùm hæc sit motus, ille qualitas: An ignorauit poni alterationem pro motu & pro termino, hoc est pro inducta qualitate? Nunquid apertè satis confusionem sustulit, & ambiguitatem Galenus, cum addidit esse alteratione͂ factam siue permanentem? quod repugnat motui: Est enim motus actus entis in potẽtia, prout in potentia, hoc est forma imperfecta tend͂es ad vlteriorem perfectionem, cuius essentia non tam in actu consistit, quàm in potentia, vt pote quæ à potentia limitatur & determinatur: Arguitur prætereà Galenus quod morborum causas affectus esse pronunciarit: Nam neque causa alteratio est (inquit ille) neque in qualitatis, sed in eorum quæ comparate dicuntur genere continetur. Quod si ea quæ morbos pariunt nonnunquã sunt qualitates, non tamen omnia, Itavt nequeat nomen affectus cõmune esse vniuersis causis. O egregium Sophistam! Quàm manifesta in his verbis repugnantia!

3. Physic. Aristot. text. 6.

Si enim verum est causas nunquàm esse

qualitates ſed relationes, quorſum iam mox contrarium in aliquibus admittit? Quo admiſſo, quid eſt quod Galenum reprehendat, qui nuſquam cauſas omnes, vti neque Symptomata omnia affectus appellauit? ecquis enim vſque adeo Philoſophiæ Theorematum ignarus inueniri poteſt qui cauſas vllas externas ſub affectus nomine contineri putet? Vt de internis ſileam, quarum plurimæ ſunt inſtabiles. Idem vero doctorum doctiſſimo vſquàm in mentem veniſſe proprijs funditus euerſis principijs, hoc qui arbitratur, aut inſulſus eſt aut malitioſus. At rectiùs Argẽterio fuiſſet priori in argumentatione perſiſtere, & docere cauſas omnes ſub relatione comprehendi, & hoc quidem vltrò admiſiſſemus: cauſam nimirum omnem qua cauſa eſt ad effectum referri: Qua ratione & morbi ipſi à quibus Sympathia quadam alij originem trahunt, conſiderati vt aliorum cauſæ ſub eorum genere collocantur, quæ τὰ πρός τι nominamus. Verum & hi morbi & cœteræ omnes cauſæ, aut ſaltem plurimæ ſi in ſe ſpectentur vt ſunt quid abſolutum, ſecluſo omni reſpectu, ad qualitatis prædicamentum referri debent, & ſub affectus genere conſtitui: Veré enim ab ipſis quale denominatur ſubiectum, in quo permanentem habent finito motu eſſentiam. Mihi porrò non ſatisfacit in præſentia Fuchſij ſolutio, inquientis Galenum affectus vocem ſumpſiſſe pro omni in id quod præter natu- *Inſt Medic Libro 3. ſect. 1. c. 3.*

ram eſt mutatione, cum eam cauſæ & ſymptomati tribuit. Et ſanè (ignoſcat mihi Fuchſius) Galeno falſiſſimè imponit, & turpiſſimè ipſe fallitur. Primum enim certum eſt ex ipſo verborum & exemplorum contextu Galenum voluiſſe propriam affectus appellationem cauſis & ſymptomatis quadrare, affectus (inquam) ſecundo loco definiti, qui prima ſpecies eſt qualitatis, & finita paſſione ſubſiſtit. Præterea conſtat non minùs naturalibus cauſis quàm præternaturalibus hoc nomen adaptari. Quorſum ergo præter naturalis tantum mutationis ſecluſa naturali ſermo fieret à Galeno? An quod præternaturalium dumtaxat exemplorum meminit? Ob id fortaſſe, quod de ipſis ſolum controuerſia oriretur. Quamobrem cum in genere conueniant morbus & morbi cauſa, merito definitioni morbi, addita fuit differentia qua inuicem ſegregantur. Verũ inſtat vlteriùs, & nouis quaſi reſumptis viribus inſurgit Argenterius, & queritur antiquam διαθέσεως ſignificationem labefactari; Quandoquidem ab Ariſtotele de eo ſolummodò affectu dicitur, qui facilè dimoueri poteſt. Ariſtotelis auctoritatem non reijcimus, ſed latiùs quam ab ipſo in Categoria qualitatis vſurpetur, etiam à Logicis accipi iam anteà demonſtrauim⁹. Et quidem peraccommodum eſt, & planè conſentaneum in morbi definitione ea dictione vti, quæ tum habitui, tum diſpoſitioni ſit cõmunis: Nam & ambo cõue-

Galenus 1 Methodi. Capite 9.

niunt morbis, & specie non distinguntur. Verum cum Lernæa bellua nobis suscepta videtur disputatio, vno namque diruto argumento, bina resurgunt & expullulant: Prodit iterum in apertum cāpum ratione simul & Galeni testimonio armatus grauiore quàm anteà nixu & vehementia contradictor. Nephitis (inquit) Apoplexia & affectus per consensum omnes morbi sunt, & si minimo tempore, & tamdiu perdurent, quamdiu manet humor aut vapor, aut alia quæ eos peperit causa.

Galenus verò eos errare scribit qui morbum stabile malum esse definiebant; contenditque permanentiæ nomen differentiā esse inter morbum longum & breuem, proindeque à definitione penitus subtrahendum. Id quod apertiùs primo de locis affectis testatur: morbos scilicet (vt qui res sint similares) & esse iam & vocari non solum cum facti sunt, sed etiam cum fiunt, id est ablatis causis suis ampliùs subsistere nequeunt: Hactenus Argenterius. Nos contra eundem Galenum eodem 1. de locis affectis verborum suorum, interpretem optimum & fidelissimum adsciscamus, sententiam suam duplici exemplo adstruit: Primum est dysenteriæ quæ verè talis dici debet, cùm primum mordax humor aliquid intestinorum abraserit, quamuis id quod factum est nondum videatur.

1. & 2. Method.

Capite 2.

Alterum exemplum petita ab externis

ſimilitudine, hoc ipſum conformat. Quemadmodum (inquit) Galenus, quò illabentibus guttulis ſaxum excauetur, neceſſarium eſt vt à primis diſpoſitio quæpiam permanẽs in ſubiecto imprimatur, aliàs nulla poſſet afferri ratio, cur ab vltima potius quàm à præcedentibus id opus perficiatur: in morbis quoque dum fiunt eſt in ipſis initijs ſtabile aliquid. Cui morbi appellatio competit, quanquàm id præ tenuitate cadere in ſenſum non poſſit, & ſeparata cauſa protinus euaneſcat, natura videlicet ipſum ſanante.

Ex his Galeni verbis doctrinæ clarioris gratia, rem totam, ſi ita lubet, ad hanc diſtinctionem reuocemus. Morborum alij iam facti, alij adhuc fiunt. Illi proprijſſimè morbi nominantur: hi vel vndequaque à ſuis cauſſis dependent, tumque ſimpliciter morbi nomen ſortiri nequeunt, ſed cum additione fientis aut futuri. Sin aliquid habeant iam facti, huius ratione verè morbi ſunt appellandi, quamuis, ſi quod factum eſt ita exiguum ſit aut leue nullis vt ſenſibus internoſci queat, ne in ἀειπάθιας, hoc eſt perpetui affectus ſuſpicionem incurramus, à potiori facta denominatione, morbi in fieri etiamnum appellatio ſit retinenda.

Hinc facilis eſt ſolutio obiectorum ab Argenterio. Ad rationẽ quidẽ primo loco productam negamus ſimpliciter Nephritidẽ aut Apoplexiam morbos eſſe, ſunt enim verè &

propriè symptomata quæ cùm morbos consequantur, velut vmbra corpus, quid mirũ est si ipsis profligatis illicò sponte sua depereant? Nephritis (inquam) si pro eo dolore capiatur, qui vel à calculo, vel ab alia quauis causa renibus impacta proficiscitur, symptoma est deprauatæ actionis sensus tact⁹: sin propriè vsurpetur pro inflammatione renum aut eorundem (si ita lubet) obstructione, morbus equidẽ est proprijssimè dictus, & propriam subsistentiam obtinet à sua causa independentem. Apoplexiam nemo vnquam morbum appellarit, sed symptoma deperditi motus & sensus, omnisque animalis actionis.

Pro Argenterio nobis fortasse Galenum allegarit quispiam, Apoplexiam inter acutos numerantẽ. Respondemus symptomati quãdoque morbi appellationem tribui, tum maximè cum insigne est, & à quo potissimum vitæ discrimẽ imminet, cuius respectu morbi differẽtia immutatur. Symptomatum enim ratione, leuiores nonnunquam affectus periculosi euadunt & magni; quin etiam longi degenerant in acutos. Itaque cùm ex functionum animalium interceptione repentina mors in cerebri obstructionibus plerũque subsequatur, siquidem Apoplexiam fortem soluere impossibile est, Apoplexia meritò in acutorum album videtur adscribi. Morbos verò aliorum κοινωνίᾳ, siue συμπαθίᾳ exortos, non simpliciter morbos sed cum

5. Aphoris. comm. 30. Galenus 2 Methodi. Capite 2.

2. Aphorism. 24.

adiectione sympaticos siue per consensum vocamus. Morbi quidem rationem subeunt quatenùs efficiunt per se actioni: At morbi dici nequeunt quatenus ab alijs tanquam à causa constituuntur & conseruantur. Verè tum morbi æstimandi cum altiùs defixis radicibus, cœteris etiam sublatis à quibus ortum traxêre, solitarij persistunt. Neque refert quod suæ originis initium ab alijs duxerint, quibus præsentibus aut nulla vi, aut ægrè admodum amouentur, sufficienti sequelæ & dependentiæ indicio: satis istud esse nequit ad eximendam rationem morbi, dummodò seipsis nullo aliorum adminiculo tantillo tempore sustentētur & persistent. Vndè non
1. Methodi Capite 9. iniuria reprehenditur Olympicus à Galeno, quoniam permanentem siue (vt interpretabantur illius assectæ) ægrè solubilem passionem, durabilem vocabat, itavt permanentiam ad durationem temporis referret. Quod sanè non morbi in genere sed longi morbi proprium est perindè ac facilè solubile, breuis; E contrario stabile siue permanens id appellat Galenus, cuius essentia seipsa subsistit, ab efficiente separata, & independens, siue breui tempore, siue diuturno perseueret. Sophistica ergo cauillatione Galeni sententiam ad opinionem proprijs rationibus confutatam aduersarius traduxit. Vltimæ auctoritati ex 1. de locis affectis cumulatè satisfactum est. Distinctione ex ipsis Galeni fontibus eruta. Nimirum morbos &

esse iàm & vocari, non solùm cum facti sunt, sed tum etiam cum fiunt, si modo supponamus eo ipso tempore quo fiunt, aliquid iam facti inueniri, cuius respectu morbi merentur nomen. Argenterij verò interpretationem, tanquàm Galeno contrariã respuimus; Dum per morbos qui fiunt eos solùm intelligit, qui ablatis causis suis consistere nequeunt, & per consequens toti ab ipsis pendẽt velut vmbra à corpore. Habere aliquid possunt facti, & independentis, quod licet depulsa causa statim excludatur & corruat, eius tamen exclusio causæ absentiæ referri non debet accepta, sed naturæ beneficio, ipsum (vt Galenus loquitur) sanantis.

Modò ne quid à nobis desiderari possit, occurramus postremo Argenterij argumento, quo infertur febrem nullam fore præter hecticam si statuamus morbum esse qualitatem factam, quandoquidem in alijs febrium speciebus solidæ cordis partes non calefactæ, sed esse in calefieri dicuntur: Eiusdẽ autem est morbus cuius sanitas, non spirituum non humorum quæ sunt instrumenta, sed ipsarum corporis partium. Hæc ille.

Respondemus nos in cordis substantiam per febres omnes caliditatem induci permanentem, atque independentem, positamque in hac ipsa febris essentiam. Dici tamen cordis substantiam incalescere non calefactam, quoniam ipsius temperies nondum tota in alienam qualitatem degenerauit.

Itavt reliquum ſit aliquid quod fiat, aliquid iam factum ſit: Ab illo tamen quod præpollet atque excellit fit denominatio: vti de dyſenteria diximus, quam fientem cum Galeno nominauimus, quanquã habeat aliquid ratione cuius inter morbos iam factos recenſeri queat. Ad eorum porrò quæ fiunt naturam hunc calorem magis accedere hinc deprehendimus, quod excuſſo humore putrido à quo is excitatur primum, & dehinc conſeruatur atque adaugetur, relicta intemperies naturæ beneficio facilè in moderationem reuocetur, natiuo ſcilicet calore, vt pote in ſubiecto proprio, propriæ formæ adminiculo, & opera ſe ſe in priſtinum ſtatum reſtituente.

1. de diff. febri. c. 1. Confirmamus id Lebetis exemplo à Galeno propoſito, quem cordi comparat, & aquam calidã, in ipſum effuſam humoribus: Quemadmodum enim is reiecta aqua conceptum calorem retinet, ab aqua quæ iam abeſt independentem: Eadem ratione cogitandum eſt, proportione quadam impreſſam ab humoribus in corde qualitatem ſecluſis etiam humoribus ſeipſa ſuſtentari, licet breui tempore inhæreat. Concludet hinc aliquis omnem febrem eſſe hecticam, ſed malè: Quandoquidem neque natiuus cordis calor totus à ſua temperie deficit, neque tantas radices egit intemperies vt iam in habitum tranſierit; Huius ſententiæ auctor fuiſſe videtur Galenus, qui poſtquam docuiſſet excitari

1. de diff. febr. c. 1.

febrem ſpiritibus, humoribus, aut ſubſtantia cordis excalfactis, tum demum ſubijcit: at in genere primo iam læſo non ſiſtit, ſed duo reliqua genera inuadit, ac niſi anteà ſoluatur, progreſſu temporis illa quoque ſimiliter afficit; quaſi ita ſibi velit: ſupponamus verbi gratia, cordis humores calidiores redditos cõmunicabitur neceſſariò calor cordis habitui, non tamen ideò dicetùr febris hectica, niſi cum ſimiliter ac humores ipſi erit affecta ſubſtantia, hoc eſt natiuus ipſius calor totus in febrilem commutatus, quod poſtmodum continget, ſi diutius protrahatur actio. Quomodò verò propria ſit febrium differentia, illa quæ à ſubiecta materia petitur alterius eſt diſquiſitionis: Hæc ad argumenti ab Argenterio poſiti, ſolutionem dicta ſufficiant. Quamobrem diſcuſſa penitùs circa morbi genus omni caligine, ad eas ſpecies accedamus quarũ in Aphoriſmo fit ab Hippocrate cõmemoratio.

Quid ſit longus morbus, quid acutus, & de quo acuto in præſenti ſermo ſit?

QVÆSTIO TERTIA.

VAria ſunt, longoque à ſe inuicẽ diſſita interuallo ea ex quibus primi me-

dicarum artium professores morborum differentias deprompserunt. Alias enim subiectas corporis partes intuiti, morbos in similares, Organicos & communes, tanquam in prima præcipuaque membra sunt partiti: aliàs ab internis externisque causis, aliàs à Symptomatis concomitantibus, aliàs à circunstantijs quibusdam sub diuisionum occasionem sumpserunt, de quibus omnibus hoc loco pertractare, hominis esset literis & otio intemperanter abutentis, dicam de longo solùm & acuto, quantùm præsentis est instituti. De longo quidem nulla erit difficultas, certum enim est apud omnes ex vi nominis eum esse qui longo spatio perseuerat; siue, quod perinde est, tardè finitur: nempe cum ad quadragesimũ quod minimũ est diem; quandoque etiam vlteriùs in menses, in annos prorogetur. Palàm quoque est hanc à sola duratione distinctionem constitui: est enim morbus omnis in qualitatis genere, cuius finitus est motus, finita quoque temporis mensura circumscriptus, ex huius mensuræ diuerso interstitio, breuis & longi distinctio exoritur.

Ad acutum ergo veniamus, in cuius explicatione non mediocriter elaborandum. Qua in parte ita varie implicitus videtur Galenus, vt medicorum scripta in eius explicanda mente cõtrouersijs vndique circumsonent. Quò verò nullis in posterum ambagibus perplexi, rem aliquantò planiùs de-

clarare possimus sententiam nostram breuibus proponere opperæ pretium fuerit, ad quam veluti ad Policleti normam difficultatis omnis solutionem reuocabimus.

In primis si vim Græci nominis spectemus, fatendum erit deesse latinis dictionem simplicem quæ verbi ὀξὺς significationi respondeat.

Hæc enim celeritati, acumini, vehementiæ, aciditati, acerbitati, tribuitur. Quæ si ad propositum referantur, comperiemus significatum illius neque ex Galeni mente, neque ex Grammaticorum sententia sufficientèr per acuti vocē exprimi. Duo enim in præsenti denotat ὀξὺς vehementem scilicet & præcipitem, quorum alterū sub acuto contineri negant verborū interpretes. Id quod fortasse Argenterium præcipitem duxit in errorē cum acuti morbi differentiam ex solo motu petiuit, eum dicens acutum, qui celeritèr mouetur. In quo sanè non mediocritèr est accusandus: etenim cum adeo se curiose gesserit in assignandis singulorum morborū differentijs, ipsum etiam Galenum hoc in opere confusionis & obscuritatis insimularit, consentaneum fuerat, vt mixto affectui mixtam quoque originem præbuisset. Eius nos defectum suppleamus statuentes acutos non tantùm à celeritate motus, quam durationis breuitas consequitur, præcipites appellandos, sed etiam ab actionis & læsionis vehementia, vehementes. Itavt

1. de diebus decretorijs c. 12.

Libro 1. de morbis c. 4

morbi quicunque graues, violenti, difficiles, atque vt verbo dicam magni & periculosi, si vnà sint præcipites, appellationem mereantur acutorum. Id Argenterius ipse cum de natura acuti disputat, sui quasi immemor, fateri cogitur his verbis, morbi qui citò ad finem perueniunt quidam comitem habent magnitudinem, & acuti ob id nominantur vt pleuritis. His ita positis breuiter describi acutus potest morbus, qui vnà magnus est; & præceps. His enim duabus notis à cæteris omnibus discernitur. Nam neque tertianam febrem, simplicem, intermittentem, aut diariam, quanquam exigui sunt temporis, cùm periculo careant, inter acutos affectus numerabimus, non etiam incurabilis hectica, non Phithisis alijque id genus morbi, magni cùm sint & longi ex acutorũ numero esse possunt, sed neque continuæ febres quæ ab initio veluti prohibitæ, tardèque motæ, & nullam intereà subitam mutationem molitæ, ad quadragesimum producuntur, simpliciter acutæ nominantur; Quanquam has non omninò inter diuturnos morbos percenset Galenus, & de acutorum natura aliquid obtinere fatetur: denique non acuti ipsi quos ex decidentia vocamus, ex verè acutorum censu sunt æstimandi; tardè siquidem in progressu moti ad diuturnorũ terminum pertingunt. Quæres quorsũ igitur communiter in acutorum album adscribuntur? hæc adfertur ratio: quoniam verè si initium

Libro de morb. c. 20

Gal. 2. de diebus decretor. capite 12.

Gal. ibidẽ.

ſpectemus, ſunt acuti, verùm cùm intra vigeſimum diem indicentur imperfectè, à natura propria deflectunt, ſuaque confracta vehementia ad quadrageſimum protenduntur, vnde acuti cum adiectione dicuntur: in hoc à præcedentibus diſtincti, quod initio ad vigeſimum circiter diem præcipiti motu cieantur: at præcedentes in ipſis ſtatim primordijs tardo ferantur gradu, quaſi intercepto curſu. Quanquam ſi in eandem vtrique claſſem referantur non admodùm reluctari velim. Talem porrò eſſe acutum qualem definiuimus, norunt Galenicæ doctrinæ ſectatores. Is enim Archigenem commendat, quod acutum dixerit eum, cui motus velox, & ſubitò pericula adueniunt. *Ibidem.*

Idipſum propria confirmat ſententia in Aphoriſmis his verbis, acuti morbi præter id quod celeriter iudicantur, ſtatim etiam magnitudinem habent. Quin etiam alibi acutum morbum à βραχυχρονίῳ penes periculum & magnitudinē ſeiungit. Nam febres diarias cùm ſimul & breues ſint & paruæ & periculis vacuæ, ne ab idiotis quidē acutas vocari aſſerit, proindeq; acutorū à breui, his ipſis diſtinctū eſſe, hoc eſſe paruitate & ſecuritate. Illud ampliùs confirmari poteſt ex eodem loco, vbi negat acutū morbum vllum habere oppoſitum, cui proprium nomen aſſignetur. Quod planè falſum eſſet, ſi penes velocitatem aut magnitudinem ſolummodò à cœteris diſcreparet. At dixerit fortaſſe quiſ- *2 Aphoriſ. comm. 19.* *3. de dieb. decretor. Capite 13.*

piam, quomodò ergò à contradictione vindicandus; cùm citato capite acutum tardo opponat? respondeo tardum quidem acuto contrarium esse sed non adæquatè: habet enim acutus duo extrema quorũ alteri duntaxat puta celeritati, tarditas opponitur, non etiam magnitudini. Instabit vlteriùs, quorsum igitur hæc duo cõiungit Galen⁹ inquiens acutus tardo breuis longo oppositus est, nisi vt significet eodẽ modo opponi tardo acutum, quo longo breuem? respondeo Galeni fuisse mentẽ docere tardum, breui non esse contrarium, quanquam cum longo (cui breue opponitur) sit confusũ: omnis enim diuturnus morbus necessariò tardus est, at qui tardus est? non idem necessariò longus: compatitur enim cum breuitate tarditas. Sic ergò infert Galenus, tardũ quidem acuto opponitur, si quidem consistere cum ipso nequit, & breue longo, non autem tardo. Respondere etiam liceret hæc ideò simul coniuncta esse quod in hoc cõueniant, vt quemadmodum cum longitudine breuitas, ita cum tarditate acuties inueniri nequit: nec opus esse vt cætera inueniantur æqualia. Eadem ratione Argenterij satisfaciamus argumento, qui (vt Galenum varietatis conuincat in assignanda acuti differentia) obijcit primò ad Glauconem acutam febrem longæ opponi. *1. prognost comm. 25.* Quod in prognosticis quoque confirmatur hunc in modũ, acuti sunt qui decimo quarto terminantur die, quibus diuturni opponuntur:

nuntur: vndè inferre vult Argenterius ex contrariorum natura non patere latiùs acutum, quàm breuē. Quod tamen falſum eſt: ſiquidem præter breuitatem, ratione cuius à longo ſecernitur acutus, habet etiam magnitudinem. Cumque ex duplici reſpectu conflata ſit acuti morbi eſſentia, nullumque detur ipſi contrariū quod dictione ſimplici efferatur, meritò nunc ab vno, ratione huius, modò ab altero, ratione alterius ſeparatur: Atque hæc in contrarijs aſſignandis varietas mixtam ipſius naturam oſtendit. Malè ergo concludit Argenterius Galenum acutū cum breui confundere quòd ipſum longo opponat. Si cui ex Argenterij ſectatoribus facere ſatis non videbitur hæc ſolutio, dicemus optimè Galenum acutam febrem ei oppoſuiſſe, quæ magna ſimul eſt, & longa, vt intelligeretur in quo inuicem differant.

Hoc ipſi fuiſſe propoſitum excitato prognoſtico colligere eſt, vbi verè acutos cum ijs conferens qui tales ſunt ex decidentia, verè acutis longos opponit, palam facturus penes diuturnitatem acutos ex decidentia qui ad longorum terminum accedunt, ab exactè & non exactè vocatis acutis ſeparari.

Neque etiam coarguandus erroris eſt idem Galenus, dum quandoque acutos morbos vocat qui veloci feruntur motu breuique ſpatio perdurant. Modò eos qui cum magnitudine quadam affligunt: & modò huius cōditionis, modò alterius obliuiſcitur. Non

ipsi propositum est, naturam adæquatam acutorum morborum vbique explicare, sed pro subiectæ materiæ necessitate penes alterutrum distinctionem tradit.

At discriptionem allegatam reiecerit aliquis, vt poté mancam & imperfectã, quod febris nulla facta sit mentio, quam tamen ab acutis morbis inseparabilem prodit Galenus.

1. Aphoris. comm. 7. Difficilis equidem videtur hic locus maximè cùm alios habeat é diametro repugnantes. Comment. 19. Secundo enim Aphorismorum restrictione vtitur, dum ait non semper acutis morbis febres assistere, sed vt plurimum, rarumque esse quin ita fiat. Comment. 31. Quinto etiam Aphorismorũ acutos morbos absq; febre inueniri probat exemplo, Apoplexiæ, Epilepsiæ, conuulsionis Commẽt. 1 distentionis. Et septimo Aphorismorum acutos morbos ex Hippocratis mente eos vocat quorum maxima ex parte febres sunt 1 prognost. t. 25. & ibidem Galenus. continuæ. Ita Hippocrates ipse in prognosticis, spirandi facilitatem magnam vim habere dicit ad salutem in omni acuto morbo qui cum febre infestat. Adiecit enim, qui cum febre infestat (inquit Galenus) vt eam à conuulsione, & tetano, & cholera disiungeret, & quibuscunque alijs morbis qui sine febre sunt acuti.

Commodam ista ex Galeno ipso recipiunt interpretationem: commentario quidem 31. quinti Aphorismorum fidelissimus interpres, vt lethale probet mulierem grauidam acuto

morbo corripi, necesse est (inquit) si is cum febre sit coniunctus hanc ipsam esse continuam: hoc est nulla febris cum acutis morbis complicatur nisi sit continua. Hac eadem ratione (nisi oculatissimum virum memoria turpiter lapsum eodem in opere fateamur) intelligendus est commentarius septimus primi Aphorismorum, & dicendum febres ab acutis morbis esse inseparabiles; Id est quæcunque cum acutis reperiuntur febres, non ante separari & desinere, quam ipsos morbos quibuscum reperiuntur: nulla enim cum acutis complicatur febris, nisi sit continua.

Quamobrem errore non vacat Leonicenus qui illa ex 7. Aphorismorum comm. 1. citata Galeni verba aliò videtur detorquere, nam febres acutorum morborum vertit maxima ex parte esse continuas, quasi verò aliqua ex parte non sint continuæ, cum in Græco legatur θοῦπίπαν hoc est omninò sunt continuæ.

Sed grauiter coarguendus Argenterius, dum Galeno dictum ignoranter exprobrat, nullum dari acutum cui febris non annectatur.

Quid verò ad Mercurialem dicemus qui eiusdem opinionis auctorem facit Hippocratem? Allegat in primis hanc ex Epidemijs sententiam, sunt autem acutissimi, maximi, grauissimi, morbi ac præ cæteris omnibus lethales in continua febre. Citat & illud ex

Tract. de febribus. Capite 4.

1. Epid. 3. t. 3.
1. acut. t. 8.

acutorum 1. ſunt igitur acuti morbi quos priſci nominatim perſtrinxerunt, Pleuritis, Peripneumonia, Phrenitis, Letharg⁹, Cauſus, & quicunque alij hos conſequuntur morbi, quorum febres prorſus continuæ interficiũt. Quaſi nulli dentur acuti ſine continua febre. Miror equidem acuratum virum, & fidelem ac ſtudioſum Hippocratis interpretem, in re non admodum, quantum iudico, ardua ſic grauiter impegiſſe.

Quid enim aliud ſibi vult in Epidemijs Hippocrates quam acutiſſimos tum dici morbos cum febrem continuam adiunctam habent? vel potius (vt interpretatur Galenus) continuas febres breui tempore indicationem ſubire, validiſſimas eſſe & pericuſoſas ac lethales? Liberum proinde relinquere videtur, vt de ſolis ſynochis hic locus exponatur, quaſi cæteræ continuæ neque ita periculoſæ ſint, aut vehementes, aut acutæ.

Ex textu octauo primi acutorum ritè infertur enumeratos morbos eſſe ex acutorum cenſu, & cum febre continua, non autem acutos omnes cum febre eſſe continua. Perperam itaque producta exempla trahit in conſequentiam Mercurialis, & ex particulari vniuerſale colligit documentum. Maximè cùm Hippocratem paulò antè audierimus in prognoſticis reclamantem.

At nouus hic labor; nondum omni ex parte Galenũ à contradictione vindicauimus.

Is morbum attonitum & comitialem diuturnos vocat, quos iam iam ab ipso in acutorum censum referri accepimus. *6. Aphor. comm. 47.*

Respondemus longũ quandoque affectum dici Apoplexiam in Galeni doctrina, quandoque acutum, aliàs peracutum, aliàs acutissimum & meritò, quanquam diuerso respectu. Longus est affectus, si intermissionem spectemus, vel tempus illud vniuersum in quo dispositiones producuntur, quod sanè Apoplexiæ principium appellari nihil vetat. Acutus est plus minusue, si ipsam accessionẽ consideremus. Nam si prohibeatur respiratio acutissimum censet Galenus. Sin ipsa seruetur quidem, at magna cum violentia procedat, vehementem. Vehemens quoque sed minus illa Apoplexia æstimanda, quæ neque contentam, neque violentam, inæqualem tamen inordinatam ac intermittentem respirationem efficit. Idem de Epilepsia censeri debet cuius acutissima quandoque accessio breui tempore conficit hominem, pene dixerim momento. Intermissio tamen vt plurimum in septimanas, nonnunquam in menses, vnde lunaticus vocatur morbus, nonnũquam etiam in longos annos perseuerat, praua in cerebro dispositione remanẽte. Hoc modo consideratur sexto Aphorismorũ vbi de ijs dumtaxat sermonem institui profitetur Galenus, qui adhuc in sanitatis terminis constituti, non multò post in ægritudinem sunt lapsuri. *2. Aphor. comm. 42.* *Comment. 47.*

Repetant hic interim memoria iuniores, priſcis ſæculis indita fuiſſe morbis quibuſdam ſymptomatum nomina,ne fortè mirentur nos aut Epilepſiam, autconuulſionem, aut Apoplexiã morbos nominare. Ex dictis manifeſta eſſe poteſt, ad tertium quæſitum ſolutio: de ijs nimirum acutis maximè audiendum Aphoriſmũ, qui chronicis affectibus in duratione æquiparantur: huiuſmodi ſunt illi ex decidentia vocati de quibus ita in prognoſticis. Spirandi facilitas magnam vim habet ad ſalutem in omni acuto morbo qui cum febre infeſtat, & quadrageſimo die iudicatur. Hæc ſolutio per ſe patet. Nam ſi in diuturnis diætam tenuem propter longitudinem temporis vires non ferunt, profectò cùm horum acutorum par ſit ratio par quoque eſſe debet illatio.

1. prognoſt 25.

Addidimus(maximè) propter alteram interpretationem à nobis in commento propoſitam, quâ tenuem exquiſito coniunximus; Itavt eundem efficeret ſenſum ac exquiſitè tenuem, hic enim ijs ſolùm conuenit acutis quos exquiſitos vocant, non autem acutis non exactè; quorum finis eſt vigeſimus: ſed hi longè minùs quam priores ex decidentia vocati ab eiuſmodi exquiſita viuendi præſcriptione offenduntur.

Quæres nunquid ſub hac particula (in quibus non conuenit) includi poſſint peracuti? poſſunt ſanè ſed contraria diuturnis ratione; nimirum quod tenuiorem, quàm

acuti ipsi victus regulam exigant. Quanquam de peracutis hoc loco pertractare summi dictatoris mentē non fuisse arbitror, his enim septimus est dicatus Aphorismus. Ita sensit Galenus, si codicibus Græcis, & Leoniceno credimus potius, quàm Plantio, qui obmissa negatiua particula, ita Galeni verba exposuit, *quod igitur in mentione morborum acutorum addidit non conueniat, id propter morbos peracutos factum est.* Cùm legendum fuisset, haud quaquam id propter morbos peracutos factum est. Non enim ignorauit Galenus, morbis ex decidētia acutis, talem victum non competere; atque ex consequenti clausulam illam ipsis potius applicari debere quàm peracutis, maximè cum acutorum fiat mentio, non peracutorum, nam in textu habetur in acutis in quibus non conuenit, non autem in peracutis. Hactenus de morbis, de tenui victu nunc agendum est.

A quo indicetur victus tenuis?

QVÆSTIO QVARTA

Paulum Æmilium, qui Macedonum Regem in Romanorum potestatem adegit, dicere solitum, memoriæ proditum est, eodem genio, pari industria, in conuiuio ac in exercitu disponendo versandum esse. *Plutarch° in eius vita & 1. sympto. q. 2.*

Quod quidem non parum à veritate alienũ, penè dixerim ridiculum videri possèt, nisi ab eo diceretur. Quo (vt Poëtæ verbis vtar).

Homerus Iliad. β.

> οὔπως τις ὁμοῖος ἐπιχθονίων γένετ᾽ ἀνὴρ,
> Κοσμῆσαι ἵππους τε, καὶ ἀνέρας ἀσπιδιώτας.

> *Nondum præstantior alter*
> *Scutigerosque equitesque viros componere in arma.*

Et sanè si in instruendis epulis requiri prudentiam ita singularem putamus, quantò maiorem in ægrorum victu exposcemus? Ad illas vocantur vt plurimum aut familiares, aut saltem noti, quorum vnicuique pro ætatis & dignitatis ratione, proprium & conuenientem locum decernere, non magni operis videtur, siquid hac in parte delinquitur, est eiusmodi, vt tolerari nullo detrimẽto, aut excusari possit. Nos (etsi plurimum interest, peculiarem cuiusque naturam internosse) frequenter accersimus ad extraneos & ignotos, qui (vt diuersus est animus, & sua cuique studia) variam ac planè diuersam vitæ normam expostulant, in qua leuis quandoque admissus error, cedit in perniciem & ruinam.

Galenus. Capite 1. 1. ad Glauconem.

Propriam certè & peculiarem singulorum constitutionem & temperiem, æqua lance ponderare, ita difficile est, vt certò definiri nullis præceptionibus, solo vsu & familiari consuetudine possit exactè comprehendi;

Naturæ cuiuſque proprietas ineffabilis eſt, nec exactiſſima ſcientia comprehenſibilis: ſunt præter hæc adiuncta alia penes rationem victus ferè innumera quæ difficultatem non mediocriter adaugent. Optimus itaque cuiuſlibet particularis ægritudinis Medicus, qui ſibi methodum quandam comparauit, ex qua & dignoſcere naturas poſſit, & coniectura conſequi, quæ propria cuiuſque vitæ ratio, quæ propria ſint remedia. Nam exiſtimare communem quandam eſſe omnium hominum curationem quemadmodum inter antiquos Methodici ſtupidiſſimi, inter Neotericos Empirici imprudentiſſimi diſputant, extremæ dementiæ eſt. Diuerſæ ergo viuendi regulæ meritò à maioribus noſtris conſtitutæ, facilioris doctrinæ cauſa, ad tria capita à Galeno noſtro reuocatæ. Quantitatem ſcilicet, qualitatem & vtendi modum, de quibus ſigillatim cum Hippocrate ſuo loco diſcurremus, ſumpto à quantitate exordio de qua in præſenti Aphoriſmo vbi, *A quo indicetur victus tenuis perſcrutandum.* Arduũ id equidem, non enim ex Hippocratis ſententia certi quicquam haberi poteſt. Et Galenus ipſe tenebris offudiſſe videtur negotium potius, quàm ſuis commentationibus illuſtraſſe. Euitendum ergò eſt vt ex conſtitutis ab ipſomet principijs, quid ſentiendũ ſit noſtro marte eliciamus. Vtriuſque ſanè varietas huius difficultatis parens: in primis hoc Aphoriſmo ab acuto morbo indicatio-

Galenus 3. methodi. Capite 7.

1. Aphoriſ. mor. comment. 19.

nem hanc ſumere videtur Hippocrates. Si enim peculiari acutorum morborum differentiæ conuenit victus exactè tenuis, vndè illius indicationem meliùs atque expeditiùs hauriemus, quam à tali ſpecie cui debet applicari? infertur idipſum ex his commentarij verbis, victus porrò tenuitatis finis eſſe debet virium imminutio: quo poſito, ſic argumentari licet; vel à virtute indicatur victus, vel à morbo; Non à virtute, ſui quippe conſeruationẽ ipſa indicat, ergo à morbo.

3. Methodi cap. 8. Galenus quidem atque adeò Medici omnes: quin & ipſa quoque ratio, principem in genere cuiuſcunque diætæ finem, viriũ conſeruationẽ eſſe volunt, non enim alia mente nutrimur quàm vt conſeruentur & refocillentur vires: Quippe quæ ſecundum naturam ſunt [inquit] ſimilium ſibi indicatiua ſunt, quæ præter naturã contrariorũ, ſi modo illa ſeruari, hæc ſummoueri neceſſe eſt. Quanam ergo ratione tenuis victus, cuius ſcopus eſt virium diminutio, ad ipſas referretur? Septimo poſtmodũ Aphoriſmo & 10. vult Hippocrates, ad hanc indicationẽ non morbi dumtaxat ſpeciem, ſed etiam tempora concurrere, imo vim potiſſimum temporibus tribuit. Quam ob cauſam 8. 9. & 11. Aphoriſmis temporum ſolummodò mentionem facit.

Quoniam verò conſiderationem virium, in conſtituendo victu excludit, penitùſque negligi non poſſe animaduertit, idcircò in-

dicationem omnem ad duo tandem capita reuocauit, morbi nempe tempora & vires. Morbi speciẽ sub temporibus comprehendens, quandoquidẽ ex diuerso temporum occursu acuti morbi differentiæ emanant. Nam quò celeriùs irrepit status, eò dicitur acutior: quò tardiùs, eò longiùs recedit à natura acutorum. Id non modo luculenter sonat Hippocraticorum verborum contextus, sed & à Galeno quoque ita passim disertissimè explicatur. Hæc igitur (inquit in fine Aphorismi octaui) vna tibi sit ad victus, formam sumpta ex temporibus indicatio, altera ab ægrotantis viribus. Tum commentario nono idem repetens ait: cum superiore Aphorismo, tantum de victu extremè tenui remittendũ iussisset, quantò morbus esset vigore suo remissior, nunc alteram hoc loco addit indicationem, ab ægrotantis viribus petitam, quarum gratia alere licet, neque morbi ipsius causa. His consonat vndecimus commentarius, qui sic incipit: vniuersam præscribendi victus formam in vnoquoque morbo ex duabus indicationibus ineundam præcepit: morbi scilicet totius, futuro vigore, & facultate patientis.

Quanquàm verò hæc summorum absque controuersia Medicorum auctoritate, firma & constituta videtur opinio, veritati parum consentanea est, & Medicinæ principijs aduersatur. Enimuerò si tantisper memoria re-

colamus ea quæ à Galeno multis in locis prodita, à nobis anteà ſuppoſita, genuinam indicationum vim & naturam exprimunt; offerent illicò ſe ſe mille anguſtiæ, in quas neceſſariò reducetur quiſquis pedibus in eam ſententiam feretur.

1. 2. & 3. Methodi Dictum in primis indicationes ex ipſa rei natura fluere & dimanare; hinc illud conſecutione deductum, vnum ab vno indicari, quandoquidem ſua eſt cuique peculiaris natura, per quam à cœteris diſtinguitur: tertium his addimus, vt à morbo curationis, ſic à viribus conſeruationis intentionē depromi. Ex quo ſequitur indubitatè, neque à morbo alimenta, neque à viribus auxilia demonſtrari. Quo argumento facultatis robur à Phlebotomiæ indicatione ſecluſimus. Curationem porrò mutationem eſſe Galeni teſtimonio comprobauimus, at mutatio fit à contrarijs, contraria itaque morbo ſint remedia, quibus ipſe profligatur, neceſſe eſt. E diuerſo conſeruatio fit à ſimili, quam ob cauſam blanda & familiari alimonia recreantur & reficiuntur vires. Amica alimonia fouetur & refocillatur laudabilis corporis ſtatus. Iam ſi à viribus remedia non petimus, neque ad ijſdem remediorum formam & differentiam ſumemus.

Non enim extra propriū genus excurrere & diuagari licet. Et vice verſa ſi ex affectu præter naturam contraria præſidia venamur, conſonum omnino eſt, vt ex illius differen-

tijs horum in genere differentias omnes æstimemus. Hæc indissolubili nexu inter se cohærent singula, Hæc illa cathena Platonica, quam amplexu mutuo sic arctè componunt annulli vt vnico diuulso pereat admirabilis illa connexio, tanquam scopæ dissolutæ. Etenim quocunque ex his principijs euerso, cœtera non substituunt, res probatione non indiget, patet per se satis non oscitantèr contemplanti. Verum posita axiomata penitus destruit quisquis ab acuto morbo tenuem victum indicari asserit. Primum enim falsum fuerit contraria semper à morbo indicari. Secundum, falsum & illud à solis viribus victum decerni. Tertium, ex virium differētia, victus differentiā constitui. Quartum si vnà à morbo indicentur victus & remedia contraria, & à viribus sola victus ratio, sequetur duo ab vno, & vnum à duobus indicari. Denique duplicem esse vnius rei simplicis naturam, aut sanè à natura rei indicationem non proficisci. Procedit idem argumentum, siue sola morbi tempora, siue hæc ipsa vna cum viribus, tenuis aut tenuissimi victus indicans esse fateamur.

Dices, quidni ab acuto morbo duplex insurgat scopus, si quidem duplex inuenitur respectus; alter quatenus est morbus, alter quatenus acutus? priori itaque satisfaciunt remedia: posteriori victus forma: hoc est acuto morbo, quatenus est morbus, conueniunt remedia: quatenus acutus, tenuis diæta. Equi-

dem lubens & volens concedo duplicem ex acuto morbo prodire intentionem, verùm ad idem genus vtraque ſpectare debet, cùm enim ſub morbi genere acuti collocentur æque ac longi, ſuiſque differentijs in proprias ſpecies diſcreti ad idem genus perpetuò referantur, debent ſanè ſpecificæ indicationes, non minùs quàm ipſæ morborum ſpecies ſub eodem genere contineri, non autem tranſcendere in diuerſum. Malè ergo à morbo in genere remedia indicari dicemus, à tali morbo victum, qui alterius eſt ordinis quam remedia. At concluſeris cathegoricè ſi ita ex natura rei colliges: à morbo, tanquam naturæ contrario, ſurgit indicatio contrarij admouendi, quoniam verò acutus eſt, id eſt celer & violentus, magno atque expedito remedio vtendum, quo pari contentione aduerſarius impetus retundatur.

Noſtra ergo ſententia eſt victus quantitatem, neque à morbo, neque à morbi temporibus, ſed à ſola virium quantitate definiri: primam & ſecundã partem luculenter probauimus, ſupereſt tertiam explicemus.

Ad cuius faciliorem intelligentiam, notandum ex Galeno triplicem victus formam penes quantitatem conſtitui; primam appellat plenam, alteram moderatam, tertiam tenuem, Quarum vnaquæque (at præcipuè ambæ extremæ) apud Medicos, quamplurimas ſortiuntur pro maioris & minoris ratione differentias. Hoc modo tenuis (de qua ſer-

mo est) quatuor species enumerantur, quæ totidem acuti morbi speciebus applicantur, de quibus in commentario sufficienter egimus. Plena porrò ea est, quæ copiosis fit, aut abundè nutrientibus, alimentis, adaugendi roboris gratia, proindéque vix vnquam nisi sanis corporibus accômoda. Rarò quippè ægrotantiũ vires, maiores quam inuenerimus reddere studemus. Huic tenuis opposita, pauca requirit, aut parum nutrientia alimenta; Vndè necessariò consequitur virtutis imminutio : quapropter neque bellè constitutis, corporibus, neque etiam diuturna ægritudine affectis, tutò ac vtiliter imperatur, in quibus nimirum vel amplificandũ, vel saltem studiosè conseruandum facultatis robur. Solis acutis competit, in quibus nihil interest si tantillo tempore modicè imminuantur vires, modo ne exoluantur. Medium quodammodò tenet moderata forma, prosperaque & aduersa valetudine secura est, ac eo in statu perutilis, in quo seruandarum virium quales initio fuerunt, offertur intentio, id quod in acutis sperare nec possumus, nec debemus? ingruit enim ex plusculo cibo accrescendæ φλεγμασίας metus. Ex hac distinctione haud obscurè patet, falsam esse eam diuisionem; quæ à Fuchsio in huius Aphorismi cõmentario assignatur: dum ægrorum victum in genere solummodò quadripartitum facit; Tenuem scilicet exactè, tenuem simpliciter; Tenuis-

ſimum exactè; Tenuiſſimum ſimpliciter? Eſt enim præter has alia differentia ex decidentia acutis, & chronicis affectibus, ipſo Hippocratis calculo tribuenda, qua quidem negata non video qua ratione Aphoriſticam ſententiam commodè explicemus. Nunc ad rem. Pleniorem victum à viribus indicari, citra omnem controuerſiam eſt, ſi quidem is tendit ad facultatis incrementum, & benè habitus, corporibus, aut ſolis, aut potiſſimũ conuenit: vndè meritò noſter Æſculapius indicatione ſumpta ab innati caloris vbertate adoleſcentes largiore cibo refici iubet, ac hyeme & vere vberiores dapes ingeri. Moderatum æquè ad pleniorẽ ſub viribus comprehendi non eſt difficilè perſuadere ijs qui ratione cõmouentur. Primum quidem ſi cõſeruationis indicatio ab ijs quæ naturalia ſunt promitur, à morbo qui exſtirpari poſtulat non petetur.

Prætereà cùm à ſimili fiat conſeruatio, abſurdum eſt à morbo, cui contraria debentur, ſimilium indicatione ſumere, Denique cùm non minùs ſanis quàm iacentibus congruat, non eſt minor ratio, cur à morbo potiùs, quàm à viribus demonſtretur, imò deerit in ſanis indicans, ſi. ab vtroque velit quiſpiam indicari, habebit oppoſitum initio contortorum iaculorum aciem. Supereſt difficultas de tenui, quæ aliquantò magis ardua eſt, vti hactenus videri potuit: quanquam nodum omnem facili (vt ſpero) negotio tùm ex dictis,

ex dictis, tùm ex dicendis extricabimus. Negandum illud non est ad hanc indicationem duo concurrere, morbum scilicet & virtutem: hanc, tanquam verum indicans. Illum vt indicationem limitans, siue vno verbo vt contraindicans. Morbus enim vetat quantum in se est ne cibi exhibeantur, quoniam ab ingestis, ni debitus seruetur modus, augentur vt plurimum febres, & inflammationes, quæ acutos morbos comitari solent, ad hæc à morbificæ causæ concoctione auocatur natura. At premit alia ex parte sustentandi roboris summa necessitas, cui primæ deferendæ, altero non neglecto. Omnimodam certè inediam, quatuordecim diebus ferre nequeunt illæsæ vires, tantùm ergò concedemus alimenti, quantùm dissolutioni impediendæ, non imminutioni prohibendæ satis esse possit, ita tamen vt affectũ non irritemus. Quoniam ergò maius ex incremento morbi quàm ex mediocri virtutis lapsu periculum imminet, quando & adauctus morbus validiori nixu quàm anteà facultatem adoritur, & in extremã perniciem rapit, indè fit vt quam virtus suggerit indicationem tantisper moderemur, dum fracta intestini hostis violentia, procul omni timore depulso, quantùm per hanc ipsam licebit offeratur.

Dicet quispiam longè diuturniorem inẽdiam quamplurimos etiamnùm sanos pertulisse, illæsis viribus, cùm omnia vitæ mu-

nia integrè obirent, ad quæ pleniorē victum desideramus. Quidni ergò eandem perferet qui acuto morbo premitur, cùm longè paucioribus indigeat, quàm ij qui sanitate perfruuntur? Respondeo veri similius esse in sanis quibusdam frigidiori temperamēto præditis, à diuturniore inedia vires non conuelli, quàm in passionibus acutis. Obstat morbi impetus, obstat quæ à febre continua exoritur siccitas, & dissolutio, quò minùs tantam inediam patiantur, quin tandem omnimoda natiui caloris extinctio consequatur. Nam si verè à Galeno scriptum est, ex importunè denegato semel potu, accensas in humoribus febres, ipsam substantiam aggredi, & in Hecticas commutari. Quantò magis consentaneum est ardore febrili vementer concitato, longiore inedia calorem acuente, radicale humidum funditus exhauriri? His ita declaratis retunduntur initio in contrarium spicula.

Primum quidem ex Hippocratis auctoritatibus confici nullo modo potest diætam per se vel à morbo, vel à morbi temporibus indicari. Docuit is solummodò quibusnam in affectibus, & quo morbi tēpore distinctæ victus tenuis species competant. Ex quo probè quidem infertur decerni illas ratione morbi, non vt ab ipso propriè indicatas, sed quoniam is prohibet ne maiorem operam in conseruatione virium collocemus. Vt enim

abiecta penitus virtute morbus acutus superari nequit, sic neque vim insultumque assiduum adaucti præ ingestorum copia morbi, ac vehementiùs in dies efferati, vsquàm nisi ægrè admodũ virtus perferet, Eodẽ modo intelligenda sunt ea quæ ex Galeno protulimus, nempè cùm à morbo aut morbi temporibus, tum à virtute hanc victus intentionem oriri; A morbo morbique temporibus tanquàm prohibente. A virtute tanquam vero & germano indicante. Hanc solutionem propria ipsemet interpretatione confirmauit. Dum enim lib. de cur. ratione per sang. missionem cap. 9. virtutem inter Phlebotomiæ indicantia percensuisset. Postmodum capite 13. quid indicantis nomine intelligendum putaret exponens inquit magnitudinem morbi, & virium robur primarios esse mittendi sanguinis scopos, illud veluti quæ faciẽda sunt indicãs: Hoc tanquàm haud prohibens, quod contraindicare iuniorũ quidam vocant. Ecce vt apud Galenum indicantis nomen pro cõtraindicante vsurpatur. Quanquam reuerà fatendum est, impropriam esse, ac aliquantò obscuriorem hanc loquendi rationem; Excusationem, nihilominùs meretur Galenus, quod recepto veteribus more sit loquutus, ac prætereà mentem suam, ne qua subesset dubitandi occasio, manifesta oratione declararit.

Quando verò inquit idem Galenus tenuitatis victus finem esse viriũ imminutionẽ; Per

finem non intelligit finalem causam sed terminum: Qua ratione mortem vitæ finem, siue vltimam rerum lineam dicimus. Hæc porrò citata ab aduersarijs Galeni verba (*tenuitatis victus finis esse debet imminutio virium, harum siquidem tuendarum gratia alimus ægrotantes*) hinc sensum si ritè contẽplabimur nobis efficient: A tenui quidem victu imminuuntur vires, quoniam is integrè reparando effluxui par esse nequit, at videndum tamen ne prorsus infringantur. Huius ergò victus terminus esto imminutio roboris, non extinctio, siquidem primarius nutritionis finis est vt viuamus. Quæres qui fieri possit vt eum victum indicet virtus, à quo debilitatur? Istud enodari postulat ne quis ex obiectis rationibus scrupulus relinquatur.

Dico ergò huiusmodi vitæ genus à virtute indicari quatenus impedit saltem ne vi morbi labefactata ipsa prorsus concidat. Itavt primaria victus intentio eò perpetuò referatur, nempè vt sustineantur vires, aut integræ; aut (si aliter commodè præstare non licet) aliquantum imminutæ. Hoc est (vt verbo dicam) rationem victus illam admittit virtus, sub qua profligando aduersario superior, & substantia propria etiamnum valida, at imminuta subsistit. Hæc mens Galeni fuit: Huc tendunt illa commentarij verba rarò in ægrotantibus accidit, vt vires quam acceperimus maiores redda-

mus, sed ferè semper in id incumbimus, vt in longis quidem morbis easdem retineamus, in acutis modicè debilitatas conseruemus.

Dico secundo à virtute victum adaugentem, aut saltem conseruantem perpetuò indicari: Verum hanc indicationem limitari à morbo, morbique restrictionem veræ indicationi in acutis præpollere. Quamobrem rata sit ac firma cōclusio non modo alimenta, sed & quancūque alimentorum quantitatē propriè à solis viribus indicari. Et hæc circa præsentem Aphorismum satis.

* *
*



Εν τῇσι λεπτῇσι διαίτῃσιν ἁμαρτάνουσιν οἱ νοσέοντες, διὸ μᾶλλον βλάπτονται. πᾶν γὰρ τὸ ἁμάρτημα ὁ ἂν γίνηται, μέγαν γίνεται μᾶλλον ἐν τῇσι, λεπτῇσι, ἢ ἐν τῇσιν ὀλίγον ἀνδροτέρησι διαίτησι. Διὰ τοῦτο καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσι σφαλεραὶ αἱ πάνυ λεπταὶ καὶ καθεστηκυῖαι καὶ ἀκριβέες δίαιται, ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσι. διὰ τοῦτο οὖν αἱ λεπταὶ, καὶ ἀκριβέες δίαιται σφαλεραὶ ἐς τὰ πλεῖστα τῶν ομικρὸν ανδροτέρων.

In tenui victu peccāt ægroti, idcircò magis offenduntur; Omne enim quodcunque tandem sit peccatum, maius est in tenui, quàm paulò pleniore diæta. Quapropter sanis quoque difficilis est valdè tenuis & constituta & exacta viuendi ratio, quoniam peccata grauiùs ferunt. Propter hoc igi-

tur, tenuis accuratusque victus vt plurimum periculosior est paulò pleniore.

Commentarius.

HVnc Aphorismum non vno legunt omnes, nec vno enarrant modo. Communis hæc lectio est quam proposuimus: Alteram profert Galenus in commentario his verbis in tenui victu bifariã magna ex parte delinqunt ægri. In qua expositione expungendam dictionem bifariam ex probatorum exemplarium fide putat Fuchsius. Sed reuerà interpretationi Galenicæ magìs consonat vt admittatur. Præterquamquod enim bis hæc ipsa repetitur, bipartitæ quoque distinctioni respondent bipartita expositionis membra. Cum ait eos qui tenuiter alũtur clàm inscijs Medicis cogi cibum capere; aut sane debilitatos propter superiorem cibi indigentiam delinquere. Quasi idipsum velit quod in acutis legitur, inanitis scilicet primis diebus vasis, posterioribus pleniorem victum instituendum 2. acut. t. 40.

esse ijs, quibus tenuior propter vigorē instantem cōueniret, denique si vocem hanc obliteremus in idem coincident ambæ lectiones, hoc solùm discrimine quo in altera habeatur simpliciter delinquere ægrotantes in tenui victu: in altera delinquere vt plurimum. Neque valebit Galeni ratio inquientis priorem lectionem posteriori præferendam, vt quæ generalior cùm sit hanc quoque complectatur, & de omni peccato doceat. Hæc enim dictio [τὰ πολλὰ hoc est vt plurimum] priori lectioni adiecta ipsam ad peculiares errores non restringit. *Hæc quoad Hippocratis verba.*

Quo ad mentem attinet, relictis aliorum interpretum figmentis, (de quibus paulò post in controuersijs) nostra sententia est, Medicorum principem docere victum tenuem paulò pleniore magis periculosum esse, non quidem simpliciter, sed errorum ratione. Difficilius enim qui tenuem diætam sustinent quoscunque errores ferunt, siue in alimentis obtingant, siue in animi pathematis, siue in aëre, seu quocunque alio tandem modo. Idenim sonat hæc clausula πᾶν τὸ ἁμάρτημα

ὃ ἂν γίνηται. Quod ita vertimus, omne quodcunque tandem sit peccatū, nullo penitus excluso. Id satis apertè declaratur sanorum exemplo, quibus reuerà difficiliùs est externorum quorumque vim & iniuriam perpeti dum tenuem, statam atque exquisitam viuendi formam deligunt. Neque aliæ interpretationes sanis conuenienter accommodari possunt. At quid opus est in re aperta laborare? Galeni breuitas in commentario, quanquam tacitè, at euidenter ostendit, non tantis implicitum esse hunc Aphorismum ambagibus, quantis à commentatoribus inuoluitur, neque aliter accipiēda esse verba; quàm provt sonant: Et Hippocrates ipse rem totam in compendium reuocans, propter hoc (inquit de erroribus locutus) tenuis accuratusque victus vt plurimum periculosior est paulò pleniore, alterum alteri manifestè comparans modo explicato. Addita tamen illa particula [ἐς τὰ πλεῖστα vt plurimū] quo indicet non simpliciter quocūque in morbo grauioribus periculis obnoxium tenuem victum [in quibusdam enim grauiori damno paulò plenior adhibetur] sed quoniam rarò euenit,

Libro de arte. non tamen neceſſariò, quin aliqua in parte aberretur [ægri namque inquit Hippocrates, pleni morbo, cibiſque vacui, ea quæ morbo grata ſunt, quã quæ ad ſanitatem faciunt aſſumere malunt, quibus aſſentiuntur & applaudant qui ſubſeruiunt] indè ſequitur grauiorem eſſe vt in plurimum illam victus normam quæ ab erroribus grauiùs offenditur. Huius porrò offenſionis duplicẽ cauſam recenſet Galenus, nempe debilitatem virium, quæ diætam tenuem conſequitur [eius quippe finis eſt virium imminutio] Et ſubitam ab aſſueta in inſolitam illam mutationem. Hippocr. 2. acut. Quandoquidem pleniore victu nutrimur dum valemus. Tanta autem vis eſt conſuetudinis, vt vitioſam vitæ regulam quæ nunquam variat, longe tutius ſit obſeruare, quàm ſubitò vel ad meliorem tranſire.

Quæſtionum ſeries & ratio.

PLeriſque omnibus admodum difficilis atque intricatus videtur hic Aphoriſmus, mihi ex ſe ſe facilis admodum, ſed confuſa & parùm conſentanea multorum interpretatione non parùm inuolutus, quemadmo-

dum ex subsequentium quæstionum resolutione apparebit; quas ternario numero concinnauimus, omnes ad genuinam Aphorismi intelligentiam directè conspirantes.

Docet Prima quispiam sit genuinus verborum Hippocratis sensus in hoc Aphorismo.

Altera, quodnam ex Aphorismi verbis eliciamus ad praxim documentum.

Tertia vtrum præstet ad paulò pleniorem quam ad tenuiorem victum perpetuò inclinare? Nunc ad primam.

Quisnam sit genuinus verborum Hippocratis sensus in hoc Aphorismo?

QVÆSTIO PRIMA.

VEre quidem à Fuchsio dictum in hoc commentario est præsentem Aphorismum à paucis nostræ ætatis Medicis rectè intelligi: Etenim opinionum varietas, certissimum incertitudinis argumentum, tantam inter doctos peperit confusionem, vt cum pleraque ab Hippocratis mente aliena nonnulli prodidissent, liberum postmodum cæteris videretur, quicquid in buccam venisset temerè effutire.

Equidẽ Fuchsius ipse (vt ab ęo primum

exordiar) falsæ interpretationis nobis auctor fuit, cuius verba adscribam quò clariùs detegatur error. Ita incipit eius commentarius in hunc Aphorismum. Hippocrates errata quæ tum in tenui tum in pleniore victu cõmittuntur inter se comparat, deteriusq; esse docet, vbi quis se à tenuiore victu ad pleniorem intempestiuè transferat, quam si è pleniore in tenuiorem commutatio fieret: hæc Fuchsius, multis sanè nominibus hac in parte reprehendendus. Primum enim confutatam à Galeno sententiam, longa obliuione sepultam, iterum ab inferis in lucem deuocauit. Præterea summi doctoris contextum in contrarium aut saltèm diuersum penitus detorsit sensum, multaque ipsi præter intentum proprium imposuit, Galenus quidem in commentario eorum expositionẽ relegat qui ad peculiaria errata Aphorismum referebant, quo etiam nomine lectionem communem alteri à se propositæ anteponit. Mihi autem (inquit) prior scriptura videtur melior, vt quæ hanc quoque complectitur, & generaliorem sermonem facit, cùm de omni delicto doceat, siue volentibus, siue inuitis ægrotis accidat. Sed Fuchsius Galeni immemor magis quam priores particularem orationem facit, dum ait docere Hippocratem deteriùs esse, vbi quis se à tenuiore victu ad pleniorẽ intempestiuè transferat, quàm si à pleniore in tenuiorem. Imò verò ne Aphorismi quidem

verbis animum intendit, vbi habetur (omnis quicunque error) quæ perperàm fuissent pronuntiata, nisi vniuersalem de omni & quocunque errore sententiam continerent, quorũ ideò explanationẽ prætermisit Fuchsius ne Palinodiã canere cogeretur. Et quæso qua ratione manifestum repugnantiam conciliasset, quæ in hisce enuntiationib⁹ deprehenditur? De omni errore qui in victu tenui contingit loquitur Hippocrates: de eo tantum errore qui contingit dum intempestiuè quis à tenui victu se se ad pleniorem transfert loquitur Hippocrates. præter hæc occurrunt alia manifestè falsa in Fuchsij commentatione, falsum in primis est scopum Aphorismi esse conferre, inter se errata, quæ in vtroque victus genere perpetrantur. Non enim conferuntur errores erroribus, ed victus victui, siquidem Aphorismus supponit ab æqualibus erroribus grauiùs affici eos qui tenuiter aluntur, quàm qui aliquantò pleniùs; comparatio ergo fit inter vtramque victus formam. Id apertè satis ex producto sanorum exemplo, atque ex postrema clausula denotatur.

Nec minùs falsum est doceri deterius esse vbi quis se à tenuiore victu, ad pleniorem transferat, quàm contra: hoc sanæ mentis nemo in Græcis literis, vel etiam in Latinis mediocriter versatus, non dicam hac oratione expressè comprehendi, sed ne tacitè quidem inferri, aut ex Hippocratis verbis, aut

ex Fuchsij versione vsquam deduxerit. Et quæso vndenam colligi possit hic sensus, à quibus verbis peti hæc transmutationis collatio, apud se perpendat studiosus lector. Quod si institutum suum exemplo sanorum cõprobat Hippocrates, vti fatetur ipse Fuchsius, consequitur omninò par esse periculum in sanis atque in ægrotis ex eiusmodi commutatione. At quid ampliùs incommodi benè constitutis attulerit à tenui & valde constituta viuendi ratione ad paulò pleniorem migrare, quam ab hac in illam regredi? modo cœtera ponantur paria, difficilis vtrobique transitus ad insueta, qui nisi sensim fiat ab omni molestia non erit immunis; quãquam tutiùs videtur ad paulò pleniorem victum illicò se à tenui & exquisito transferre, quam â pleniore ad tenuissimum conuolare. Sed quid in re manifesta diutiùs immoror? Ne quid nimirum Tironib⁹ imponat Fuchsij auctoritas, cuius facilitati & diligentiæ multum debere se se intelliget, quisquis in ipsis initijs ab eo elucubrata omnia, studiosè perlegerit; modò ne Pytagoreos, imitatus in magistri verba iurauerit, nam reuerá in multis labitur. Nonnulli Hippocratem alio modo exponunt & dicunt tenuem per se victum lædere, cùm ægrotantis vires feriat & imminuat, ideòque tenuem paulò pleniore grauiorem ac magis molestum censeri. Ridicula hæc opinio, æterno exilio dãnnãda. Vires imminuit tenuis diæta; fate-

mur: at quantò fœliciùs eſt debilitata aliquantùm virtute morbum demere, quam adaucto, vt ſeruentur vires ab ingeſtis morbo, ægrum è medio tollere? Non igitur hîc ſimpliciter tenuem victum reijcit diuinus Hippocrates quem alibi, imò etiam quam tenuiſſimum non raro imperat; ſeb hæc opinio neque longiorem, neque magis laborioſam requirit confutationem. Huic proxima illa eſt quæ aſſerit ideò deficere & aberrare à tenui diæta ægrotantes, quod ab ipſa læſionem percipiant, mentemque Hippocratis fuiſſe id docere. Equidem in acutis morbis, dum partim vi morbi, partim à tenui victu patientis vires deijci vident ignari aſſiſtentes, clam vt plurimum Medicis abſentibus cibum ægrotantibus offerunt, operæ ſe pretium facere arbitrati.

Reſtauratæ interim facultatis, ſanitatis redditæ (ſi res fœliciter obtingat) cauſam ſibi gloriosè imputant, omnem contra offenſionis culpam in accuratam victus rationem detorquent. Sed hoc innuere voluiſſe Hippocratem tam eſt ab eius oratione alienum, quàm quod alieniſſimum.

Non enim dictum ab eo eſt, læduntur à tenui victu ægrotantes, quo fit, vt aberrent, ſed contrarium prorſus nempe: aberrant perſæpe, qui tenuem victum ſubeunt, ideò grauiùs offenduntur, læſionem itaque erroribus tribuit, non tenui diætæ, quanquam læſionis grauitatem refert in tenuem

diætam. Quidam propiùs ad veritatem accedentes priorib⁹ contrarij inquiunt, neque ex se se vitiosum esse victum tenuem in Hippocratis doctrina, neque in ipso, quod malè afficiat, peccata committi? Quin potius ex aduerso grauem & plerumque infestum esse illum propter errores admissos, de ijs tamen erroribus dumtaxat sermonem esse volunt, qui in ipso victu accidũt, ita vt illã particulam (*omnis enim error quicunque sit, maior est in tenui, quàm in paulo pleniore*) non simpliciter errorem omnem complecti autument, sed eum tantummodò qui ipsa victus regula committitur. Habet probabile aliquid hæc sententia, videturque ex ipsis Aphorismi verbis colligi: nam illa verba, quicunque error accidit in tenui victu maior est quàm in paulò pleniore, de erroribus qui circa victum accidunt, commodè interpretari licet.

Vtrique postremæ sententiæ se se adscripsisse videtur Fonseca, dum inquit, eò periculosiorem esse viuendi formam, quò maiorem præbet peccandi occasionem, quò enim tenuiús alitur ægrotus, eò maior fit mutatio, ergò & maior peccandi occasio, magis itaque læditur, quia magis peccat. Errorum ergo causam in victum ipsum reijcit vti præcedentes; ac prætereà cum postremis de solis erroribus in victu admissis loquitur. Tolerabilis hactenus eius opinio; Verum omninò præter Hippocratis institutum peccatorum grauitatem postmodum in morbi vehementiam

hementiam refert, dum ait morbum, quantò tenuiorem victum desiderat, tantò esse vehementiorem, ideòque peccata grauiora. Nos Galenicam interpretationem veriorem putamus, atque Aphoristicæ sententiæ magis consonam, vt quæ hanc quoque comprehendat, & ita generaliorem faciat orationem. Ea porrò ipsa est quam in commentario proposuimus: summi videlicet dictatoris fuisse institutũ docere, peccatum omne siue in victu id accidat, siue in cœteris rebus externis, grauiùs tenui vtentes victu affligere, quàm eos qui paulò pleniore vtuntur, ideòque periculosiorẽ esse tenuem victum magna ex parte, non quidem absolutè, sed errorum dumtaxat causa; magna, inquam, ex parte, at non sẽper necessariò: non enim aut semper, aut necessariò in aliquo aberrant ægrotantes, vt plurimum tamen feruntur in vetitum, negataque cupiunt, imo peccatum omne vel cautiores quàm rarissimè effugiunt.

Quare aliena non est ab Hippocratis intento Velsij lectio, atque Cornarij subtracta particula διὸ pro ἁμαρτάνουσιν legunt ἁμαρτάνοντες vt hic sit sensus, in tenui victu peccantes ægroti grauiùs læduntur. Quanquam non probarim liberè à quouis Hippocraticæ orationis contextum immutari, illius (inquam) Hippocratis, apud quem sua est singulis dictionibus Emphasis, sua sunt singulis mysteria: quemadmodum in præ-

ſenti, vbi non ſolùm admonet ægrotos dum peccant lædi grauiùs, verum etiam idcircò lædi quod peccent, ſimulque connotat læſionis cauſam, quod commodiùs per indicatiuum ἁμαρτάνουσιν addita cauſali particula exprimitur, quàm per participium, Tenuem porrò victum paulò pleniore magis fallacem ſanorum exemplo confirmat noſter Hippocrates ducto à minori ad maius argumento, ſic enim ex eius ſententia argumentari licet. Si accurata & tenuis vitæ forma benè habitos in diſcrimẽ adducit, quod ab erroribus ipſi vehementiùs percellantur, quantò magis par eſt ægrotos dum eandem ſeruant formã, ſi quando peccent, offenſam grauiorem pati, quàm dum paulò pleniorem inſtituunt? non diſſimili enthymemate vſus
3. acut. t. 30. is ipſe eſt verbis. Nam ſi ſanis quibuſdam tales vel tales cibi variare videantur, tum in alijs quibuſdem, tum in nonnullis mutationibus, quomodò & in morbis quibuſdam, & maximè acutis nõ valdè variabunt, quam argumentationem ſic illuſtrauit Galenus ſuo in illum textum commentario. Validiores minùs afficiunt, imbecilliores magis detrimenta; ſanos etiam repentina mutatio offendit, ex vtraque hac ſumptione concluditur, languentes à repentina victus mutatione lædi magis, ſed multo magis, qui acutis infeſtantur. Quod quidem medium, ſi in rem præſentem transferre lubet, ſic probè ratiocinabimur. Validioris minus, debiliores

magis afficiunt errata; ſanos etiam dum tenuiter victitant & accuratè, peccata offendunt. Par igitur eſt longè grauius ab his concuti iacentes, vt pote imbecilliores. Ex hoc eodem medio tendet Aphoriſmi deciſio perfecto hoc ſyllogiſmo comprehenſa. Imbecilliores magis offendũtur ab erratis, ſed qui tenuiter degunt, imbecilliores euadunt ijs qui aliquantò plenius? Quid ergo ſequitur, niſi quod errores grauius ferant; Maior negari non debet quam Hippocratis auctoritate ſtabilitam audiuimus: minor eſt Galeni qui tenuis victus terminum ſtatuit virtutis imminutionem. Vtrique quotidiana ſuffragatur experientia, ita euidenti ratione, vt longiorem probationi ſuperſedendum putemus, conſultiùs facturi ſi aliquod ex hac ſententia documentum in praxim referamus.

In comm. pracedẽtis Aphoriſmi.

Quodnam ex Aphoriſmi verbis eliciamus ad praxim documentum?

QVÆSTIO SECVNDA.

VNico quod abſurdũ ſit admiſſo, cætera quæ ex eo conſequuntur ſunt abſurda. Nil igitur mirum, cùm id quod tanquam fundamenti loco, à Fuchſio poſitũ eſt, falſum eſſe anteà demonſtrauerimus, falſam

quoque reperiri, quam ex eo intulit conclusionem. Hæc igitur eſt (inquit) germanæ ſententiæ Hippocratis explicatio, quâ commonefacere voluit ſuæ ætatis Medicos, vt conſiderarent quibus, & quo tempore morbi tenuis victus conueniret, quandoquidem intempeſtiuè adhibitus maximos errores parit. Non tot profectò errores parit victus tenuis, quot hæc illius oratio.

Peccat in primis grauiter in eo, quod præcedentibus à quibus ipſa pendet, omni ex parte non reſpondet: ſequi enim debet conconcluſio ex præmiſſis.

At dixerat paulò ante reſpicere hoc loco Hippocratem ad ſuæ tempeſtatis tum ægros tum Medicos, qui circa victus rationem deliquerunt quod intempeſtiuè inediam imperarent, aut rurſus intempeſtiuè nutrirent: Ecce bimembrem propoſitionem, in qua duplex notatur antiquorum lapſus, alter in tenui, alter in pleniore diæta, quarum neutra debito tempore decernebatur, ergo bipartita fuit inferanda concluſio hunc in modum: Docere nimirum Hippocratem ſedulò animaduertendum, quibus & quo tempore morbi victus tenuis, quibus item & quo tempore vberior conueniret: Hanc vltimam partem ille prætermiſit. Et meritò ſane, eius enim ne per ſomniũ quidem in præſenti meminit diuinus ſenex, quanquam alibi loco proprio eiuſdem non eſt oblitus, dum ita habet vbi itaque morbus

peracutus eſt, ſtatim extremos labores habet, & ſummè tenuiſſimo victu vtendum eſt; vbi verò non, ſed pleniorem victum adhibere licet, tantum à tenui victu declinandum, quantò morbus extremis eſt leuior. Et decimo poſtmodùm Aphoriſmo huiuſce particulæ idem ex præcedẽti Aphoriſmo inferens, qui erat aliquantò generalior, quibus igitur (inquit) ſtatim vigor futurus eſt hos ſtatim tenuiter alere conuenit, quibus autem poſteà, ijs & paulò antè & in ipſo vigore ſubtrahendum. Priore verò tempore pleniùs alendum vt æger durare queat. Peccat ſecũdò Fuchſius in vltimis verbis, in quibus longè ab Hippocrate diuerſam rationẽ aſſignat. Non enim idcircò periculoſus dicitur tenuis victus in hoc Aphoriſmo quod errores pariat, ſed quod errores, ſi qui quocunque irrepant modo grauiùs ferat. *7. Aphoriſmo. 1. particula.*

Tertiò generalem de victu ſermonem nimiùm reſtringit, dum quod ſimpliciter & in genere de victu tenui atque exquiſito enũciatum eſt, de intempeſtiuè ſolùm adhibito interpretatur. Plurimum certè inter ſe diſcrepant hæc enunciata vti in præcedenti quæſtione oſtendimus, omnis victus tenuis quocumque adhibitus modo eſt periculoſus: victus tenuis intempeſtiuè adhibitus eſt periculoſus: Iſtud Fuchſij eſt, illud Hippocratis.

Denique tota præter doctoris inſtitutum eſt hæc cõmentatio, qui nullam in præſentia,

temporis mentionem facit, multò minùs eorum quibus imperanda eiusmodi victus forma. Nonnulli longè diuersam ex Aphorismi verbis doctrinam eliciunt: Arbitrātur isti consulere Hippocratem vt Medicus quocunque tempore in pleniorem quàm in tenuiorē victum potiùs inclinet. Huius sententiæ assertores in duas classes sunt partiti, quidam absolutè (vt refert Manardus) præstare asserūt crassiùs quàm tenuiùs ægrotos reficere. Alij inclinandum potiùs ad crassiorem quàmuis requirat victus rationem, quàm ad tenuiorem. Equidem si hanc vtramque sententiam exactè perpendemus, verbis tantummodò dissentire at re ipsa conuenire prima fronte inueniemus: vt vt sit magnæ vtilitatis aut momenti non est hæc disquisitio. At operæ pretium est ambarum rationes sub incudem reuocare, siquidem necessaria ad praxim huius difficultatis decisio; Quam nos commodioris doctrinæ gratia in sequētem quæstionem differemus. Alij contrarium planè secuti, summi dictatoris mentem & quidem ingeniosè sic explicant, inter cæteros Rhodericus à Fonseca, cuius hæc est in præsentem locum animaduersio: victum ad victum non comparari, ea ratione vt Medicus debeat declinare magis ad hunc, quàm ad illum, sed comparari duas species victus, ea ratione qua sunt minùs periculosæ, non supponendo aliquem Medici errorem. Suum intentum sic illustrat: Exēpli gratia (inquit)

4. Epistol. 2.

ſupponantur ægri duo, quorum alter potu alatur ſibi conuenienti, alter verò ſorbitione quæ illi conducat, vtraque illis conducit, ſed periculoſior eſt prima, quàm ſecunda: non tamen ex hoc infertur, declinandum ad pleniorem vel tenuiorem, vtraque enim [vbi conuenit] imperanda, ſed potus magis formidabilis quàm ſorbitio, & hæc quàm Ptiſana. Idcircò maximè præcauendum errorem Medici ægri adſtantium, quò tenuiùs alitur ægrotus: Hæc ille. Supponamus nos duos acuto afflictos morbo, qui eandem vitæ regulam expoſcant: Alatur hic tenuiùs, alter paulò pleniùs, quæro vter ab erroribus magis afficietur? Prior ſanè; Et hoc par eſt intelligere potiùs Hippocratem quàm illud quod à Fonſeca prodidit. Nam quod ab ipſo ſupponitur, auctoris verbis & inſtituto non ita bellè quadrat. Cui enim dubium eſt minus ab erroribus lædi qui pleniore & ſibi conueniente vtitur victus forma, quam qui tenuiore itidem ſibi debita? Quandoquidem certum eſt hunc, quàm illum acutiorem affectum pati, à quo ex conſequenti maiorem incurrit facultatum offenſam. Vndè nullo negotio inferet etiam rudior aliquis in hoc quàm in illo cautius agendũ, omnique contentione incumbendum, ne quis admiſſus error naturam grauiùs concitet, vi morbi iam validè laceſſitam. In hunc eiuſque aſſeclas agemus ſequenti quæſtione fuſiùs. Dicã interim, tum ex anteà allatis, tum ex ipſo

orationis contextu, patere aliud ab Hippocrate in præsentia doceri. Nostra ergo sententia est, duo ex hoc Aphorismo deducẽda: Primum, præstare ad paulò pleniorem, quàm ad tenuiorem victum inclinare: Alterum, omni elaborandum industria, ne qui tenui diæta vti volunt, quicquam aberrent, siue propria ipsorum culpa, siue Medicorum, siue adstantium, seu quocunque tandẽ casu obtingat error. Posterioris hæc est ratio; Quisquis ab erroribus grauiùs offenditur, ab ijs, maiori studio & cautione arceri debet. Grauius offenditur ab erratis, quisquis tenuem diætam sustinet: Maiori ergo studio, ab ipsis vindicandus. Patet ex se se maior, Minor est Hippocratis; vndè necessaria cõclusio. Priorem verò illationem sic probamus. Tutiora quoad fieri potest amplectenda, imprudentis & temerarij est, aperto periculo iacentes obtrudere: sed periculosior est victus tenuis paulò pleniore; Ergo hic illi præferendus. Certa est maior; Minor est Hippocratis. Dices periculum omne adhibita cautione depelli: An quæso erroribus immunem reddet patientem, aut impatientem potius absens Medicus, quem ne præsens quidem tantillo tempore potest in officio continere? Quot quantaque forinsecus accidunt quæ non dicam præcauere, sed ne præuidere quidem possis? Testes appello quotquot tractandis ægris operam impendunt, quanti laboris sit non modò à

leuioribus, verum etiám à grauioribus peccatis vndequaque abſtinere. Qua ratione motus Hippocrates in tenui (inquit) victu peccant ægrotantes, indicante vſus modo, non participio, (vt paulò ante annotauimus) hac loquendi forma innuens vix vllo modo tutum ab erroribus victum tenuem, quem proindè in vltimis verbis magna ex parte periculoſiorem dixit paulò pleniore. Sed de his poſteà.

Quod Manardus addidit nempe monere nos Hippocratem ne temerè, & abſque diligenti examine tenuem exactè victum imperemus, parum ad propoſitum videtur. Primum enim de tenui in genere loquitur Hippocrates: de tenui exactè ſpeciatim Manardus ſui ipſius immemor, dum anteà tenues diætas hoc loco audiendas cenſuit eas, quibus aliqua ex parte vis comminuitur, ita tamen vt vſque ad vigorem perduret: Id quod tenui cuicunque victui commune eſt. Deinde ſi auctoris inſtitutum foret docere non temerè imperandum victum tenuem, fruſtrà additum fuiſſet, quoniam errores grauiùs ferunt, quâ clauſulâ, ipſo Manardo interprete, nobis innuitur victum tenuem ex ſe ſe fallacem non æſtimari, ſed tantum errorum cauſa, quod tamen falſum eſſet. Etenim negari non poteſt victum tenuem, ſi temerè imperetur, natura ſua periculoſum eſſe, atque ex ſe peccati nomen mereri, quorum vtrumque Manardus improbauit.

Quanquã idem nobiſcum videtur ſenſiſſe ſi pertemerè intellexit non ſtatim & promiſcuè quibuſlibet acutis paſſionibus detentis tenues viuendi regulas ſuis etiam affectibus conuenientes præſcribendas, ſed ijs tantum quos ab omni errore tutos eſſe nouerimus, quorum rara auis in terris, niueoque ſimillima coruo. Vndè meritò ex Hippocratica doctrina conſtans infertur aſſertio, conſultiùs fore ſi ad paulò pleniorem, quàm ad tenuem diætam propendamus, id quod à pleriſque negatur, ideòque à nobis accurato ſcrutinio perueſtigandum.

Vtrum præſtet ad paulò pleniorem quàm ad tenuiorem victum perpetuò inclinare?

QVÆSTIO TERTIA.

AVdiuimus præcedenti quæſtione non infimæ claſſis doctores, de Hippocratis mente vltrò citròque decertantes, quorum diſcordia conciliari antè non potuit, quàm præſens negotium abſoluiſſemus; Id enim probabile fuerit cenſuiſſe Hippocratem, quod veritati meliùs conſonabit.

Non deſunt qui affirmatiuam partem ſequuti, non modò paulò pleniorem, ſed

ſimpliciter pleniorem victum tenui perpetuò anteferendum putent, hiſce (vt opinor) rationibus perſuaſi. Securioribus perpetuò inſiſtendum eſt, tutior ex Hippocrate vict⁹ plenior, huic igitur perpetuò inſiſtendum. Præterea qui plenius alit, quamuis morbum adaugeat, virtutem ſaltem integram tuetur; Qui tenuius, hanc imminuit & deſtruit, at quanto conſultiùs eſt á validà virtute morbum adauctũ ſtrenuè profligari, quàm eadem deiecta vel á leniori reddito morbo ægrotum interimi? Sed neque á pleniore cibo neceſſariò augetur morbus, protogatur fortaſſè impedita coctione: Neque á tenuiore frangitur, ſed breuior ſolùm redditur concoctione incitata. Verum ſat citò, ſi ſat benè præſtat æqualem morbum conſtante etiamnum robore ſanare tardius, modo ſecurius.

Quid quod á pleniore cibo ſuſtentatur facultas, reſtaurantur ſpiritus, ab inteſtinis hoſtibus validè oppetiti, atque diſſoluti, ſeruatur integer natiuus calor, ab his concoctio perficitur, laudataque omnis naturæ actio, coctionem ſequitur morbi extinctio, & patientis ſalus? A tenui contra inſitum ſolidioribus partibus humidum exhauritur, eneruatur magis, magiſque magna iam ex parte ſymptomata violentia fractus corporis vigor? Efflantur in auras ſpiritus, & vnà cum ſpiritibus euaneſcit innatus calor: hinc perpetua cruditas, ex cruditate morbi diuturnitas, á diuturnitate grauior virtutis exo-

lutio, ab exolutione tandem interitus. Quid amplius? à victu copiosiore morborum acutorum impetus retunditur, ij siquidem á feruidis vt plurimùm & acribus humoribus excitantur, qui frigidi humidique alimenti sumptione, qualem febricitantibus imperat Hippocrates, temperantur & mitescunt? ab inedia verò accenduntur vehementiùs, acuuntur, efferantur. Norunt diatritarij quantas tragædias excitet alimoniæ defectus.

1. Aphoris. 16.

Nituntur in contrarium, qui negatiuam tuentur partem (è quorum numero sunt Manardus, Fuchsius, & antea productus á Fonseca, plerique etiam alij non vulgaris eruditionis & nominis) hi vallis & fossis vndique septam & munitam arcem ingressi, præsidijs bellicis copiosissimè instructi, sub Hippocratis & Galeni vexillis & insignibus militant, ex quorum penu tanquam bonorum fonte vberrimo ista depromunt. Proferunt in primis textum 27. secundi acutorũ quem pro Achille constituunt, quique multos hactenùs variè torsit. Vbi hæc scripta reperiuntur. Ciborũ autem adiectioni intendendum multò minùs, nam subtrahere omninò sæpè numero expedit, cùm æger sufficere possit donec morbi vigor maturescat. Quam sententiam suo calculo comprobans tali ratione confirmat Galenus. Quod plus est (inquit) exuperatque noxas interdum inemendabiles facit: quod verò minùs, facilè emendatur. Nempe si virtus labascere videatur,

Ibidem in comment.

cibi exiguum miniſtrare poſſumus: verum ſi in ventrem aſſumptus fuerit cibus, quod redundat ſuperfluitque ſi alias, multò magis in acutis morbis tollere eſt difficile.

Iiſdem principijs inſiſtens Hippocrates, in progreſſu eiuſdem libri fingit duos ægros debilitatos, alterum propter dolores, & morbi acumen, alterum propter vaſorum inanitionem, quorum hic refectione indiget, ille potiùs euacuatione. Priori (inquit) ſi quis potum aut ſorbitionem vberiorem, aut eſculentum porrexerit grauiùs lædet, quàm ſi poſteriori victum, quo celerrimè indiget, negarit: quanquã hunc lædet quoque, at non æque celeriter ac euidenter. Hæc Hippocrates & Galenus, vnde infert á Fonſeca, leuiorẽ fore lapſũ in acutis, ſi tenuiùs, quàm decet alendo, quàm ſi vltra quam par eſt offerendo cibo aberretur. In maiorem fidem hanc ex Hippocrate mutuatam addit rationem, maior eſt indicatio quæ ſumitur in morbo acuto ad prohibendum, quàm á viribus ad conſeruandũ, ideoque expedit, auctore Hippocrate, vt cibus detrahatur donec morbi vigor matureſcat. t. 48.

Summorum medicinæ Principum auctoritati, experientia ſuffragatur, & ratio. Experientia quidem compertum eſt nonnullos inedia penè exolutos, aſſumpto conuenienti alimento, illicò fuiſſe reſtitutos. Alios ex pleniorẽ nutritione immedicabilem offenſam, & planè exitialem cladem incurriſſe.

Galen. 10. Method 3. Priorum exemplum est omni memoria dignissimũ, iuuenis ille annos natus quinque & viginti, gracili corpore & musculoso canis instar, vnàque calido & sicco temperamento, qui cùm á vehementi exercitatione incidisset in febrem, eó tandem diatritariorũ culpa redactus est, vt & sine pulsu omnino esset, & frigus eum vehemens toto corpore premeret. Quid multa; neque loquebatur ampliùs, iamque ab omnibus partibus ferè sensus abscesserat, cùm ecce diductis hominis maxillis ex angusti oris vasculo, infusis cremoris Ptisanæ tribus cyathis hoc est dragmas triginta sex siue vncias quatuor semis (nam dragmas duodecim pendet Cyathus) & paulò post iterum porrectis albi & tenuis vini calida modicè diluti Cyathis duobus, mox sustulit oculos, & tum audire tum loqui, tum præsentes nosse cœpit, cùm anteà velut aridum lignum, sine voce & sensu exporrectus iacens, Rursùsque dato vino similiter diluto & pane modico fuit integrè reuocatus: hanc nos historiam fideliter ex Galeno descripsimus, vbi illud addit (quod maximè ad rem præsentem facit) consultò permisisse se vt eo angustiarum ex alimenti penuria deduceretur iuuenis, cùm non dubitaret, quin is ministrata conuenienti alimonia redire ad se se posset, & sanitati restitui, id quod exitus comprobauit. Longè contrarium accidit Philonis filiæ. Hæc venefico detenta morbo, cum perfecta per

Gal. lib. de pond. & mensur.

1. Epid. parte 2. t. 78.

hæmorrhagiam Crisi intempestiuè cœnasset, vindicari ab interitu non potuit. Et hoc sanè rationi consentaneum est. Enimuero præter quam quod naturam à coctione distrahit cibus vberior, omnes pariter facultates naturales lacessit & conuellit. Agedùm quæso dicant aduersarij quemnam eiusmodi nutritionis finem esse velint: an vt reficiantur vires, in acutis affectibus grauiter afflictæ; ita puto: at vnde hæc afflictio? Ex malignitate causæ, & violentia (inquient) aut symptomatũ magnitudine & frequẽtia (plurimùm enim doloribus & vigilijs distorquẽtur) aut inanitione vasorum, quæ vel manifestã sequitur vacuationem, vel occultum transpiratum, aut morbi ipsius impetu, & febrili calore substantiam omnem interiùs depascente. Aut etiam ab animi Pathematis & rerum externarum occursu importuno. At quàm parùm iuuat, imò quantùm nocet hisce casibus, victus plenior? morbum in primis exasperat dum causæ morbificæ vim adauget cruditatum interuentu? quam ob causam nouis quodammodo stimulis symptomatum ferociam concitat. Malignitatem non tollit, hæc enim antidotis compescitur. Quod si pinguia, oleaginea, humidaque alimenta nõnunquam veneno infectis magna quantitate offerimus veneni obtundẽdi gratia; Id tum solùm fit cùm ad penitiores corporis partes ipsum nondum delatum, adhuc in stomacho stabulatur, quem pinguibus

Dioscorides lib. 6. in præfatione.
Mathiolus in comm. Ibidem.

id genus esculentis partim oblinimus, partim ad noxij expulsionem incitamus. Idem in acutis moliri sparsis in vniuersum corpus, atque in vasis hærentibus prauis malignisque humoribus est à medica ratione prorsus alienum.

1. Aphoris. comm. 7. Igneum febris calorem non extingit, quin poti⁹ grauiores Phlegmasias inuehit. Replet equidem inanita vasa, sed heu quantò malo? dum enim ab imbecilli calore non vincitur, incoctus vndequaque dispergitur, suaque copia premit & suffocat imminutos spiritus ac ferè iam elanguidos, His ita habentibus non video qua ratione externas iniurias, qui pleniorem alimoniam capiunt, leuiùs ferant. Magnum in his incommodis momentũ esse positum inficiabitur nemo? verũ illud inter cætera grauissimum quod impendentem ab his ipsis ruinam propulsare medica vix norit industria: dices repletionem vacuatione curari. Quid inde? ergò facilè vacuatione instituta lapsus eiusmodi resarcimus. Non sequitur. Sequeretur sanè, si in ipsa euacuatione nihil subesset periculi. At quotusquisque ille est qui euacuationem aggredi ausit per pharmaca, vehementer aduncto morbo, & debilitata virtute? Catharticis penè omnibus inest vis naturæ nostræ àduersaria à qua facultas corporis non mediocriter conuellitur. Eorum agitatione oritur quædam in vasis & principibus membris perturbatio, quæ naturam ab instituto opere plurimum auocat

auocat atque distrahit, hæc enim quiete operatur.

Calore quo ipsa pollent acutos, cæterosque cum febre coniunctos affectus ab acribus calidisque humoribus procreatos grauissimè irritant.

Concludendum itaque longè meliùs ægrotantis saluti, suoque nomini consulturum Medicum ad tenuiorem quàm pleniorem victum magis propensum. Quod si in proposito sanorum exemplo conquiescere tantisper & immorari lubet, reliquum est nihil quod in disceptationẽ cadat. Sunt penè innumeri qui vnius diei abstinentiam nulla offensione perferũt. Quidam etiam plurium dierum inediam haud refugiunt: Nonnulli visi ad annos nullo ingesto alimento vitam incolumes protraxisse Quæcunque ab inedia accidunt læsiones minimo negotio reparantur, ferèque terminantur ad salutem. E conuerso ab immodicis repletionbus offenduntur etiam Athleticè habiti, sic grauiter quãdoque, vt repentino abripiãtur fato. Si ebrius quispiam repentè obmutescat conuulsus moritur (inquit Hippocrates) nisi febris corripiat, aut ad eam perueniens horam quà crapulæ soluantur, loquatur. Idipsum à copiosiore cibo obtingere eodem modo potest, aut impletis vaporibus neruis, aut calore natiuo copia suffocato. Id quod in Metensi quodam Rustico experiri mihi licuit; Is cum ex Pleuritide conualesceret, inuitãte

5. Aphorismorum 5.

appetitu, qualis ferè in conualeſcētibus, paratum ex braſſica obſonium ſuo priſtino more deuorauit, mox ad ſomnum ſe componens expergiſci amplius non potuit. Habebat tum Pĕcraticē, dies iam aliquot mali nihil perſenſerat, cōſueta obibat munia, nulla penitus decumbendi neceſſitas & liberalius expleta fame de repente occubuit. Quantò ergò grauiorem offenſam ſentient qui aduerſa valetudine pleniori diætæ indulgebunt?

Valida hæc doctè & acutè ab eruditis viris excogitata argumenta, quæ tamen (ſi liberè effari licet) ſummi dictatoris intentioni minimè reſpondent. Ad cuius faciliorem intellectum, notari velim in quæſtione propoſita, paria non poni extrema. Neque diſceptationem eſſe, vtrum præſtet tenuiùs alere, quàm plenius abſolutè; Sed vtrum conſultius ſit ad tenuem ſimpliciter victum quàm ad paulò pleniorē perpetuò inclinare? Itavt tenuis ſimpliciter, non cum ſimpliciter & abſolutè pleno, ſed cum paulò pleniore comparetur. Pendet hinc tota controuerſiæ deciſio, quam ita concludi volumus. Expedit ad paulò pleniorem quàm ad tenuem & exquiſitam victus formam perpetuò inclinare. Hæc eſt præſentis Aphoriſmi concluſio palàm diſertiſſimis verbis expreſſa. Quid enim aliud ex hac oratione inferes? Propter hoc igitur tenuis accuratuſque victus vt plurimum periculoſior eſt paulò

pleniore. Dices optimè colligi maiori cura & diligentia præcauendos errores in vna victus specie, quàm in altera: interpretationem admittimus. Verùm si expectatione nostra falli nos contingat, quanto periculo iacentem exponemus? Sæpissimè fallimur, errant nobis inscijs persæpe, errores tegunt & dissimulant ægrotantes. Quam ob causam victum tenuem non aliquando periculosiorem, sed magna ex parte talem vocat Hipcrates. Nõne igitur satiùs fuerit, vt hoc metu liberemur, in securis versari, quàm incerta spe melioris fortunæ assistentium temeritati & imprudentiæ, propriæque cupiditatis imperio morbo detentũ submittere? An quod summæ imprudentiæ viri prudentissimi tribuunt, in apertum periculum volentes præcipites feremur? Agitur hîc de vita, agitur de existimatione Medicinæ, & fortuna Medici. Malè audiunt apud vulgus in plerisq; qui Medicinam factitant. Populares voculas quantumlibet vanas & à veritate alienas aspernari omninò non debemus, in rebus præsertim serijs; Quantò magìs vulgi opinioni insistendum non planè à ratione alienæ? Aliquantò pleniore victu sustentandas perpetuò ægrorum vires censent vulgares, paulò pleniorem tutiorem putat Hippocrates, assentitur & ratio, hunc imperemus: Si quid postmodum humanitùs accidat ægrotanti, proba conscientia nos erecti: liberati calumnia nihil est quod metuamus.

Hippocratis quidem hanc esse mentem probat ab eo facta cum ægris comparatio sanorum, quæ ita cõcludit. Quemadmodum in sanis pleniorem viuendi normam sectamur, tenuem & exquisitã dehortamur, atque vt loquitur Celsus; Prodest semper plurimum cibum capere, dummodò hic concoquatur. Ita quoque in ægris proportione quadam lex eadem obseruanda.

Libro 1. Capite. 1.

Hasce partes tueri videtur Galenus noster, dum peracutis non exactè propriam diætam accommodans sic habet. In quibus autem Crisis primam hebdomada non sit superatura, valida existente natura, solo vtendum Melicrato, quæ viuendi ratio fuerit tenuissima, non tamen summè: si verò non satis fidimus viribus ptisanæ vtemur succo, & hæc victus ratio tenuis meritò appellabitur. Idem alibi repetit his verbis, Me quoque subinde vidisti eos qui ex abũdantia & qui ex Phlegmone laborarent sub longa inedia tenuisse, sic vt prorsus ante septimum diem sola mulsa contentus essem, viribus scilicet valentibus. Quosdam verò inualidos, aut bilioso ventriculo vel debili, vel plus iusto sensili, solò Ptisanæ cremore ad septimum diem traxi quo inclinare morbus debuerat aut iudicari. Verum non in peracutis solum variam, pro consideratione virium, vitæ formam applicat, sed perperacutis quoque appellatis, quorum breuissimus terminus. In quibus (inquit) primo hoc tempore,

1. Aphoris. comm. 4.

10. Methodi. 5.

1. Aphoris. comm. 7.

hoc eſt primis quatuor diebus, vigor futurus eſt, in ijs ſummè tenuiſſimo victu vti poſſis modo vires vel meram inediam, vel ſolius Melicrati ſorbitionem, vel Ptiſanæ cremoris omninò exiguum ferre queant. Ecce vt nullibi non ſumpta à conſeruatione virtutis indicatione paulò pleniorem quàm requirat morbus diætam præſcribit, pro non exactè tenuiſſimo tenuem ſubſtituit, pro exactè tenuiſſimo tenuiſſimum non exactè. Cùm ergò ad virtutem errores referantur (vt pote à quibus perculſa vis grauiùs deijci nullo negotio poteſt) quidni eandem cum ipſa virtute indicationem ſuggerent? Quidni prudenti cautione adhibita futuræ cladis timorem eripiemus? quibuſdam veluti gradibus progreſſi (quod à Galeno obſeruatum audiuimus) à tenuiori ad minus tenuem, ab hoc ad paulò pleniorem; Itavt quamproximè fieri poteſt ad eam quam affectus poſtulat regulam accedamus, niſi caſus aliquis intercidat qui progredi vlteriùs adhortetur. Quæcunque præſentibus affectibus tutò peraguntur, eadem imminentibus ritè imperantur. Supponamus itaque vel ab accuratiſſimo Medico, ne ſi præſens quidem ægroto noctes dieſque aſſiſteret, vix poſſe ægrotum in officio vndequaque contineri; An non hoc animaduerſo Medicus, aliquid de ſubtilitate victus remitteret, ne quam inſignem ab erroribus offenſionē vires paterentur? Iam ſi tutiora in dubijs ſectanda, ſi ex

Libro de cur. rat. per ſang. miſſ. c. 9.

Hippocratis doctrina curationes antevertendæ, quid eſt quod in perpetua dubitandi occaſione hæreamus? Quamobrem maturo conſilio celeberrimi tota ferè Europa medendi profeſſores propoſitũ à nobis dogma, (imò ab Hippocrate, ſed longè ab ipſius mente à quãplurimis receptum) cõmuniter in praxi vbique ferè obſeruare ſolẽt, vt enim pauciſſimos omninò (fortaſſe nullos) in omnimoda inedia continent, ſic neque in peracutis qui ad ſeptimum porriguntur, ſolum Melicratum exhibent. Ac præterea in acutis exactè & non exactè carnium iura, piſces ſaxatiles, aut oua ſorbilia nunquam non ferè imperant fœliciſſimo ſucceſſu.

Itavt vix è millibus vnum inuenias nobis contraria ſentientem, quin aliud loquatur, aliud factitet.

Notent interim ſtudioſi iuuenes plenioris victus nomine, hic etiam tenuem à nobis donari, ne pleniùs refici à nobis ægrotos autument. Hunc loquendi vſum ex Hippocrate ipſo mutuamus, qui ἁδροτέρως διαιτᾷν. Et πιωτέρως διαιτᾷν, hoc eſt pleniùs nutrire, tenuiori victui applicuit. Dum enim ante vigorem pleniùs cibandum ait, non exiſtimandum eſt, cibum verè propriè plenum ab Hippocrate concedi: ita expoſuit Galenus.

1. Aphoriſ. 7. & 10.

Neque nos à ſententia reuocant contrariæ opiniones. Prior ſi eo intelligatur modo, quo explicuimus, à ratione non diſſentit: ſin verò pleniorem ſimpliciter victum,

Cõment. 7.

non autem paulò pleniorem tenuiori perpetuò anteponat? habebit in se Manardi, Fuchsij, & cæterorum eiusdem classis doctorum validissimè contorta spicula, quorum aciem vix sustinebit.

Nos omni timore immunes prodimus in apertum campum nullam ab ipsorum telis, vt nec ægri à paulò pleniore victu, lethalem plagam accepturi.

In primis, quod obijcitur ex 2. acutorum t. 37. si exacta trutina pensitetur, nullum nobis negotium facit. Illic enim comparatur victus tenuis pleniori in se absolutè, non respectiuè & in ordine ad aliud, secus in præsentia: vbi conferuntur inuicem, quatenùs magis vel minùs errores tolerant. Concedendũ enim vltrò est pleniorem victum ex se tenuiore periculosiorem esse in acutis? Non item si errores spectemus: dicimus secundò hunc esse propositi textus germinum intellectum. Nempè sic componendã initio morbi victus formam, vt cùm ad vigorem deuentũ erit quo tempore tenuissimè alendum est, non augenda sit, at detrahenda potiùs alimonia. Quoniam plenior tum cibus noxas inemendabiles parit. Hunc esse verborum sensum manifestum est ex ipsismet verbis, maximèque ex illa causali particula ἐπεὶ, quæ idem sonat, quod apud latinos quoniam, nam, quandoquidem. Sed integrum præferamus contextum, sic (ait Hippocrates) Ciborum adiectioni intendendum multò

minùs, quandoquidem ſubtrahere omninò ſæpè numero expedit, vbi æger ſufficere poſſit, donec morbi vigor matureſcat: quaſi dicat: ſi verũ eſt tum perſæpè vtiliter alimentum ſubtrahi, cùm vires vſque ad vigorem morbi ſeruare nos integras poſſe cõfidimus, ſequitur profectò tum tẽporis quo ex detractione maior percipi ſolet vtilitas, abiectioni multò minùs attendendum. Quo nomine paulò poſt imperitos quoſdam Medicos, redarguit, quod eo maximè tempore ex abſtinentia cibi ad ſorbitiones deuenirent, quo ad abſtinentiam recurrere tanquam ad ſacram Anchoram decebat. Maximumque retur hoc eſſe documentum, ne primis diebus quauis ſorbitione priuemus eos, quibus futurum eſt vt quibuſuis ſorbitionibus poſtmodum vti debeant. Nam propè vigorẽ nutrire eos compellemur (vt præclarè explicat Galenus in commento) cum ad tenuiorem victus formam tranſeundum foret, etiam ſi pleniùs refecti anteà fuiſſent. Huius nos doctrinæ æmuli atque alumni, ita pleniorem victum tenuiori anteponendum putamus, vt cùm ad vigorem deuentum erit, quantùm ſatis eſt detrahamus, ita tamen vt erroribus perpetuò aliquantulum tribuamus ſeruata conuenienti proportione. Ex hac interpretatione noſtra perbellè poſteriora cum præcedentibus citato libro cohærent, & promiſſo Hippocratis reſpondent, qui poſtquàm dixit ſubtrahere quandoque ex-

2. acut. t. 43 & ibi. Galen.⁹ in comm.

pedire, ſtatim ſubiunxit, ἐν ὁκόσισι δὲ τὸ τοιόνδε ποιητέον γεγράψεται id vbi faciendum ſit poſthac ſcribetur, vti ex ſe ſe intueri poterit ſtudioſus lector. Addo nihilominùs tertiam reſponſionem. Conſulere nimirum Hippocratem citato ab aduerſarijs loco, ſubtrahere in morbis expedire potiùs quàm adijcere: non ſimpliciter, ſed cùm æger ſufficere poteſt vſque ad morbi vigorem. At in præſenti Aphoriſmo cùm vereatur ne qua ab erroribus facultati moleſtia inferatur, iure optimo ſuadet, vt in paulò pleniorem victum quàm in tenuiorē perpetuò feramur, vt pote cùm à paulò pleniore minori virtutis diſpendio errores perferantur. Orationi verò addidit ὀλίγον, aut μικρὸν hoc eſt paulum ſiue parùm: ne ex Carybdi in Scillam detrudamur: virtuti nimirum plùs quàm par eſt conſulentes, pleniore cibo virtutē obruamus. Ex quo inemendabiles ſequuntur noxæ. Leues é contrario ſunt offenſiones, ſi quas excitat mediocris, aut tātillus exceſſus; nullæ, ſi cum ijs conferantur, quæ errorum cauſa in tenui obrepunt quarum comparatione & reſpectu leuiores iſtæ in bonis ſunt habendæ. Nihil ampliùs conficitur ex textu 48. eiuſdem libri vbi periculum minus afferre dicitur is qui ciborū penuria laboranti alimentū denegarit, quam qui propter acumē morbi & dolores imbecilli reddito, dum euacuatione potiùs quàm refectione opus eſt, idipſum miniſtrarit. Non enim illic de

paulò pleniore sermo fit, sed de pleniore simpliciter, dum inquit Hippocrates προσφέρη τις ποτὸν, ἢ ῥόφημα πλεῖον ἢ σιτίον hoc est si quis aut potionẽ, aut sorbitionẽ copiosorem aut cibũ exhibeat, non autem σιτίον, ἢ ῥόφημα ὀλίγον πλεῖον id est sorbitionẽ & cibum paulò pleniorem. Quid quod vox illa σιτίον pleno cibo communiter applicatur? Præterea conferuntur illo loco contrariæ illæ victus rationes tanquam ambæ vitiosæ, conferuntur inquam in se: in Aphorismo nostro non item, sed comparantur in ordine ad aliud quatenus videlicet magis aut minus aptæ sunt erroribus perferendis. Eodem tendunt, neque aliud probant allata in vtramque partẽ tum ex 10. method. tum ex 3. epid. exempla. Dicam interim temeritati proximum esse patienti, victus penuria mortis imaginem scienter obtrudere, Audax proinde Galeni facinus, in alio quàm experientissimo Medico, qui maledicis detractorum & maleuolorum susurris amplius non sit expositus, imò quâm in Galeno ipso vix ferendum. Nusquam verò in eas ruet angustias, qui à tenuiore victu nonnihil defecerit. Quanquàm grauiorem cladem inferet, quæ nulla fortassè possit industria reparari, quisquis debita moderatione, in corpore grauiter afflicto plurimum excesserit. Quemadmodum Philonis filia suo infœlici exitu posteris testatum reliquit, cui cùm sanguis è naribus largè flueret, summa expectatione valetudinis affulgente sep-

3. Epid.

tima die intempeſtiuè cœnauit, & mortua eſt. Apollonij quoque meminit in Epidemijs noſter Hippocrates, qui poſt intempeſtiuum aquæ potum, & bubulæ eſum exiguo primum calore obſeſſus decubuit, deinde cùm lacte vſus fuiſſet ouino, & caprino, coctis crudiſque, copioſè & victu malo, exacerbata febre, deteriora ſequuta omnia, ac tandem quarto & trigeſimo interijt. Sed praua hæc viuendi forma, ſanis etiam & robuſtis parum tuta fuerit, multò minus ægro iam & debili corpore approbanda. Philiſtæ ibidem percenſetur miſer exitus. Qui capitis dolore iamdiu & veterno afflictatus, continuas ſibi febres poculis adſciuit, moxque quinto ſumma luce animam efflauit. Exſtinctum præterea quendam die vndecima legimus, qui poſtquam caleſcens cœnaſſet & potaſſet largiùs, noctu acuta febre correptus eſt, de horum altero loquitur fortaſſe Fuchſius: neuter tamen ex intempeſtiuo ſolum victu hoc eſt, extra tempus ſumpto ſed ambo ex vberiore potu & alimento mortem ſibi conſciuère, neque ſi ex intempeſtiua dumtaxat cœna malum prodijſſet, in nos procederet argumentum, intempeſtiuum enim cibum nos vnà cum Fuchſio improbamus. quanquàm de ipſo in præſenti, vti neque Hippocrates, diſceptamus? Niſi fortè intempeſtiui nomine vberiorem intelligat Fuchſius, hanc enim ſignificationem genericè ſumpta illa dictio admittit? Clariùs tamen & diſtinctiùs

3. Epid. parte 3. comm. 84.

Parte 2. text. 1.

1. Epidem. parte 3. textu 29.

commentatori loquendum fuit.

Non aliud quicquam concludunt obiectæ rationes quàm auctores allegati. Nam si plusculum concesseris, non ita suo ab opere auocatur natura, quin concoqui perfectè morbus queat, & tandem superari, at retardetur coctio, quid incõmodi? modò ne quid grauiùs patiatur æger: sanetur tardiùs, modò securiùs. Non enim morbum grauiter exacuit aut symptomata, paulò plenior cibus. Ea scilicet copia ingestus quæ à calore ferri possit & digeri, quam sanè haud obscuris coniecturis præscripserit Medicus rationalis & prudens: at causæ (inquiunt) malignitatem non obtundit, auget potiùs materia addita: negamus: Quod magis est facultatum principum virtutem mirificè recreat, & refouet, quà refocillata, perniciosissimi hostis insultus, quantumlibet malignus valentiùs propulsatur. Huius rei fidem facit testis omni exceptione maior Galenus. Qui in peste illa diuturna fortiores qui vim sibi ipsis afferentes cibum oblatum assumpserunt, omnes ferè superstites fuisse asserit. Galeni testimonio, & propria fortasse experientia doctus Auicennas auctor est, peste correptos, dum pro virili se se ad cibos inuitant, à morte plerumque vindicari. Amborum auctoritatem sequuti posteriores Medici pestilentia detentos ad cibaria cogendos mouent. At quorsum in singulis immororrata hæc apud me conclusio. Febrilem calo-

3. Epid. comm. 3. tex. 58.

rem æque imo amplius quàm tenuis moderatur victus paulò plenior, qualitate frigidus & humidus: Exhaustam ab ardore febrili corporis humiditatem humore alimentitio instaurat, eademque opera naturæ robur excitat & restituit, nullo insigni detrimento, nullo ignei caloris incremento. Laudabili succo replet inanita vasa, cuius benefica permixtione, maligni humoris venenata qualitas attemperatur & cohibetur. Seruato semper eo quem diximus quantitatis modo.

Quæ inde emergent excrementa, tantum negotium non facessent, vt purgante medicamento debeant extrudi, sed aluo per se non respondente, satis fuerit quæ in primis occurrent vijs, blando humectante & refrigerante (si ita res exiget) clystere subduxisse, si quid reliquum erit, aut altius impactum prodeuntibus coctionis indicijs vnà cum morbifica materia tuto expurgabitur. Productum extremo loco sanorum exẽplum è re nostra est, cùm certum sit à paulò vberiore cibo, quàm à tenui, multò minus offendi eos qui prospera sanitate perfruuntur. Si quid probat aduersa ratio, nos nihil cõmouet. Procedit solummodò in helluones, qui porionibus ac edulijs se se penitus ingurgitant, quorum nihilominus quãplurimi ad decrepitam perueniant ætatem, hincvulgaris paræmia, plures ebriosi, quàm Medici senes. Dices cum Fonseca, potiorẽ indicatio-

nem à morbo ſumi in acutis ad victum eximendũ, quàm à viribus ad exhibendũ, ergo ſatius eſſe ad tenuem quàm ad pleniorem propendere.

Antecedẽs admittimus, quam ob cauſam dum paulò pleniorẽ cibũ imperamus in tenuis victus terminis proximè ſubſiſtimus: Quod ſi quando ab ijs recedimus lõgius, vrgenti vtilitati ſeruimus. Poſſumus aliter diſtinctione adhibita ſatisfacere, ſi dicam⁹, virtutẽ in ſe ſpectatã ſi vſque ad morbi exitum, cùm exacta victus ratione ſufficiat morbi indicationẽ non euertere: reſpectu tamen errorum qui plerumque cõmittuntur expoſcere aliquid, ne grauius ipſa laceſſita, duplicique onere preſſa, ſuccumbat.

Maneat itaque firma ac indubitata hæc ſæpius repetita concluſio, tutiùs & conſultiùs fore, ſi in paulò pleniorem, quàm in tenuem victum perpetuò feramur, quoniam is magna ex parte ab erroribus eſt tutior. Quanquam tenuem non recuſamus, imò verò ipſum alteri in acutis affectibus anteferendum putamus, dummodò ea prudentia & conſilio imperetur, vt vires collabi funditus non ſinat, neque ſubſtantiam corporis abſorberi. Eàque ſollicitudine componantur externa omnia, nullum vt delictum penitus admittatur. Illud in noſtra ſitũ eſt induſtria. Iſtud miniſtrorum, muliercularumque imprudentiæ, & voculis importunis ſubiacet, ac cæcæ libidini ægrotorum, quibus omni-

bus & salutem ægrotantis credere, & propriam existimationem vltrò exponere vix Medici prudentis æstimarim; quamobrem paulò pleniore alimonia aduersus errores ægri præmuniantur.





Ἐς δὲ τὰ ἔσχατα νοσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισαι.

Ad extremos autem morbos extrema ad amuſſim remedia optima.

Commentarius.

DIxerat Aphoriſmo quarto diuinus ſenex, extremè tenuem victum periculo non vacare, vnde arrepta occaſione arbitrati fortaſſe fuiſſe nõnulli, eiuſmodi viuendi ratione vti tutum nuſquàm fore, eius proinde contrarium in ſequenti Aphoriſmo particulatim edocet, præmiſſo nunc generali præcepto, ex quo illud alterum deducitur. Monet itaque in præſenti quibuſcunque extremis morbis extremas in vniuerſum medicationes conuenire, ſiue Pharmacia, ſiue Diæta, ſiue Chirurgica operatione ſimul, aut ſeorſim procedendũ ſit: Hæc enim omnia θεραπείας nomen recepta

cepta ſignificatione cõprehendit. Huius præcepti veritas, quò clariùs eluceſcat quatuor examinabimus ſequenti capite proponenda.

Quæſtionum ſeries & ratio.

Breuis hic Aphoriſmus non pauca ſuo ambitu includit: Nos illius terminos quæſitis quatuor quibuſdam veluti ſeptis circumſcribemus. Primum erit, quid ſit extremus morbus, & quæ illius ſpecies? Alterum quid ſit extremum remedium, & quæ ipſius differentiæ? Tertium vtrum extremis morbis extrema dumtaxat ſint adhibenda remedia. Denique vtrum fortius à debiliore pati poſſit? His tota Aphoriſmi doctrina continetur quorum per ſe ratio manifeſta. Ergò ad primum veniamus.

Quid ſit extremus morbus, & quæ illius ſpecies?

QVÆSTIO PRIMA.

Morbos extremos vocat Galenus, vltra quos non ſunt alij, hoc eſt qui ſuo in genere grauiſſimi ſunt. Quæquidem deſcriptio ne quam difficultatem pariat, notã-

dum est magnum & summum esse comparata, quæ sola maioris aut minoris ratione differunt, ex quo sequitur morbum etiam magnum ab extremo non alia ratione discrepare. Quemadmodũ igitur magno morbo addita huiusmodi differentia summum constituit, vt aliud nihil sit morbus extremus quàm extremè magnus, pari modo si hanc ipsam magni morbi definitioni adiunxeris, extremi definitionem habebis absolutam. Magnum morbum definiuimus in superioribus eum qui magnam vim possidet, & grauiter affligit infestatque corpus, itavt de salute sua periclitetur, Ex hac itaque definitione morbi extremi definitionem ita conficimus; Extremus morbus est, qui summam vim possidet. Estque summè periculosus.

Clariora sunt ista quam vt diligentiori explicatione indigeant, tria tamen interim animaduerti velim: Primum est extremi nomine non eum solum intelligi qui præsens est quem actu vocant, verum etiam qui in potentia proxima, veluti ex Hippocratis & & Galeni doctrina prius demonstratum fuit, cùm de magni morbi indicatione ageremus. Huius gratia Athleticum habitum insigni sanguinis euacuatione minuimus, Et morbis turgentibus etiamnũ incipientibus statim initio valentissimum medicamentum propinamus. Alterum animaduersione dignum est differre morbum extremum ab exactè peracuto, eo modo quo magnus discrepat

ab acuto. Nimirum tanquam genus & speciem magnus est quisquis acutus est: Extremus est quisquis exactè peracutus; at non vice versa: Acutus enim & peracutus, præter magnitudinem motus etiam celeritatem includunt: vti luculenter anteà, contra Argenterium disputatum fuit. In cuius sententiam deduci fortasse potuisset aliquis inspecto Galeni in nostrum Aphorismum commentario, in quo solius peracuti mentionem facit. Quasi idem omninò esse autumet extremum & peracutum, verum Hippocratem ipsum sequutus, generale præceptum particulari eorum morborum confirmauit exemplo, quorum gratia potissimum instituta videbatur oratio. Postquam enim ab Hippocrate dictum est. Morbis in vniuersum extremam conuenire medicationem, subiungitur illicò morbis idcircò peracutis, quoniam protinus extremos labores habent summè tenui victu vtendum esse.

Quamobrem doctissimo Fernelio assentiri non possum (quem aliàs tanquam summum Galliæ atque adeò vniuersæ Medicinæ decus veneror & admiror) dum extremis morbis, ideo extrema remedia diligentissimè putat applicanda, quod præcipites sint & acerrimi, vt Apoplexia, quique breui oppressuri sint vires, atque calorem extincturi. Reperiũtur enim inter extremos non pauci qui in longam temporum seriem protrahuntur.

Animaduertendum tertiò non eundem

esse morbum extremum & desperatum. Distinctionem vtriusque petimus ex postremis verbis in definitione positis. Extremus sanè grauissimis periculis est obsitus, plenus in ipso terroris exitus, at quantumcunque tandem est metus, dubia saltem futuri boni expectatione recreatur. Desperato nulla spes affulget recuperandæ salutis. Priori non sunt deneganda remedia, imò verò summis machinis, omni tum contentione decertandum, tentanda etiam extrema. Huius ne suscipiēda quidem curatio, sed absistere cum ea prædictione conuenit, qualisnam scilicet morbi sit futurus euentus. Si quidem imprudentis consilij fuerit apud vulgum infamare præsidia, quæ multis sanitatem attulerunt. Hæc circa morbi quiditatem. Non alia modò via in disquirendis extremi morbi speciebus progrediendum est, quot enim magni morbi differentias percensuimus, totidē extremi sunt admittendæ. Diximus triplicem ob causam magnum morbum appellari, vel propter suam essentiam, quando videlicet natura sua talis est, cuius generis sunt acuti omnes. Vel propter affectæ partis dignitatem & præstantiam; Quam ob causam quantumlibet exigua cordis vulnera in magis affectibus computantur, id quod de fracturis capitis quantumvis leuibus practici communiter sentiant. vel denique propter causarum & symptomatum vehementiam, vt puta dolores, vigilias insignes, principum functio-

Galenus 2. Aphoris. comm. 29. Galen⁹ 11. Method. 9.

num ablationem, humorum, vaporumve aut etiam externorum, aëris scilicet, aquarum, ciborumque Cacoethiam & prauitatem, qualis in venenis, in malignis vlceribus, in Epidemicis morbis deprehendi solet. Harum causarum vnaquæque cum ad summum deducta est, summam impendentis ruinæ suspicionem & metum inuehit, summi proinde morbi seorsim propriam differentiam facit.

Primi generis sunt peracuti: Alterius obstructiones vniuersi cerebri, á quibus oriuntur Apoplexiæ non quidem fortes (illas enim desperatas censet Hippocrates) at mediocres saltem. Postremi pestis cancer, & quæ à venenis potentibus inducuntur ipsa quoque Apoplexia. Huic tripartitæ diuisioni quartum fortasse membrum adiunget argutus aliquis à motus celeritate deprompum, probabili ista ratione persuasus. Si verum est ex periculi grauitate morbos magnos extremosque æstimari, quæcunque periculum adferunt vel adaugent, nouam eorum differentiam constituunt; sed velocitas motus breuitasque temporis iudicium medentis præueniũt, atque occasionem præripiunt ea peragendi quæ ab arte imperantur: Hinc extrema quãdoque pernicies oboritur, ipso Hippocrate præcipitem occasionis lapsum, tãquam summæ difficultatis ansam proponente. Vltrò nos admittimus periculi grauitatem ab hac velocitate adaugeri, imò etiam non rarò

excitari; at non ex ſe tamen: ſola enim velocitas aut breuitas periculoſum ſuapte natura morbum non procrearit. Id quod in Ephemeris & Tertianis exquiſitis euidenter cernimus: Ex ſe igitur & natura ſua proprium magni extremique morbi differentiam non proferet, ſed tantum cæteris præfatis addita certam quandam ſpeciem conſtituet á magno ſimul & Chronico affectu diſcrepantem.

Contra hunc ternarium numerum inſtabit vlterius hoc argumento: vel commemorati affectus in extremis habendi non ſunt vel falſa diuini Hippocratis in hoc Aphoriſmo ſententia: Non enim poſitis eiuſmodi caſibus in extremis perpetuò remedijs verſamur, lenioribus illi quandoque tutò, citò, & iucundè profligantur. Hanc difficultatem propria quæſtione diluemus, ſi prius quid magnum remedium vocemus, & quæ ſint eius differentiæ, breui fuerit oratione declaratum.

Quid ſit extremum remedium, & quæ ipſius differentiæ?

QVÆSTIO SECVNDA.

Breuioris & facilioris doctrinæ gratia, repetendum ex ſuperioribns morbum, vt pote naturæ infeſtum, ſui expulſionem

indicare. Expulsionem solis contrarijs perfici, quorum ea natura est, vt simul eodem in subiecto subsistere non possint, quin ex mutua æqualium pugna moderatio quædam oriatur, aut depulso altero penes fortius sit victoria. Quodcunque igitur à morbo indicatur, morbo contrarium sit, necesse est, quod verò morbo contrarium, præsidij nomine donari. Ex cõsequenti quot indicationum totidem sunt etiam remediorum differentiæ, iunioribus dilucidè rem explico.

Morborum alij sunt facti, alij incipientes aut impendentes. Factorum alij curationem integram admittunt, alij nullam: cæteri curari quidem exquisitè nequeunt, possunt tamen impediri ne quam grauiorem inferant cladem, potest quod ab ipsis imminet exitium retardari. Qua ratione occultos cãcros non esse curandos suadebat Hippocrates, curati enim citius intereũt, non curati vitam longius protrahunt.

Incipientes & impendentes sui præcautionem indicant: præcautio fit ablata causa. Quæ huic indicationi satisfaciunt remedia προφυλακτικὰ appellantur.

Facti morbi quandiu spes emicat restituendæ sanitatis, sui curationem indicant. Curatio morbi depulsio est, quæ id efficiunt præsidia, θεραπευτικὰ dicuntur. Desperati, quoniam spem omnem salutis abripiunt, medelam pariter omnem respuunt soli prognostico relinquendi.

Postremi qua parte sanari nequeunt, eandem cum desperates normam subeant. Verum quatenus Symptomata ab ipsis inducta vel eosdem concomitantia cohibere licet, & futurum exitium remorari, auxilia postulant vulgò palliatiua siue demulcentia nuncupata.

Remedium porrò id omne generatim dicimus quod aut morbo, aut morbificæ causæ, aut Symptomatis subuenit. Magnum remedium, quod magnis affectibus: Extremum, quod extremis suam præstat operam. Sunt itaque morbus extremus & extremum remedium correlata. Quemadmodum igitur summa vi pollent summi affectus naturæ oppugnandæ, summis quoque facultatibus, quæ illis aduersantur sint prædita necesse est.

Ex tribus autem fontibus ipsa eruuntur, quorum sigillatim vnumquodque propriæ indicationi tribuitur, quædam sunt Pharmaceutica, quædam diætetica, quædam Chirurgica.

Quæ à Pharmacia depromuntur, aliàs sopitum quodammodo vel oppressum ac penè extinctum calorem natiuum excitant. Veluti aquæ illæ theriacales, cælestes, imperiales, ex effectus quem proferũt singulari præstantia vocatæ. Idem præstant olea (quas essentias nuncupant) arte chimica extracta: Aliàs corporis sensus dolorum vehementia grauissimè oppetitos, stupidos atque insensiles reddunt, blandoque sopore inducto spiritus

recreant & reficiunt: qualia sunt Opiũ, Mandragora, Meconiũ, atque ex his paratæ confectiones. Aliàs venenis obsistunt: sic venenatis animalium morsibus confectio ex viperis magno successu propinatur, quando vt cuneus cuneo, clauus clauo, venenum veneno propellitur: cœteris malignis & venenatis affectibus Antidoti & insignia Alexij pharmaca præter Teriacã à maioribus nostris fuère præscripta. Aliàs humorem altiùs impactum potenter exciunt & exturbant; cuiusmodi Helleborus præsertim albus, Laureola, Tytimali species, Euphorbiũ, Antymonium, Mercurius assumptus, atque ex eodem inunctiones cæteraque valentissimè purgantia. Ad hunc ordinem pertinent Pyrotica, quæ etiam insignes intemperies frigidas corrigunt & immutant, quanquàm horum quàm Catharticorum vis alia est, agendique modus planè diuersus.

Quod ad diætam attinet vnica vict⁹ forma extrema censeri debet, victus nimirũ tenuissimus seu omnimoda inedia: etenim vltra hanc reliquarum nulla, vltra cæteras omnes hæc vna reperitur.

Quæ ex Chirurgia desumuntur, aliàs vehementissimis doloribus inflammationibus & febribus compescendis subseruiunt, in quibus sanguinem vsque ad Lipothymiam detrahemus. Hoc remedio Synochum quasi miraculo nõ tam sanasse quàm iugulasse visus est Galenus. Nonnunquam pus aut aquas è

9. Methodi, 5.

corpore extrahũt, quam in finem Empijcos secamus, & in hydrope paracẽthesi vtimur. Aliàs virus omne atque adeò exuberantem humorẽ penitus absorbent, id quod candente ferro potentissimè operantur. Aliás denique excedentem carnis molem putridãque vlceris partẽ resecant, ne vel põdere vel contagione reliquis impedimentum aut perniciem adferant, aut debitam membrorum conformationẽ vitient atque deturpent. In quos fines vlceratis cancris sectionem atque vstionem adhibemus, & sarcomata rescindimus, quanquam integri alicuius membri resectio, æquiuocè curatio est eo modo quo demortui cadauer hominis appellationem sortitur; si quæ alia præter enumerata reperiantur, poterit ea ex se se imitatione Medicinæ studiosus in proprium ordinem reuocare.

Obiecerit forte quispiam primùm falsò nos victus rationem in remediorum numerum adscribere, quod conseruandæ facultatis non depellendi morbi gratia ipsa decernatur, nos enim tenuem victum à morbo non indicari iam anteà ostendimus. Neque quicquam in victu reperire est, quod morbo aduersetur. Itaque si contrariũ indicat morbus qua ratione victum tanquam contrarium indicabit. Eodem referri possunt medicamenta illa Cardiaca appellata quæ relicto morbo virtutem reficiunt atque sustentant, proindeque remediorum appellationem non

merentur. Præterea perperam omnimodam inediam videmur ad diætam retulisse: enimuerò quo modo victus species illa erit, in qua victus nihilomninò conceditur; nisi pari ratione euacuationem aut purgationem voces, vbi nihil è corpore quacunque via educitur.

Denique non pauca eorum quæ recensuimus, leuioribus etiam affectibus, aut saltem mediocribus communiter accommodantur, nam veteris Andromachi Theriacam quartanarijs exhibet Galenus. At quartanā simplicem nemo vnquam extremum, imò ne magnum quidem morbum æstimarit, quam cæterarum ferè febrium securissimā esse fatentur omnes ex quo profecto consequitur extrema non esse remedia, vt pote quæ ab exiguis affectibus indicantur. Ad primum respondemus propriè & strictè loquendo, victus rationem è remediorum genere non esse, quoniam ipsa sub virtutis indicatione continetur, si vero generaliter remedij appellationem sumamus, pro omni eo quod restaurandæ retinendæque sanitati quocunque modo operam confert, non solùm è genere remediorū erit viuendi forma, sed inter remedia præstantissimū, vt quæ virtutē sustinet & refouet, quâ deuictâ atque prostrata nulla vitæ spes reliqua est. Quid quod à Galeno dictū summas ægritudines sola victus conuenienti ratione quandoque profligari: mediocres adhibitis etiam legitimis præsidijs

1. ad Glau. conē & de prognost. ad Posthumum.

Hippocr. 1. Epidemior. parte 3. t. 4.

neglecta viuendi regula plurimum increſſere? Addo deſumptam à virtute diætæ indicationem poſtmodum á morbo tanquam contraindicante limitari. Huic determinationi quæ à morbo petitur, quatenus reſpondet victus quantitas, pro remedio habenda eſt, maximè cùm primariæ indicationi contraindicatio præpolleat. Denique à morbo victus qualitas determinatur, victus enim humidus febricitantibus imperatur.

Cardiacorum longè diuerſa eſt ratio: nam præterquãquod occulta vt loquuntur proprietate, ſiue à tota ſubſtantia facultatem iuuant, manifeſtis quoque agunt qualitatibus, quibus tum morbi, tum morbificæ cauſæ impetum retundunt. Horum quædam adſtrigendi vi quâ pollent laxatas partes roborant, ſpirituum diſſolutionem cohibent, ſuauiſſimis vaporibus (quales efflant Aromatica omnia) tetrorum vaporum & fuliginum è prauis humorib⁹ excitatorũ, vim maleficã leniũt & refringũt: humores ferociẽtes attemperant, in putredinem pronos ſua ſiccitate á putredine vindicant. Denique nihil eſt ferè quod manifeſtis eorum qualitatibus non debeatur.

Ad ſecundum dicimus omnimodam inediam, ſub diæta conſtitui quoniam ad eandem artis partẽ ſpectat animaduertere, quid, quantum, quale concedendum ſit, cæteraſque in victu neceſſarias conditiones expendere, ſub quantitatis verò conſiderationem

cadit, multum ne an parum, aut nihil penitùs offerendum sit definire. Ad faciliorem intellectum, rem ita distingamus, victus vel pro cibo sumitur, vel pro ea therapeutices parte, quæ circa cibos occupatur. Si primo modo sumatur inedia, victus non est, sed victui priuatiué cõtraria: altero modo victus reuerà est, hoc est viuendi forma quæ sub diætetica cõprehenditur. Euacuatio & purgatio solam dicunt actionem hoc est eorum quæ in corpore continentur exclusionem.

Vltimo Argumẽto satisfiet si dicamus nihil inconuenire, quò minùs in extremo remedio inueniatur aliquid, quod leuioribus affectibus tutò ac vtiliter applicetur. In ijs potissimùm compositionibus, quæ pro simplicium selectissimorum varietate & præstantia parẽ cum Theriaca in varijs affectibus facultatẽ sunt sortitæ, quas ideò πολυχρήστας nominare licet,

Dicet quispiam sumpto à minori ad maius argumento, eius quod obiectum est contrarium potius ita concludi. Si extremum remedium summis affectibus subuenit, subueniet multò magis leuioribus, vt longè difficilius Lernæam belluam, aut Nemeum leonem, quam vel muscam vel formicam debellaris. Faciliùs est quidẽ leuiori morbo, quàm grauiori occurrere, verum sicuti ridiculum foret Claua Herculea, aduersus debilissima animalcula se se armare: sit & imprudentis Medici lenioribus sanare tutò cùm possit

ad extrema deuenire. Quin etiam propositorum exemplorũ dispar est ratio. Non enim vt Claua Herculea muscam nullo negotio confeceris, sic leuem quemlibet affectum violento remedio sustuleris. Leuia vlcera nimium exsiccantibus erodentibus & causticis efferantur: violenta purgatione agitatus qui Ephemera detinetur, in continuam fortasse febrem delabetur, tenuissimã exactè diætam vix feret qui tertianam patitur, quin in hecticam deuoluatur.

Concludimus ergò aliqua extrema remedia, at non omnia morbis leuioribus quandoque non inepta esse, quemadmodum morbos extremos leuioribus nonnunquam præsidijs depellimus, quanquam obiectioni distinctione adhibita satisfacere commodè possumus. Quandoquidem duplici modo blanda possunt medicamenta appellari, mole scilicet, aut propria facultate. Sua virtute leuia vocamus, quæ suapte natura talia sunt, vt lenientia Pharmaca, aut blandè purgantia, vel mediocriter alterantia, vt quæ secundùm ordinem non exuperant, mole dicuntur mitia & blanda, quæ licet natura sua in extremorum album referri debeant, parua tamen quantitate administrata, extremos illos & violentos suis viribus respondentes effectus non exerunt: vel etiam aliorum permixtione retunduntur, qua ratione turbit, Colocinthis, Scammonium, aliaque validissimè purgantia, compositionibus illis

inferuntur, quas vulgò in leuissimis affectibus propulsandis vtilissimè impedimus. Pendet etiam ex alia distinctione difficultatis solutio, hoc præmisso, è morbi ratione esse vt affligat molestetque corpus: id quod vel sua vi efficit, vel temporis diuturnitate, vt enim leui quantumlibet sarcina longo in itinere premimur, pari modo exigua quantumuis afflictio diutiùs protracta, grauiter afficit. Qua igitur ratione qui summa vi naturam appetunt affectus summos appellamus, non absimili contumacissimos, quamuis ex se debiles & exiguos dicere extremos quodammodo possumus, quibus commune illud ferè est cum verè extremis, vt non nisi extremis remedijs cedant. Sic Herpetas cōtumaces causticis, Theriaca quartanas, & leuiores persæpè affectus sectione aut vstione profligamus. Verùm quoniam accidens est quoddam morbi extremi temporis longitudo, vti & breuitas, quamuis in extremæ contumaci locum habeat noster Aphorism⁹, differentiam hanc præcedenti quæstione obmisimus illas enumerasse contenti, quæ vel ab ipsa morbi essentia desumuntur, vel eius essentiam proximè attingunt, de quibus potissimum sequens erit controuersia.

Vtrum extremis morbis extrema dumtaxat remedia ſint adhibenda.

QVÆSTIO TERTIA.

NOn deſunt probabiles in vtramque partem dubitãdi rationes: ſtant hinc indè auctoritas, experientia, ratio.

Et quidem (vt pro affirmatiua primum diſputemus) quid hoc noſtro Aphoriſmo clariùs enunciari poteſt? Qui extremis morbis extrema remedia exquiſitè iubet adhiberi. Interim dictionis illius ἐς ἀκριβείην Emphaſis prætereunda non eſt, quæ idem ſignificat atque exactè, exquiſitè, & ad amuſſim, ſiue, vt Fernelius loquitur, diligentiſſimè, quaſi exacta trutina morbi violentiam, cum remedij facultate penſitari velit. Quomodò interpretatur Galenus, cùm pro extremis exquiſitè ἀκριβεστάτας ponit hoc eſt exquiſitiſſimas. Quamobrem Medico ſatis eſſe negat intellexiſſe. Contraria contrarijs curari
9. *Methodi.* 15. niſi pariter naturam ſanandi corporis internoſcat, vt receſſu cognito atque perſpecto, modum remedio imponat. Non enim ſatis eſt (inquit) calido affectui admouiſſe frigida, niſi debita menſura fiat. Rationem reddit. quoniam ſubeſt vtrobique non leuis

aberrandi

aberrandi metus, si infra modum substiteris ne morbi aliquid aut morbificæ causæ relinquatur; Sin modum excesseris ne contraria intemperies inducatur.

Sed & tritum illud est in Philosophia naturali, omnem actionem fieri à proportione maioris inæqualitatis. Igitur si extremis morbis leuia applicueris præsidia nihil effeceris, quandoquidem vbi deest proportiò, ibi nulla actio, imò verò penes fortius erit victoria. Naturam scilicet destruet morbus, vnàque medicamenti vires expugnabit. Hac ratione debilia purgantia, humorem altius infarctum magna corporis perturbatione exagitãt, non depellunt: aut euicta in expurgandi humoris naturam facessunt, nouaque accessione causæ morbum vehementer exasperant. Equidem vt fornaces videmus affusa paulatim aqua vehementius accendi: sitim exigua potione cum violenta est, adaugeri: Sic magnæ inflammationes leuium frigidorum admotione, ardentissimæ febres, mediocriter attẽperantibus apozematis excandescunt. Omnẽ porrò dubitationis ansam præripuit diuinus Hippocrates, dum generale præceptum hoc Aphorismo propositum vsu exemplisque confirmauit. Nam peracutis morbis tenuissimum victum imperat sequenti Aphorismo. Euacuationes ad Lypothymiam vsque approbat paulò inferiùs. Sectionem atque vstionem in Empijs & Hydropicis non reijcit, quin etiam vtriusque perficiendi methodum

Aristote. 3. Physicor. t. 12. 1. de generatione. t. 26.

1. Aphorismorum 23 6. Aphorism. 27. Lib. de internis malis de locis in homine. Celsus lib. 3. cap. 22. Paulus aegineta. Libro 6. Capite 44 & 5. 1. Aphorism. 3. 2. Aphorism. 51.

edocet. Cui⁹ auctoritatē postea Celsus & Paulus adeóque quotquot medicinā faciūt sunt secuti. His alijsque rationib⁹ nituntur, qui se Hippocraticæ doctrinæ sectatores profitētur.

Contrarium nihilominus tuentur nōnulli, ipsumque Hippocratem testem citāt, atque vnà ad rationem & experientiam prouocant.

Primum quidem extremas vacuationes periculo non vacare paulò antè didicimus. Quam sententiam posterius repetit Hippocrates, & illustrat exemplis.

Ex quibus vniuersale tandē documētum colligit huic Aphorismo è diametro contrarium.

Plurimum (inquit) & repentè vacuare, aut replere, aut calfacere aut refrigerare, aut aliter quomodocunq; corp⁹ mouere periculosū: Et omne nimium naturæ inimicū: At quod paulatim fit tutum. Ecce vt manifestè extrema quæcunque remedia improbat.

Quanquam verò summæ intemperiei frigidæ contraria calida paribus gradibus opponere fortassè licet, quod simul & semel debilis natiuus calor, caloris extranei præsentia recreetur, & ad conuenientem Symmetriam corpus traducatur: Idipsum tamen in calida discrasia frigidis tentare securum non est. Ne dum intemperiem infrigerantibus adorimur, calorem innatum pariter extinguamus. Quemadmodum igitur hoc casu posito, in mediocriter refrigerantibus fœliciter versamur, ac sensim siue sensu tutò ac iucundè feruorem igneum compescimus:

Eadem ratione frigidam intemperiem moderatè calidis propellere licebit. Temerariũ proindè fuerit aperto periculo iacentẽ submittere dum grauiora experiris. Exempla si lubet ab externis ducamus. In feruẽtis aquæ lebetem tepidam si inieceris, feruorem cohibebis. Affusa vino generoso, quanquam inæquali mensura, frigida, illius vires imminuit. Quidni igitur parem medicamentis alterantibus facultatem tribuemus?

Quæso respondeat aliquis supposito ad tertium gradum febrili excessu, si exhibeantur quæ refrigerent in secundo, sequeturne actio? si neges: Ergò subsistere simul poterunt contraria inæqualia. Sin affirmes; Ergò patietur aliquid febrilis calor; nulla siquidẽ huiusmodi actio sine passione, seu reactione, vt infrà ostendemus. Dices penes igneum calorem vt pote fortiorem, victoriam remanere. Manebit sanè, ita tamen vt aliquid de suo deperdat: Iam quod perfici actione vnica non potuit, iteratis commodè explebitur. Verùm ad purgantia veniamus. Quotusquisque ille est qui prudentis Medici nomen & dignitatem inuiolatam tueri, & maleuolas obtrectatorum voces effugere cupiet, imo & iustam fortè aliter sentientium reprehensionem qui medicamenta ea quæ propter effrenatam violentiam à recto & communi vsu recesserunt, circulatoribus, omnisque generis Empiricis familiaria, verè extrema nuncupanda, ausit in praxi vsurpa-

re? si quæ valentiora propinamus, tanto id fit apparatu vt vel aliorum immistione, vel alia quauis parandi ratione, in benigniorum aut saltem mediocrium purgantium ordinem possint referri. Demus sane extremorum id gen⁹ vsum etiam integrorũ doctos & experiẽtes viros non aspernari. Concedent ea quantitate, quæ ad extremas purgationes non deducat. Purgationem enim extremam quis vnquam molitus est? Quis expurgãdi corporis naturam, humoris quantitatem, Cathartici facultatem, ita exactè metiri, & ad amussim definire potest, vt pro summa purgatione superpurgationem facilè non incurrat? Euacuationem quidem sanguinis ad Lypothymiam cõmendat Galenus, sed quãta cautione adhibita? tanto etiam metu, vt non tam posteros ad eam incitasse, quam periculi grauitate proposita ab eadem deterruisse videatur. Vtile est autem (inquit) pulsuum diminutionibus animum aduertere tangendo eas fluente etiamnum sanguine, ne videlicet nec opinantibus nobis pro animi deliquio mors occupet, quod sanè tribus euenisse Medicis noui. Pertimescendũ certè est non mediocriter eiusmodi casu, ne pro animi viriumque defectione quam Lypothymiam aut Lypopsychiam vocant, syncope, hoc est præceps, omnium virium exolutio ac demum mors inopinata succedat. Hæc atque alia id genus, vltrò citròque obiectari solent firmissimis innixa principijs. Ad

Libro. de cur. ratione per sag. miss. c. 12.

quorum explanationem clariorem prælibanda sunt nonnulla quibus ambiguitas tollatur.

Admittendum in primis illud est, extremos morbos ex se se & natura sua extrema remedia indicare. Rationem in præcedentibus hanc attulimus, quoniam morbus vt poté naturæ contrarius sui expulsionem, atq; ex consequenti, illud indicat à quo expelli potest: At quod suppar infirmiusque morbo est, hunc quidem minuit, sed non prorsus, aut citò tollit: Quod verò par est, & æquali recessu contrariam morbo obtinet qualitatem, illum in vniuersum eximit atque persanat. Igitur sibi æquale remedium natura sua postulat morbus; vt ergò magnus magnum: ad eundem modum extremus, extremum exposcet, Hanc tamen indicationem non ita strictè & superstitiosè obseruare licet, vt ne latum quidem vnguem ab ipsa discedendum putes. Adhibenda sæpè moderatio est vix enim citra corporis offensionem, & magnam perturbationem iacturamque naturæ, vniuersum repente demolimur quod in contrariorum validorum pari robore magna vi & vtriusque iactura decertetur. Quamobrem non nisi vrgente necessitate ad extrema recurrendum est; Si quando morb⁹ det inducias in inferioribus tantisper subsistendum: Quam normam suo non dicam calculo & suffragio, sed exemplo communiter approbant doctores, dum Narcotica reseruant in extremos vsus, nec nisi cæteris pri-

Galen⁹ 11. Method. 3.

Ferneli⁹ 1. Methodi 7

mum tentatis ipsa adhibent, ac summo vrgente prosternendarum virium metu, Imò ne tum quidem ipsis locum esse volunt nisi curiosè admodum atque artificiosè correctis & præparatis. Hanc eandẽ legem in aperientibus, detergentibus, alijsque ferè omnibus quæ manifestis agunt qualitatibus, obseruare consueuerunt. Neque verò est quod huius animaduersionis testem alium citemus, quã Galenũ, is enim de sãguinis ad Lypothymiam vsque profusione verba faciens, proposita periculi grauitate ita concludit. Quapropter satius est tam copiosa vacuatione abstinere nisi magna premat necessitas. Cuius ratio ab eo pendet quod à nobis anteà plurìes inculcatum, ab eodem Galeno post Hippocratem passim memoriæ proditum, primam scilicet potissimamque indicationem viribus deberi. Quam ob causam suppuratis & Hydropicis pus & aquam confertim euacuari vetant, neque summam euacuationem sanguinis, nisi hac conditione, approbat Hippocrates, dummodò scilicet æger possit tolerare. In quem finem pulsuum immutationibus mentem manumque admouet Galenus, quò certiore coniectura facultatis statum internoscat: innumeras proferrẽ aliundè conquisitas probationes, nisi consentientes hac in parte cernerem doctorum opiniones.

Libro de cur. rationeper sãg. miss. c. 12.

6. Aphorism. 27.

Galenus 7 Methodi. 5

Præter hoc habenda est ratio tum affectarum partium, tum vicinarum, maximèque nobilium, tum earum omnium quæ cum

ipsis communionem habent, tum ipsorum affectuum. Facillimæ (verbi gratia, vt Galeno verbis vtar (curatu sũt alterationes, quæ ex calido frigidoque consistunt, propterea quod maximè actiuis qualitatibus corriguntur. Ac tempus caloris frigorisque reparandi, par quodammodo, est securitas tamen impar. Nisi enim quæcunque ei quod curatur circumstant corpora valida planè sint, metus est ne ab ijs quæ refrigerant noxam contrahant non leuem: qua ratione vehementer frigida cerebro suspecta esse debent. pari modo si contrariam vicina membra intemperiem contraxerint, periculum subest, ne dum vni subuenis contrariorum æqualium admotione, alteram adaugeas. Imò verò si eandem intemperiem supponas puta, calidam, gradibus tamen in diuersis membris inæqualem, quod summè calefactũ erit summè refrigerantibus ad iustam temperiem reducetur, quod mediocriter calebit, in contrariam intẽperiem ruet: quam ob causam frigidæ liberaliore potu, contractam ex calore & siccitate ventriculi imbecillitatem persanatã memorat Galenus, gulam tamẽ ita perfrigeratam, vt neq; pristinæ temperaturæ ipsa restitui, neque is qui ita affectus erat potuerit à morte vindicari. Simili ratione vehementia illa Cathartica non feret debilis ventriculus, quæ alioqui humores impacti altiùs, & à primis vijs quàm longissime dissiti, grauitasque affectus indicabunt. *Galenus 7 Method. 8.*

Ad hæc peculiaris cuiuſque natura ſedulò examinanda venit? Nonnulli Pyrotica vel ex auditu perhorreſcũt: cœteri Phlebotomiam refugiunt: quibuſdam cane peiùs & angue Pharmaca ſunt exoſa, vſque adeò vt ne odorem quidem purgantium ferant, ſunt etiam occultæ quædam Antipathiæ; nonnulli denique mori potiùs quàm ſecari eligent. Sua itaque eſt pro ſuo cuique modulo decernenda curatio. Ad hunc ordinem pertinet conſuetudo, quandoquidẽ natura quædã acquiſititia eſt, maximi momenti tùm ad alia omnia, tùm ad euacuationis indicationem: Aſſuetos enim intrepidè euacuare conuenit modò cœterá conſentiant (inquit Galenus) cœteros, ne ſi alia omnia cõſenſerint. Conſententia porrò vel repugnantia, à quibus extremi remedij limitatur indicatio præter allegata hæc quoque à primarijs Medicinæ viris paſſim numerantur. Ætas, habitus, tempus cæteraque de quibus abundè ſatis in Aphoriſmi tertij explicatione diximus. Vbi ex Galeno didicimus pueros à confecta ſanguinis detractione arcendos, quorum ætati in decernenda inedia aliquod eſt condonandum. Hyeme quoque & vere, quibus tempeſtatibus natura calidiſſimi ſunt ventres, cibi non nihil acutiſſimis etiã febribus concedemus.

1. ad Glauconẽ c. 14.

Quæſtione 7. libro de cur ratione per ſãg. miſsionem

1. Aphoriſm 25.

4. Aphoriſm. 5.

Libro de cur. ratione per ſãg. miſsionem

A purgatione verò, copioſiſque vacuationibus ſub cane & ante canẽ abſtinebimus; mollibus & raræ texturæ, quoniam facilli-

mè dissoluuntur, parciùs id genus præsidia conferemus.

His ita constitutis depulsa tandem omni caligine affulget huic quæsito limpidissimum veritatis iubar. Cogente videlicet necessitate modò cætera consentiant summis exquisitè remedijs intrepidè vtendum. Præstat enim nonnullo virium dispendio morbum discutere quàm sinere, vt nullo subsidio vniuersæ vires mox collabantur & concidant. Sin protractior est affectus, aut inuenitur aliquid quod prohibeat in blandioribus aliquãtò tutiùs, & iucundiùs versamur, quanquam fortassè quandoque non vtiliùs.

Curationem quidem hac Methodo semel repente, ac vniuersim non assequemur: verum sat citò, si sat benè: iteratum leue remedium, finem optatum tandem proferet, & fortioris affectum vsu crebriore adæquabit. Id quod Phlebotomiæ purgationis, nutritionisque exemplo declarari potest.

Quisquis enim largam sanguinis vacuationem simul ac semel perferre nequit, aut purgationem vehementem, aut copiosius alimentum, ei quantùm vires ferunt detrahimus aut reponimus; Postmodum quod defuit iteratione supplemus, quam procedendi viam per Epicrasim vocant. Verùm circa alterantia oboritur non prætereunda difficultas. Ex argumento pro affirmatiua parte obiecto, in quo ex auctoritate Aristotelis vulgò à Philosophis & Medicis recep-

ta colligitur, debilius in fortius nullam exercere actionem, quoniam ex proportione maioris inequalitatis proficiſcitur actio. Quæſtio ergo eſt vtrum intẽperiem v. g. vt quatuor quæ inferioris ſunt ordinis, puta duorum gradium medicamenta iterata, poſſint ad iuſtam Symmetriam reuocare? hanc in ſequenti aperiemus.

Cætera argumenta vltrò citròque propoſita ex iactis anteà fundamentis nullo negotio refelluntur, aut ſaltẽ conciliantur. Nunc ad præfatam quæſtionem.

Vtrum fortiùs à debiliore pati poſsit, ac retundi?

QVÆSTIO QVARTA

AD huius quæſiti ſolutionem ſciendum eſt neceſſariam eſſe in omni actione reactionem, dummodo requiſitæ ad veram actionem cõditiones ſupponãtur? Quicquid calefacit, frigefit; & quod frigefacit, calefit (inquit Ariſtoteles) idem etiam Galenus ſua auctoritate confirmauit: ſed quid ex aliorum placitis dimicamus, cùm noſtras tuetur partes, magiſtra rerum experientia? Feruentis aquæ feruorem compeſcit immiſta tepida, quanquam hæc permixtione plurimum incaleſcit.

2. de ortu & interitu t. 48. Libro de temper.

In calentem ollam frigidum liquorem ſi

inieceris senties immutatam vtriusque qualitatem, in frigidam iniecta candentis chalibis lamina aquam calefacit, suo calore ab aqua vicissim retuso, Actiuarum qualitatum exempla proponimus, quoniam minùs euidens passiuarum est actio, quas proinde passiuas nuncupam⁹. Quanquam in ipsis quoque inuenitur reactio. Dicet aliquis refrigerari chalibem per accidens ab humiditate aquæ vti Neritensis somniauit, Quasi verò ab humiditate frigus inducatur, quã in aqua feruente cum intentissimo calore subsistere cernimus. Quid si contrarium supponamus ab aqua nimirum feruida calefieri chalibem vicissimque illam à frigido chalibe refrigari? Anne tum refrigerationem in siccitatem referemus? Quidni potius frigori vt pote actiuæ qualitati, quæ per se & directæ, in contrarium calorem agit, illam actionem tribuemus?

Dices à quo ergo chalibis ardentis feruor compescitur, si in feruentem aquam is deuoluatur! Non iam à frigore quod nullum in aqua persentitur, non ab aquæ calore, non enim calorem destruit calor. Ergò ab humiditate. Respondeo conceptum in candente chalide ignem ab aqua suffocari & extingui, chalibis verò calorem ad eum ipsum gradum reuocari, qui in aqua est, mutuoq; cõflictu, aquæ calorẽ à chalibis feruore intendi per se: qua in actione manifesta apparet reactio. Hæc porrò reactio in agentibus inæqualibus,

non minùs quàm æqualibus ipſo ſenſu dignoſcitur. Si enim æquali copia & receſſu conferantur inter ſe agentia, ex mutua quaſi colluctatione moderatio quædam orietur: ſic frigidæ calidaque permixtio æqualis, tepiditatem parit. Sin alterum altero ſit infirmius, penes validius erit victoria; Ita tamen vt eius vis non nihil infrigatur cõtrarij actione. Vt patet exemplo tepidæ, aut paucæ frigidæ in maximum calidæ lebetem iniectæ. In hac tamen inæqualitate proportionem ſeruari neceſſe eſt. Non enim ſi in Ætneos fornaces inſilierit formica (id quod de Empedocle ſcriptum comperimus) aut in ingentem aquæ feruidiſſimæ lebetem muſca iuuolarit, altervtrius qualitas tantillum imminuetur.

Requiritur quippè ad actionem Phyſicam determinata quantitas, quæ ne ab oculatiſſimo quidem naturæ contemplatore certò explicari poteſt.

Ariſtoteles 2. Phyſic. t. 20. & alibi. Præter quantitatem mutuus quoque contactus tam ad reactionem, quàm ad Phyſicam omnem actionem eſt neceſſarius, contactus (inquam) ſaltem virtutis? ſunt enim omnia natura conſtantia limitatæ virtutis, certis proinde ſpatijs, tanquam terminis & limitibus circumſcripta, quos actiuitatis ſphæram vocant. Si ergò ponatur agens bipedale frigidum, vt ſex, & paſſum ſemipedale calidum, vt vnum, aut contra, in ſumma diſtantia ad quam pertingere vis fortioris agentis poteſt, nulla ſequetur reactio.

Non enim ad tantum interuallū feretur virtus patientis. Sed neque his benè constitutis illicò reactio succedet, nisi agens & patiens materiem communem sint sortita.

Quid enim ab his inferioribus patiuntur cœlestes globi? Quid à materialibus immaterialia? Denique secundùm easdem qualitates fit reactio, dum enim à calore frigus remouetur vicissim à frigore calor repatitur. Itaque quod calefacit, refrigeratur ab eo quod calefit. Illa quæ secundùm diuersas fit qualitates, reactio propriè censeri non debet, vt falsò arbitratus est Calculator. A terra exempli gratia supponamus refrigerari aërem, & ab aëre terram humectari; Duæ tum erunt actiones realiter distinctæ. Idem existimandum est si diuersæ partes agentes statuantur sit ferrum v. g. in vno extremo calidissimum, in altero frigidum, ab eo pati poterit ferri frigus, in quod aget calor. Sed hæ quoque diuersæ distinctæque erunt actiones.

Arist. 4. de gen. animal. c. 3.

His ita præfatis pensū absoluamus. Quæsitum fuit qui fueri possit vt á medicamento verbi causa frigido, vt vnum, intemperies calida trium quatuorve gradium propellatur? Respōdemus positis omnibus conditionibus tutò id & iucundè, posse fieri, quamuis non æque citò, ac si paribus qualitatibus contraria decertarent. Modum huiusmodi actionis explico. Prima concertatione, refrigerantis apozematis virtus à calore extraneo euincitur, ita tamen vt pror-

ſus irrita ac inutilis non fuerit eius exhibitio, quanquàm ita obſcurus fortaſſe vſus, vt nihil penitus effeciſſe videatur. Primo ergò congreſſu retuſa aliquantulum morbi qualitas, Pergit interim Medicus eidemque remedio iterum inſiſtit. Hoc altero conflictu aliquid amplius promouet quam priore, dubio tamen & adhuc incognito effectu, Tertio idipsũ iteratò propinatur, vel aliud æqualis facultatis (nonenim barbitonſorum, aut imperitorum more, ſi recta ratione gerenti omnia, ex ratione non ſuccedat, tranſeundum ad alias indicationes ſtante eo quod ab initio viſum fuit) tertio hoc apozemate debilitatur, at aliquantò magis, quàm præcedentibus febrilis ardor: victis nempè iam aliquot caloris gradibus, contrarij vis potẽtior.

Hippocr. 2. Aphor. 52.

Quarto, quinto & ſequentibus (ſi eouſque progrediendum ſit) medicamenti actio ſenſibus iam euidentèr innoteſcit. Quantoque vlteriùs procedimus, tanto magìs de intemperie deperit, dum tandèm nihil omninò ſit reliqui. Non abſimili ratione durũ quantumvis lapidem crebris ictibus guttula mollis excauat. Et ab alimentis (quæ noſtræ ſubſtantiæ reparandæ, non demoliendæ ſunt comparata, pati proinde non agere dicuntur) ab alimentis (inquam) fractus tandèm atque eneruatus naturalis calor tẽpore elangueſcit totuſque conſumitur; Quin ipſam ab alimentis mutari ſubſtantiam manifeſtè conuincit quæ à diuerſis edulijs accidit im-

Galenus 1. de locis affectibus

Galenus paſſim.

Galenus 3. de Sympt. cauſis 2.

mutatio corporum.

Non enim quia aſſimilari ac mutari nutrimenti eſt paſſio, non poteſt id quod patitur viciſſim aliquid tametſi minimum in id quod agit facere. Duriſſimi ferri, & acutiſſimi, molliſſima ſecanda carne, tandèm acies retunditur.

Quamobrem concludendum agentia omnia multo etiam paſſis valentiora, mutuò ab ipſis repati aliquid. Paſſionis tamen primordia in humanos ſenſus nomine cadunt, neque antè dignoſcitur reactio quam magna ex parte abſolutus ſit effectus.

Dices ex his priorem difficultatem non præſcindi, neque aſſignari proportionis inæqualitatem quæ inueniri ex parte rei agentis debet, cui ſuppar ſit quod repatitur neceſſe eſt.

Reſpondeo prædictam intemperiem remedio validiorem eſſe ſi comparantur gradus inter ſe ambarum qualitatum, hoc eſt caloris & frigoris, reuera enim ex ſuppoſitis frigori præpollet calor: calori proindè actionem tribuimus.

Dico clariùs intemperiẽ calidam vt tria, ſi cum medicamento frigido vt vnum conferatur hoc ipſo eſſe fortiorem, atque vt talis eſt in medicamentum agere. Verùm ſi vtramque qualitatẽ ſeorſim ſpectemus, calidum videlicet vt agit, frigidum vt reagit, apparebit vtrinque inæqualitas. Quemadmodum calidius eſt corpus medicamento,

ſic medicamentum viciſſim corpore frigidius.

Vt ergò in medicamentum frigidum agit corpus calidum tanquam medicamento calidius, ſic vice verſa ab eo repatitur tanquam frigidiore. Hanc difficultatem proſequemur; aliàs forte vberiùs atque ex profeſſo iſtud quantum ad præſens inſtitutum ſatis eſto.

Hactenùs ergò quid extremum remedium appellemus, & quatenùs hoc illi applicari oporteat explicuimus: nunc ab vniuerſali theoremate ad particularia vnà cum Hippocrate orationem transferamus.





Ὅκου μὲν οὖν κάτοξυ τὸ νόσημα αὐτίκα τοὺς ἐσχάτους πόνους ἔχει καὶ τῇ ἐσχάτως λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι. Ὅκου δὲ μὴ, ἀλλ' ἐνδέχεται ἁδροτέρως διαιτᾶν, τοσοῦτον ὑποκαταβαίνειν, ὁκόσον ἂν ἡ νοῦσος μαλακωτέρη τῶν ἐσχάτων ᾖ.

Quando igitur morbus peracutus eſt, ſtatim extremos labores habet, & extremè tenuiſſimo vti victu neceſſe eſt. Quando verò non, ſed alere pleniùs licet, tantùm indulgẽdum eſt, quantò morbus fuerit extremis leuior.

Commentarius.

HIc Aphoriſmus manifeſtè infertur ex præcedenti, nam ex ambobus ſimul iunctis integrum conficias Syllogiſmum licebit, cuius maior propoſitio

vniuersali Theoremate cõtinetur, priùs à nobis explicato: Minor & quæ ex his deducitur conclusio, in præsenti proponitur hunc in modum.

Extremis morbis extremæ sunt madicationes adhibendæ, morbus peracutus est extremus. Extremam itaque medicationem, & per consequens extreme' tenuissimum victum exigit.

Aphoristicæ quidẽ breuitatis gratia, minor non propositæ probata fuit, probata (inquam) ab extremi morbi descriptione; Nam si extremus is dicendus est morbus, qui statim extremos habet labores, cùm huiusmodi sit peracutus, vere' extremus censeri debet. Conclusionis etiam loco, [quoniam de victu solummodò agere ipsi intentum fuit] consequentiam particularem, ex vniuersali illa, quæ maiori propositioni respondebat, deduxit. Hanc porrò illationẽ fieri ex intentione Hippocratis docet collectiua & rationalis illa particula ὀυῶ sermoni addita: Quam miror à Fuchsio, verborum, tum aliàs, tum hoc ipso commentario censore atque Aristarcho exactissimo, in expositione prætermissam : nisi pro [vtique] quod affirmandi aduerbium

eſt, [itaque] paucis immutatis ſit legendum.

Præſens ergò Aphoriſmus quod in vniuerſum de quacunque medicatione in priore enunciatum fuit, viuendi rationi ſpeciatim applicat. Duoque in ſe continet documenta: Primum eſt peracutis morbis extremè tenuiſſimum victum conuenire. Alterum quod ex primo ſequitur, quantò morbus diſtat longiùs à peracuto ſeu extremo, tantum etiam à tenuitate victus declinandum.

Rationem prioris duplicem profert Galenus ſymptomatum videlicet magnitudinem, & morbificæ materiæ coctionem. Nam & grauiora incendia concitat ingeſtus cibus, cæteraque accidentia vehementer exaſperat: & naturam ad ſui concoctionem diſtrahit. Quæ duo incommoda tantò minùs pertimeſcenda ſunt, quantò magìs ab extremis morbus eſt diſſitus. Vtriuſque ratio ab ipſa indicationis natura depromi poteſt. Siquidem morbus ex ſe ſe præſidia expoſcit, alimenta reijcit: igitur qui validus eſt validè; qui extremꝰ, extremè tum remedia poſtulat, tum victus indicationi repugnat & contra-

dicit. Ex conſequenti quo infirmior is eſt & leuior, vtrumque tantò minùs præſtat, quantò ab extremis eſt remotior: ſupponendæ interim locorum, temporum, ætatis, temperamenti, habitus, cæteræque id genus circumſtantiæ.

Hæc quo ad Aphoriſmi ſenſum, iam nunc ſingula verba expendamus.

Occurrit in primis vox κάτοξυ hoc eſt, peracutum. Circa quam ſciendum eſt duplicem peracuti differentiã vulgò aſſignari [vti non multò ante docuim⁹] peracutorum enim nonnulli ſeptimo terminantur die, cæteri quarto: Hos exacte' peracutos vocant, illos ſimpliciter & non exacte'; De exquiſitè peracutis hîc ſermonem eſſe palam fit ex ea victus forma quam ipſis accõmodat, extreme' ſcilicet tenuiſſima, ſeu ἀσιτία hoc eſt omnimoda inedia, quæ ſolis exquiſite' peracutis quadrat. Melicrati quidem vſum [quem ſimpliciter peracutis affectibus concedimus] tenuiſſimam diætam appellamus, non tamen exquiſite' ſiue extreme'. Hinc conſequitur vocem αὐτίκα id eſt ſtatim, vltra peracutorum exacte' terminum non porrigi, puta quaternum diem aut ad

ſummum quinum, ad quem illi quandoque protenduntur, vnius enim diei adiunctio diuerſam acutorum differentiam non parit: Id quod tacitè innuit Galenus noſter, dum inquit per ſtatim intelligendum circiter primos quatuor dies aut paulò poſt.

Modò quid per ἐσχάτους πόνους hoc eſt extremos labores ſignificetur, docet in commento Galenus: Et nos in controuerſijs communes apud Hippocratem, cæteroſque poſt illum Medicos huius dictionis vſus perquiremus, quoniam in his Aphoriſmis frequenter inuenitur, nec eadem vbique ſignificatione. Vltimo loco difficultatem facit illa particula ἁδροτέρως διαιτᾶν, quæ idem ſonat ac πιοτέρως διαιτᾶν hoc eſt pleniùs cibare. Et ambæ, quemadmodum ex vi nominis idem prorſùs indicant, eodem quoque modo hîc & Aphoriſmo decimo huius ſectionis ſunt accipiendæ, non quidem ſimpliciter quaſi exiſtimemus diuinum ſenem pleniorem ſimpliciter victũ in acutis affectibus probaſſe, ſed facta cum extrema diæta comparatione, cuius reſpectu cæteræ viuendi rationes pleniores, hoc eſt minus tenues appellantur.

Quæstionum series & ratio.

Totidem quot præcedens quæstionibus concluditur hic Aphorismus, nonnulla supponit, quædam etiam proponit, in præcedentibus satis declarata; Communis illi quippè cum explicatis quatuor Aphorismis de victu tractatio, sed magìs quam in eo qui immediatè præcedit particularis. Nam peracutos morbos pro exemplo allegat, in quibus cùm statim vrgeant extremi labores, statim victu tenuissimo vtendum, colligit; At varium est laboris nomen apud Hippocratem, quid ergò hîc & alibi significet primum inuestigamus.

Alteram dubitationem mouet vox statim, quæ ab initio suadet ad extrema veniendum, cùm tamen à leuioribus plerique inchoandum putent.

Vltima quæstio vniuersali doctoris intentioni respondet, & decidit, vtrum omni & soli extremo morbo conueniat victus tenuissimus? Iam in arenam descendamus.



Quid πόνος id est labor significet hîc & alibi apud Hippocratem.

QVÆSTIO PRIMA.

QVoniam passim apud Hippocratem, atque in his potissimum Aphorismis huiusce dictionis fit mentio, nequam in posterum ὁμωνυμία difficultatem pariat, in iuniorum gratiam quam vim ipsa habeat, hinc inde conquirere operæ pretium putaui. Qua in parte vnicum Galenum interpretem πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων instar omnium, in consilium adhibui.

Πόνος igitur idem quandoque sonat quod βλάβη, hoc est noxa, nam πόνον ποιεῖν laborem facere, & ὠφελεῖν iuuare, vsurpauit tanquam Antitheta. Hoc significatu obscurum alioqui illum Hippocratis textum explicat Galenus, vbi sic habetur; Calidiori comestum, intùs refrigeratio, exterius labor, sole, igne, veste, æstiuo tempore. Vbi illos reprehendit qui laboris nomine illic exercitia interpretabantur. Valdè calidæ naturæ (inquit) refrigerationẽ & aquæ potũ cõducere dicebat Hippocrates, & præterea quiescere, hoc est à vehementioribus exercitationibus abstinere, quo pacto igitur hoc loco exer-

2. Aphoris. 1. & ibi Galen. in comment.

6. Epid. parte 4. t. 36.

citari iubet? Quo pacto in sole & ad ignem calefieri? Et quæ sequuntur. Tum inferiùs propriam mentem aperiens, ita concludit: Tota ergo narratio talis fuerit, calidiori corpori per cibos ac potus interius refrigeratio conueniens, noxa verò caliditas exterior à sole, igne, & tempore æstiuo, ac vestimentis, à quibus omnibus arida caliditas significatur. Nonnulli eodem sensu textum illum præcedente obscuriorem exponi volunt. Labor articulis & carnibus: Cibus, somnus visceribus, tantam obscuritatem affert huiusce nominis æquiuocatio: sed hæc istius est vera interpretatio, si Galeno credimus: Exercitatio quidem articulis & carnibus vtilitatem præbet, cibus verò, & somnus, visceribus. Aliàs pro effectu & potissimū pro dolorifico ponitur, id est causa symptomate, aut morbo cum dolore coniunctis. Ita in Aphorismis, qui aliqua parte corporis laborantes, laborem non sentiunt, ijs mens ægrotat. Quem locum explicans Galenus hanc ex Epidemijs citat sententiam, in cranone dolores inueterati frigidi, recentes calidi, vt ostendat per labores siue dolores, affectus ipsos in quibus dolemus intelligi: non enim reipsa dolores appellat calidos aut frigidos (inquit) sed morbos in quibus dolores fiūt, Eodem capiendus est modo is Aphorismus, quibus in vrinario meatu nascuntur tubercula, ijs suppuratis & ruptis labor soluitur. Vbi πόνος λύεται, non aliud denotat quàm

6. Epid. parte 5. t. 10.

2. Aphorism. 6.

6. Epid. parte 1. t. 8.

2. Aphorism. 57.

λύσις id est solutio: hæc enim vox in illarum est locum suffecta septimo Aphorismorum, quo loco hæc eadẽ sentẽtia ex quarta sectione reperitur. Λύσις porrò quarta Aphorismorum particula Aphorismo 82, τὴν ὀδύνην καὶ ἰσχουρίαν complectitur, id est dolorem atque vrinæ suppressionem, nec non & ἔμφραξιν hoc est obstructionem διὰ γὰρ φύματα ὀδύναι γεγόνασι, καὶ ἔμφραξις ἀκολουθεῖ, ἐξ ἧς ἡ ἰσχουρία inquit Philoteus. Nam propter tubercula excitati sunt dolores, tum obstructio sequitur, ex qua vrinæ suppressio. Quamobrẽ stricta nimium interpretatione illa postrema Aphorismi quinquagesimi septimi verba λύεται πόνος vertunt communiter interpretes hoc modo leuatur dolor, soluitur dolor. *Ibidem in comment.*

Meliùs & significantiùs è verbo ad verbum, soluitur labor, non enim de solo dolore sermo est, sed prætereà de obstructione, & vrinæ supressione, quæ omnia laboris nomen comprehendere potest, non autem doloris, nisi coacta admodum & parum vsitata loquendi ratione.

Quemadmodùm autem labor pro affectu ponitur, ita quoque pro affici, aut ægrotare, laborare dicimus. Quartana laborantes, magno morbo non capiuntur, ait Hippocrates, ex sanguinis profluuijs á qua subcutanea laborant. Et hæc loquendi forma passim Hippocrati, & Medicis familiarissima est. Ita gratiossimo illo textu, laborantibus gratiæ, vt mundè parare poculenta &c. *6. Epid. parte 6. t. 7. 6. Epid. parte 4. t. 11. 7. 6. Epid. par. 4. t. 8.*

Sumitur nonnunquam pro dolore ipſo, hoc eſt ſenſu triſti veluti nuper citato Aphoriſmo in illis verbis τῶν πόνον ὀυκ αἰσθάνονται, labor pro dolore collocatur.

2. Aphoriſm. 46.

Et inferiùs Δύο πόνων ἅμα γινομένων binis laboribus ſimul infeſtãtib⁹, id eſt ὀδυνῶν. Quo loco πόνους non modo ad corporis dolores. ſed ad animi quoque moleſtias transferre videtur Galenus. Poſtmodum in Aphoriſmo conſequenti ita habetur, dum pus fit labores fiunt ac febres, hoc eſt (vt communiter vertunt) dolores. Amplius in Epidemijs legitur, vigiles erant cum laboribus, hoc eſt doloribus: vt annotat Galenus. Quibus enim dolor adeſt, vigilant, adeò vt ne in fantaſiam quidem tenuis ſomni deueniant. Alibi quoque ſæpius in aliam ſignificationem torqueri quã in iſtam non debet, veluti cùm pectoris articulorum, & circa vmbilicum dolores ϛηθέων, ἄρθρων, καὶ περὶ ὄμφαλον πόνους appellat Hippocrates. Ad hæc inuenias hanc appellationem inquietudini, anxietatique tribui, quæ vel ex dolore naſcitur, aut prauis humoribus, & vaporibus malignis, aut alia quacunque id genus cauſa, hoc ſenſu Hippocrates peſſimum eſſe ait ſi neque interdiu dormiat, neque noctu; Dolor enim ac labor vel deſipientia ab eo iudicio ſignificatur. Ecce manifeſtè dolorem à labore tanquàm diuerſa ſeparat.

3. Epid. parte 3. t. 39.

3. Aphoriſm. 23. & 31. & 4. Aphoriſm. 11.

1 prognoſt. t. 12.

2. de ſanit. tuenda. Capite 2.

Tribuitur etiã cuicunque motui? Notent interim iuniores non omnem motum exer-

citationem esse apud Galenum, sed eum solùm qui vehementior est, cuius terminus anhelitus mutatio: laborem verò idem cum Gymnasio sine exercitatione significare asserit Galenus.

Latior itaque est minusque vsitata, pro motu in genere, laboris acceptio. Strictior est magisque propria cum ei tantùm defertur motioni & actioni, quam defatigatio sequitur. Ita in prognosticis frequens desidendi labor insomniam facit. Huc referendum est quod ab Hippocrate laboriosas febres nominari Galenus tradit, eas quæ ab extrinseca lassitudine ortum habent. *1. Prognost. 14.* *6. Epid. parte 2. t. 24.*

Præterea pro defatigatione ipsa capitur, inquit enim Hippocrates, quoquo modo corpus moueatur, simul ac laborare cœpit, quiescere præsentaneum remedium est. Vbi τὸ πονέειν dolorem, lassitudinemque significat, huic proinde verbo ἄκοπον opponit, quod ijs remedijs commune est quæ lassitudini & dolori subuenimus. Et hoc vtroque sensu vera est Aphorismi sentẽtia, quandoquidem experientia comprobatum est, defatigationem atque molestias ab exercitatione contractas quiete depelli. *2 Aphorismorũ 48. & ibidem Galenus.*

Hoc cùm annotarit in suo commentario, monitus à Galeno Fuchsius, mirum est cur dictione πονέειν verterit fatigari, non autem laborare suãque interpretationẽ, suo commentario strictiorem reddiderit. Pari modo laboriosas quartanas appellat Hippocrates

6. Epid. parte 4. t. 2. & ibi. Galenus. non eas solùm quas multa motio antegressa est, sed eas omnes in quibus aliquis laboris seu lassitudinis sensus existit, Vt testatur Galenus,

2. Aphorism. 49. Hippocrati quoque familiare est exercitationes corporis πόνους appellare. Non illam sententiam οἱ εἰθισμένοι τὰς συνήθεας πόνους φέρειν multi sic latinè reddunt: quicunque solita exercitia ferrec onsueuerunt: & hanc Galeni interpretationē esse demonstrant varia exercitiorum exempla quibus ipsam commentario illustrat. Quanquàm de omni difficultate, molestia, angustia, explicari non incommodè potest. Idem & aliquantò clariùs ex Epidemijs probare licet, in quibus hæc scripta reperiuntur.

6. Epid. part. 3 t. 4. 6. Epid. parte 4. t. 22. 6. Epid. parte 5. t. 34. de salub. diat. t. 31. Remittito labores aut defluet. Item exercitatio salubris non saturitas cibi, promptitudo ad labores. Et alibi, vlcera oriuntur, si immundus laboret. Et libro de salubri diæta, quos sitis infestat, cibos hi & labores minuant.

Denique patet quandòque aliquantò latiùs, neque solùm de externis motionibus dicitur, quæ ab animali facultate proficiscuntur, verùm etiam de naturalibus quæ medicamentorum impulsu vel ope Chirurgica peraguntur. Ita explicat Galenus in famè non 2. Aphoris comm. 16. esse laborandum. Nam neque rectè valentibus (inquit) imperanda sunt exercitia fame dominante, nec in ægrotantibus motū corporis vllum vehementiorem vnà cum fame

afferre oportet, siue missione sanguinis, siue purgatione, seu per vomitum euacuatione, seu multa frictione, aut alteratione id fiat.

His omnibus modis à Philosophis, Oratoribus, & Poëtis vsurpari solet, acpreterea alijs. In primis pro omni actione, munere & opere quæ ad humanæ vitæ tutelam atque vtilitatem referuntur. Quo modo ἄρότρα πονησάμενος pro ποιησάμενος scripsit Hesiodus, vt interim illa sileam ipsis Grammaticulis vulgatissima: dij nobis omnia vendunt laboribus: labor improbus omnia vincit. Secundo pro re ardua & difficili, ita latinus Vates 6. Æneidos

. . facilis descensus Auerni,
Noctes atque dies, patet atri ianua ditis,
Sed reuocare gradũ, superasq; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est

Idem in Georgicis Eclipsim solis, labores appellauit.

Apud Lucianum pro debilitate reperitur πεπονηκέναι (inquit) αὐτοῖς τὰ σώματα, ὑπὸ νόσου, οὐ ὑπὸ γέρως, laborasse hoc est debilitata atque elanguida fuisse ipsorum corpora morbi, non senectutis causa.

Apud Platonem pati quandoque significat ἀναγκαῖον ἐνιαυτὸν γ᾽ ἔτι πονεῖν id est πάσχειν siue φέρειν. Necesse est vnum adhuc annum pati, vel sustinere. Apud Xenophontem curam & sollicitudinem notat. Hæc illius sunt verba ἐπικουφίζει τι ἡ τιμὴ τοὺς πονους τῷ ἄρχοντι, Imperatori labores, id est curas & vi-

Epist. 7.

1. de Ciri educat.

gilias honos ſubleuat.

2. Tuſcul. quaſt. Apud Oratores vſitatiſſima eſt hæc dictio pro eniti, omnibus viribus cõtẽdere, ſummo ſtudio animique contentione iucumbere. Qua ſignificatione ab eloquentiæ parente definitur functio quædam vel animi, vel corporis grauioris operis & muneris. Sed hæc literarum humaniorum ſtudioſis & cultoribus accuratiùs examinanda relinquamus. Quo ad præſentem Aphoriſmum attinet, docet in commentario Galenus quid per extremos labores veniat audiendum, morborũ ſcilicet exacerbationes, aut omnia abſolutè Symptomata. Rationem expoſitionis ſuæ hanc adfert: cùm peracutus morbus is ſit qui ſtatim adultus viget, & in vigore exaſperentur atque excandeſcunt morbi inuaſiones, atque adeo Symptomata omnia: imò verò cùm vigor ipſe nihil ſit aliud, quám morbi grauiſſimum Symptoma, inferendum eſt per extremos labores hæc ipſa intelligi, maximè cùm laboris nomen dolores atque moleſtias omnes ſuo ambitu includat, vti hactenus cumulatè probatum fuit.

Vtrum à leuioribus ſit inchoandum?

QVÆSTIO SECVNDA.

HÆc quæſtio ſequi illam videtur, paulò antè à nobis agitatam, vtrum ſcilicèt extremis morbis extrema remedia ſint adhibenda? Id quod ex Galeno deducimus qui dum Eraſiſtratæorum in curandis pulmonis vlceribus & Hæmaptijcis procēdendi methodum confutat, ita habet: vbi moriendum ægro prorſus eſt, ſi Phthoë ſemel correptus ſit, alieniſſimum à ratione fuerit à minoribus inchoaſſe, Nam ſicuti reliqua omnia ab Hippocrate tradita, ſic illa quoque ſententia rectè eſt dicta, nempè ad ſummos morbos, ſumma omninò præſidia maximè valere. *Praced. Aphor. q. 3.* *5 Method. Capite 15.*

Cui adſtipulatùr ratio, ſi enim extremi morbi extrema remedia poſtulant, fruſtrà in leuioribus tempus & patientis operam collocaris: quò fiet in poſterum, vt dum grauiora molieris, præcedentium vſu ſatiatur æger, defatigatus atque nauſeabundus nulla ab ijs ſpe melioris fortunæ affulgente cætera auerſentur. Imò ne tum quidem ſi ſe obſequentem præſtiterit tutò in grauioribus verſeris. Exacerbantur in progreſſu morbi Symptomata omnia, febrium ſcilicet acceſ- *2. Aphor. 30. & ibi. Galen' in comm.*

ſiones, vigiliæ, dolores, implacida, moleſtaque corporis iactatio, ſitis, irrequieta afflictatio; deiecta virtus ſaltèm animalis, natura in morbi coctione admodum impedita;
2. Aphor. 29. Quid tum ſecure? quid vtiliter aggrediare? Externa non feret ab inteſtinis hoſtibus
4. Aphor. 10. & in Com. Gal. grauiùs laceſſita virtus. Incipientibus itaque morbis ſi quid videtur mouendum, moue, Materiam peccantem ac potiſſimum in valdè acutis illicò, imò eodem ipſo die expurgato, antequam imminuatur collabaturque vis corporis, aut febrilis augeatur calor; aut vagi atque errantes per corpus humores in partem quampiam nobilem decumbant, imprudentis eſt Naucleri ſua incuria euerſa naue, tum demum vectorum ſaluti collectitijs hinc indè aſſeribus proſpicere:
Galenus 5. Methodi. Capite 15. Et parũ cauti ſolertiſque Medici, proditam initio exactæ curationis defectu ægrotantium valetudinem cum occaſio perijt, neque ampliùs licet inſtaurare debitis præſidijs tandèm velle. Quantò conſultiùs hoc noſtro Aphoriſmo prudentiſſimus ille naturæ geninius in acutiſſimis morbis, primo ſtatim occurſu tenuiſſimum victum imperat, cuius in omni medicatione imitanda diligentia eſt, ne quod in prouerbiũ abijt, ictus piſcator ſapit; aut ſerò ſapiunt Phryges, nobis ignominioſè exprobatur; Huius diſciplinæ ſectator accuratiſſimus Galenus, adoleſcenti cui
5. Method. Capite 13. refrigeratis ſpiritus inſtrumentis exorta tuſſis fuerat, cùm ſanguinem ad dimidiam heminam

minam expuisset, statim venam incidit, tum reliquis omnibus ex arte cõparatis, integram curationẽ absoluit, similique in posterum via, hoc est, à magno exorsus præsidio, quale est venæ sectio, primo statim die sibi creditos persanauit.

Verùm sunt altera ex parte vagi & difficiles anfractus, obstat Hippocrates; Vetat Galeni cæterorumque Medicorum praxis, dehortatur ratio, quo minùs à validioribus ordiamur.

De Purgatione hæc habentur in 4. acutorum si liquidam aluum habenti, causus superuenerit, si tibi purgatio idonea videatur, eam non tribus primis diebus adhibebis, sed quarto. Ne quis verò hæc, tanquã minùs genuina, reijcienda arbitretur, Hippocratem hisce nostris Aphorismis loquentem audiamus, ad quorum mentem definiendum negotium censet Galenus. In acutis passionib⁹ (inquit Hippocrates) rarò & per initia medicamentis purgantibus vtendũ, & non nisi adhibito indicio. Atque id quidem rationi consonat, si enim circa initia, quo tempore materia est incocta, expulsionem tentemus, omnem naturæ ordinem magno incommodo peruertemus. Euacuationem suopte motu non aggreditur natura (dum ritè operatur) nisi perfecta coctione; coctionẽ quiete perficit. Itaque si ventrem initio moueris, vrina non maturabitur, febrisque citra tum sudorem, tum indicationẽ in longum tempus pro-

t. 38 & ibi. Galen.

1 Aphoris. 24.

4. Acut. t. 44.

trahetur. Dices id in acutis solùm morbis locum habere, atque in ijs euacuationibus, quæ cathartico peraguntur. Valet sanè & in cæteris. Nisi fortè lapsum existimemus Galenum, qui mulieri sanguinem ex pulmonibus reijcienti, cum finito catharro, liquidò appareret, tum ex respirandi specie, tum sonitu semel excitatæ tussis pulmonem purgatione indigere. Secundo saltem die exhibere hanc noluit; At quinto demum purgare valentiùs pulmonem aggressus fuit, ducto à leuioribus initio. Sectionis venæ clarissimum est eodem loci exemplum, hanc enim in præfata muliere omnino prætermisit, cùm tamen præsentissimum in eo affectu quo ipsa premebatur foret subsidium: illi verò adolescenti, qui ab aduersarijs est obiectus, cõfestim quidem sanguinem detraxit, non tamẽ confertim, bis (scilicet) eadem die, ac rursus postridie bis: At certum est tantò maioris præsidij vim obtinere profusionem sanguinis, quantò maior eius copia simul ac semel effunditur. Non enim venæ pertusio, sed sanguinis effusio remedium facit: Vnica igitur die, quantum affectus exposcebat non emisit; ne quod natura perhorrescit, illico ad extrema deueniret. *Obiecerit in contrarium quispiam Galenum ipsum* nono Methodi dicentem, abstulisse se de industria sanguinem quoad is adolescens qui in Synocho laborat, animi deliquium incurreret. *Credo equidem,* sed non prima statim die, id præ-

9. Methodi, 4.

ſidium inſtitutum, imò ne ſecunda quidem cùm cætera omnia conſentirent, ſed protra-ctum tandiu negotium fuit, dum æger perferre amplius non valeret, tumque ita ſuadente ſumma neceſſitate, tandem peractum. Tertia enim ſequente nocte æſtus aderat laboranti intolerabilis, vrgebatque cùm tenſio vniuerſi corporis, vt pote repleti: tū capitis pulſatio, atque ob hoc grauis vigilia, iuuene in aliam alias partem ſe iactante Et hic quidem ordo eſt naturæ familiaris, nempè vt blandioribus ipſa primum aſſueta, grauioribus tutò ſuſtinendis paulatim diſponatur. Hæc communis clariſſimorum Medicorum procedendi ratio, vt leuioribus tum aperientibus, tum incidentibus, tum omnis generis alterantibus, tum Catharticis, tum præſidijs curationem aggrediantur, ac in poſterum faciam ad validiora progreſſum. Id quod in thermarum, & aquarum Medicatarū vſu curioſè obſeruatur. Neque enim tantam in balneis primis vicibus ægri moram trahunt, quantam procedente tempore: Neque tantam aquæ copiam primis hauſtib⁹ abſumunt, & abſorbent, quantam ſequētibus.

Id nos vniuerſali Theoremate docuit, naturæ peritiſſimus Hippocrates, ab actionib⁹ particularibus deducto: ſemel inquit, multum & repentè, vel vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, aut alio quouis modo corpus mouere periculoſum: Omne ſiquidem nimium naturæ inimicum, Paula- *2. Aphoriſ. 51.*

tim verò quod fit tutum. Hanc eius posteri normam in blandioribus etiam remedijs tenemus, ipso etiam sanitatis tempore, quo pacatiora cùm sint omnia, exiguus admissus error nullam effatu dignam offensionẽ parit, Nam & in lactis vsu à minima primum quãtitate; & in exercitationibus ab imbecillioribus motionibus auspicamur. Quemadmodum & Oratores demissa aliquantulum voce suas conciones ordiuntur, leuioraque argumenta captandæ sensim popularis auræ gratia firmioribus præmittunt. Ista vtrinque quibus, quantumlibet perplexa appareat hæc controuersia, facili negotio distinctione adhibita declarari potest.

Huc in primis referenda sunt omnia, quæ paulò antè de natura patientis, de viribus, de consuetudine; de ætate, cæterisque id genus internis externisque causis perstrinxim⁹, A quibus certum est legitimum medentis consilium frequenter immutari. Minùs enim euacuabimus, quàm plenitudo commouet (inquit Galenus) quo ad ætates quidem, in pueris: quo ad corporis habitum, in candidis, & quib⁹ mollis teneraque est caro, quales Galli sunt: Quo ad tempus, sub cane; similiter etiam in regionibus & constitutionibus. Patet id, ipsius Galeni exemplis, qui pulmonis vlcera non planè deplorata, trib⁹ hisce sanari prodidit, sanguinis extractione, purgatione, & caput roborantibus, ac in ipsis primordijs, illicò à venæ sectione ex-

Libro de cur. ratione per sãg. miss. c. 14.

5. Method. Capite 14. & 15.

orditur, hac tamen limitatione, vt quicunque parum habère sanguinis videbuntur, ij ad quemdam succum probiorem reducantur, antequam sanguis educatur; Leuioribus interim præsidijs (vt veri simile est) nō prætermissis. Hanc ipsam euacuationem quæ fit secta vena protrahit & remoratur consideratio virtutis. Quam ob causam incidere mulieri venam, quæ iam quatriduum propter catharrum sine cibo egisset, Galenus noluit, sed iussit vt mitioribus vteretur, clystere nimirum acri, tum crura manusque calefacienti Pharmaco plurimum fricaret & vinciret. Hæc itaque nonnunquam impedimento sunt, quò minùs à grauioribus remedijs prout exigit morbus curationem incipiamus. Non enim prospiciendum modo est, vt citò, sed multò magis, vt tutò & commodè res geratur. Cùm ergô magno remedio peculiare id sit, vt magnos effectus exerat, & quidem non nisi magna corporis agitatione, perturbationeque: consentaneum omninò est, vt non nisi cautione adhibita, ad illud recurramus. *Ibidē. c. 13.*

Explanatioris igitur doctrinæ causa quicquid generaliùs propositum est modò, lubet particulatim in propria quædam capita distribuere, vt certò in posterum intelligatur, quando blādiora, fortioribus sint præferēda.

Hoc in primis animaduerso, quod à Galeno est proditum, morborum alios tardos & diuturnos esse: Alios celeres & acutos.

In illis, quando nullum periculum est in mora, cuiuscunque generis præsidia circa initia experiri nil prohibet, mox si nil profecerint, ad maiora progredi: In his quoniã periculum impendet, alienissimum ab arte grauiora differre. Quamobrem priores hac distinctione à præsenti difficultate excludi volumus. Posterioribus sequentes explanationes adhibendæ, quarum nonnullæ maiorum auxiliorum vsu penitus interdicunt nõnullæ ad tempus, hoc est, in leuioribus tantisper immorari iubent.

In vtroque genere primas obtinet virtus, de qua paulò ante loquebamur, hæc enim collapsa valentioris præsidij vim nullã sustinet. Imbecillis, à mitioribus primùm refocillata, postmodum à grauioribus non offenditur. Sectionem venæ ab hac indicatione impediri aut retardari pridem ostendim⁹. De purgatione idem iudicium facere tacitus apud se quilibet, non ignarus potest, sub virtute comprehendimus habitum, temperiem, aërem, cæteraque hactenus recensita.

Sunt etiam præter virtutem consideranda alia, nam ad conuenientem actionem præter vim agentis, requiritur dispositio patientis. Ad purgationem verbi gratia, necesse est vt humores sint fluxiles & viæ expeditæ, corpora (vt cum Hippocrate loquar) εὔροα, nec violenta corporis agitatione concitatus humor, impedito exitu in partes nobiles feratur. Requiritur etiam in humoribus cõ-

2. Aphorism. 10.

coctio, quam sequitur legitima bonorum à prauis segregatio, nisi fortè turgeant, tum enim ante coctionem educendi. Hæc igitur ante purgationem præstanda, præparantia, concoquentia, deobstruentia, quæ purgatione leuiora sunt, ipsi purgationi præmittenda. *1. Aphor. 22.*

In ipsis quoque præparantibus seruandus ordo, non illicò ad fortissima conuolandum. Quæ validè aperiunt, attenuant, incidunt, si prima fronte vsurpentur, fusos humores altius in venas rapiunt, atque in omnem corporis ambitum dispergunt.

Grauis præterea est, potissimùm in non assuetis, inopinatus transitus ad extrema. Sic á violentis exercitationibus diutiùs intermissis, disrumpuntur vasa, laxantur partes, atteruntur musculi, nisi pendetentim leuiori motione ad concitatiores componantur. Hac intentione medicatas aquas moderata primùm quantitate propinamus: ne medicata qualitate, & redundante copia, lacessitus ac oppressus vẽtriculi atque hepatis natiuus calor, aut immodica tensione diuulsa Hypochondria à suo munere deficiant, magno inducendæ Hidropis metu. Neque verò ob id solùm vt maiori paulatim quantitati corpus assuescat, in aquis thermælibus præfata methodo insistimus, sed & experiundi quoque gratia, nunquid liberum illæ exitum sint nacturæ. Pari ratione & industria in alijs artis operibus inuestigandæ peculiaris cuius-

que naturæ causa vt plurimum versamur. Factoque primum de leuioribus iudicio, fortiora imperamus. His ita constitutis sit nostra conclusio. Necessitate vrgente (modò cætera consentiant) indicationi à morbi magnitudine desumptæ, nulla interposita mora satisfaciendum. Tantùm interim ab illa deflectendum, quanta vis erit contrariæ indicationis. Quod si nulla premat necessitas, horum vel illorũ præsidiorũ delectus nostro arbitrio relinquetur. Sat citò, si modò tutò & iucundè; patienti consulemus. Primã conclusionis partem confirmant, ita euidenter priora argumenta, nulla vt solutione indigeant. Pro secunda & tertia faciunt productæ secundo loco auctoritates & rationes, quarum aliquas hactenùs exposuimus, cæteræ ne quam difficultatem afferant supersunt enodandæ.

4. *Acuto-rum t. 38.* Allegata primo loco auctoritas, si ex Aphorismi mente decernatur (vt vult Galenus) nostris principijs nõ aduersabitur, quemadmodum & ea quæ postmodum secundo & tertio loco subijciuntur. At illud nondum explicatum fuit, *quorsum mulieri Hæmaptoicæ pulmonem valentiùs expurgare in quintum vsque diem Galenus prorogarit?* Dicimus nos optimo id consilio factum esse, ne videlicet, nondum satis confirmata venarum oscula, ab attenuãtibus, incidẽtibus, validèque detergentibus, qualia à crassioribus humoribus infarctis suburratisque pulmonibus ad-

ministrari solent, denuò reserarentur. Talia porrò mulieri illi fuisse ex vsu cõmonstrant quæ tertio & quarto fuère vsurpata. Tertio quidem mel coctum manè copiosè exhibitum: quarto verò manè medicamentũ quod ex viperis fit, non vt anteà recens, sed quod iam in ætate vigoris esset, idque cum copioso melle.

In hac ipsa muliere sanguinis detractio prætermissa fuit, ne quatriduana inedia (longa sanè in persona splẽdida) nimiũ exhausta virtus, exhausto etiam sanguine fatisceret; Eiusdem conseruandæ ergô adolescenti sanguinem exspuenti partita sanguinis imminutio fuit instituta: vbi enim multa euacuatione est opus, sed imbecilliores sunt vires euacuationem partiri expedit. Addo etiam maioris reuulsionis gratia, quem in scopum (ipsomet Galeno præceptore) non semel quantũ satis est extraxisse, sed in duas vices id partiri satiùs est. *Gal. lib. de cur ratione per sãg. miss. c. 12.*

Quod ad iuuenem illum Synocho non putrida detentum attinet dum integram historiam persencet Galenus, longioris quoque moræ in euacuando sanguine causas enumerat. Visum nobis est (inquit) cùm febris pridiè vespere occupasset, sumpsissetque solitos cibos, eius auxilij considerationem in aliud tempus remittere, simùl vt certius sciremus cuius generis febris esset, simùl propter eam quæ præcesserat coctionis tarditatem. Sequenti die iterùm protractum est *Ibidem capite. 16.* *6. Methodi. 4.*

id remedium, propter exortam inter Medicos discordiã, vincentibus qui id in sequentem diem differendum suaderent.

Quod posteá affertur de naturæ ordine, & medicorum praxi in ijs affectibus locum habet quibus tutò, & iucundiùs, quamuis fortasse tardiùs, infirmioribus auxilijs subuenire licet. Productorũ porrò exẽplorum solutionem ex dictis mutuetur lector.

Vltimo petito à minori ad maius argumento nihil concluditur admittendũ quidem constantibus viribus cum leuis est affectus, à fortioribus auxilijs minùs nos percelli. Verùm in grauioribus morbis, dum repentinæ mortis, aut grauioris mali metus ingruit, maiore necessitate fortiora auxilia decernuntur, quamobrem in his non possunt, vt in aliis differri.

An soli & omni extremo morbo conueniat victus tenuissimus.

QVÆSTIO TERTIA.

Dictum à nobis præcedenti Aphorismo τεραπείας hoc est medicationis siue curationis nomine diætam comprehendi. Quo iacto fundamento in præsenti cõmentario cum Hippocrate conclusimus, pera-

cutum morbum tenuissimam victus formam exposcere, quod de omni extremo generatim affirmandum videtur. Nam si peracuto quoniã extremus est victus tenuissimus decernitur, manifestè sequitur propositionem hanc vniuersalem necessariò supponi, omni extremo morbo victum tenuissimum conuenire. Ex qua particularis illa deducitur.

Et sanè hæc Hippocratis mens fuit, dum extremis morbis extremas indefinitæ curationes applicari voluit, nã vniuersali æquiualet oratio indefinita. Id eius sonant verba in hoc Aphorismo, tantùm enim indulgendum suadet, quantò morbus extremis est leuior, extremis (inquam) non peracutis. Idẽ probat ratio euidens à communi indicationum axiomate petita. Nam si à rei natura proficiscitur indicatio, indicãti planè respondeat necesse est. Quemadmodum igitur magnum remedium postulat magnus morbus & extremum extremus: pari ratione victum respuet, siue (vt communi verbo vtar) contraindicabit morbus iuxta magnitudinis suæ proportionem: quam ob causam quatuor acutorum speciebus, totidem differentes victus species accommodantur. Soli ergò, & omni extremo conuenit hæc victus regula cùm à solo & omni extremo indicetur.

Verùm adduci in contrarium possunt, & Hippocrates, & Galenus, & experientia, & ratio. Hippocrates quidem sequenti Aphorismo tenuissimum victum præscribit in vi-

gore cuiuscũque morbi, ergô à magnitudine morbi non fluit ista indicatio, aliàs soli extremo competeret, sed à tempore: Quod
Aphor.10. palam testatur Galenus, & Hippocrates ipse clariùs & vberiùs docet, dum statim tenuiter cibandum monet, cum statim futurus est vigor: Cum verò posteà, in ipso & paulò ante ipsum subtrahendum cibum. Quæ sententia eadem est cum præsenti, in qua summè tenuissimum victum imperat affectibus peracutis, quoniam statim summos labores obtinent, hoc est statim vigent Galeno interprete: vigori, itaque debetur hæc indicatio, vti confirmat communis experientium Medicorum praxis, qui à sorbitionibus ad vasorum inanitionẽ circa morbi statum transeunt in acutis morbis, quibus hæc diæta nõ competeret si solis esset extremis decernenda. Sed ne tempori quidem hæc intentio tribuenda est, eo modo quo ab Hippocrate & Galeno tribuitur: at morbi potius durationi: Aliàs quid impedit quò minùs in Ephemera, quæ febrium omnium tutissima est & leuissima ante declinationẽ cibus offeratur, cùm in acutis etiam perseuerantę febre non denegetur?

Imò verò nec durationi debetur, sed ipsi morbo qua morbus est, hoc est quatenus per se actionibus officit. Læsa enim actione suas vices explere nequit. Natura, coctioni perficiendæ suppar est, cibis, ne opprimatur, nullatenus oneranda: debetur quoque mor-

bificæ causæ, quæ neque deuinci, neque separari, neque expelli commodé nisi concocta potest: Coctionem verò qui perficiet distracta ab alimentis, & à morbo debilitata virtus? debetur & Symptomatis vt doloribus, vigilijs, cæterisque id genus, quæ non modò caloris innati substantiam dissipant, & naturæ robur penitus exoluūt, verum etiam ab ingestis plerumque exacerbantur.

Hæc omnia vt morbis omnibus sunt cōmunia, communi quoque indicatione, in morbis omnibus cibos respuunt. Non erit ergô hæc indicatio extremi solius morbi propria: Non solius (inquam) imò nec omnis. Testes hac in parte vt in priore appello Hippocratem & Galenum.

Is de acutorum diæta scribens, quibus inquit præter consuetudinem venæ sunt inanitæ, eodem die veniunt reficiendi. Et postmodum eos calumniam effugere posse negat qui imbecillitatē ex vasorum inanitione ortam minimè dignoscentes, victu premunt, hoc est inedia affligunt, siue igitur ob euacuationem sensui manifestā (inquit Galenus) siue ob eam quæ per halitum fit discussionem, siue ob inediam labefactata fuerit virtus, qui ita sunt affecti cibari quàm celerrimè expostulant. Ecquis verò Medici nomine dignus ita peregrinatur animo, vt in febribus colliquantibus peracutis ἀσιτίαν vnquam præscribat? Quis peracutum ab inedia contractum morbum inedia curarit? Ridiculus

2. Acut. t 28. ibid. t. 48.

Ibidem in comm.

Ibidem. ſanè fuerit (vt cum Hippocrate loquar) nam ſi Medicus alius, aut plebeius quiſpiā morbificæ cauſæ non ignarus ægrum interuiſens, cibum, potionemque quod alter vetuerat, miniſtrarit, præſidium attuliſſe exiſtimabitur, aut potius à morte languentem excitaſſe: Quis peſtilentem febrem, acutiſſimam ſanè, tenuiſſimam viuendi formam exigere autumet? cùm audiat Galenum profitentem, in
3. Epid. comm. 3. t. 58. diuturna peſte multos ex cibi faſtidio periiſſe ſolos fuiſſe ſuperſtites, eoſque ferè omnes, qui ſibi vim afferentes oblatos cibos aſſumpſerunt. Eminuerò teterrima putredinis & corruptelæ colluuie infecti ſpiritus atque exoluti, ipſa ſolidarum partium ſubſtantia euacuationibus importunis & depaſcente aduerſa qualitate exhauſta atque abſorpta. Niſi familiaris alimenti quaſi benigni cuiuſdam roris acceſſione continuò irrorentur, reficiantur, reparentur, vix tantillum ſubſiſtunt. Præterea exulceratis mammarum aliarumque partium cancris perſanandis nemo vnquàm hanc vitæ regulam inſtituerit, niſi qui conficiendum fame ægrotum ſibi perſuaſerit. Huiuſmodi cancros extremos eſſe morbos probat ipſa extremi morbi definitio, probat etiam curationis modus. Summam enim ipſi vim poſſident, atque ita grauiter affligunt infeſtantque corpus, vt ſum-
Galenus 6 Aphoriſm. comm. 38. mum periculum immineat ſalutis. Extrema quoque remedia exigunt, ferro & flammis tractantur. Denique peracutis affectibus, qui-

cunque tandē illi sint, & à qua causa oriantur, abnegandam inediā nullo negotio conijciet quisquis iactationem, vigilias, dolores, cordis morsus, cæteraque id genus Symptomata grauissima illis quotidiana, ac ferè inseparabilia substractis alimentis adaugeri didicerit. Hoc qui nesciunt, à Galeno ipso intelligant: Multò (inquit ille) consultius ab inedia abstinere, vt quæ & ægrotos ingenti molestia afficit, & vigilias, inquietudinem, Orificij ventris afflictionem, succorum prauitatem, corruptionem, acrimoniam, alui atque interdum vrinæ suppressionem parit. *Libro adverſ. Eraſiſt. c. 4.*

At quid inedia loquor? Qui bis die cibum sumere consueuerunt (inquit Hippocrates) nisi pransi fuerint imbecilli & informi sunt, timidique ad quoduis opus, & cardialgici, nempè his viscera pendere videntur, calidum mingunt & viride, id est, pallidum: stercusque exuritur, sunt quibus os amarescit, oculi cauantur, & tempora saliunt, partesque frigescunt extremæ. Et his quidem de sanis sermo est Hippocrati, quibus si tantas molestias exhibet aliquot horarum abstinentia, quantas languentibus excitabit tragedias omnimoda plurimum dierum inedia? *2. Acut. t. 4.*

Ad commodam horum omnium enodadationem, recolendum memoria est, quod satis superque hactenus videtur inculcatum: primam Medici intentionem in virtutis tutela occupari; virtute neglecta, vitam ipsam

negligi? illa destructa hāc destrui. Siquidem ab ea proficiscuntur actiones, quibus anima cum corpore tanquam necessarijs vinculis connexa & colligata detinetur. Virtutem voco ipsam materiæ hoc est corporis crasin & dispositionem, à qua velut à præcipuo fonte illæ dimanant operationes. Excludo hic animæ facultates, quæ cùm ab ipsa eius essentia profluant immediatè, neque mutationi, neque corruptioni sint obnoxiæ, Medicæ considerationis limites excedunt saltem quo ad praxim.

At verò corpus hoc terrestre & caducum vnà cum suis virtutibus continuis intestinisque diffidijs oppetitum, continuo effluxij peruium, continere se se, atque ab interitu repētino vindicare propria essentia nō potest, indiget ergô aliquo sibi familiari & simili, quod in deperditi locū succedat, virtutemq; vnà cum substantia dissolutam, substantiæ adiectione renouet, & instauret, istud est alimentum: Verùm impura corpora quantò magis nutriuntur, tantò magis læduntur, eòque magis si morbo infestentur, qui quo grauior est, eò grauiùs naturæ negotium facessit, & facultates naturales deijcit, vt iam prauis humoribus ad iustam symmetriam reuocandis, probèque conficiendo cibo satis esse nequeant. Quid igitur facias? Alimēta sibi ministrari iubet afflicta virtus, renuit morbus, renuunt collecti in corpore vitiosi succi, quorum permistione vitiosa qualitas in alimen-

2. Aphorism. 10.

tum

tum tranſit, ab hoc in vaſa omnia, inque omnem corporis habitum effunditur. OEdippo hic opus, à quo hic explicetur modus, aut Delphico potiùs oraculo, imò verò Hippocratico cuius hæc tanquam ex tripode dictata oratio noſtris animis altiùs defigēda.

Conijcere autem oportet & robur, & morbi cuiuſque modum, hominis item naturam, atque ægrotantis in victu conſuetudinem, non in cibis ſolùm, verùm in potionibus quoque. Hoc eſt ægrotantis robur, natura, conſuetudo cum morbo conferenda, præpollēti deferendā. Ita primo hoc Aphoriſmorū libro is ipſe exponit, cùm ex ægroto vult coniecturā fieri, an is cum præſcripto victu perſtet vſque ad morbi vigorem: an priùs deficiat, imparque ſubcumbat, quàm cedat morbus atque obtundatur. Probè intellecta hæc ſentētia ſcrupulū omnēamouet, quæ hoc ſibi vult *2. acut t. 36* *1. Aphor. 9*

Ad ſtatuendam integram victus indicationem duo concurrunt, victus & morbus: illa tanquam indicans, his tanquam contraindicans; Illa ſui conſeruationem expoſtulans, hic ſui expulſionē. Illa victum indicat, vt ſibi ſimilè, hic recuſat quatenùs minimè contrarium, quale ad expulſionem requiritur, illa indicat vt quo ſuſtentatur, hic reſpuit vt potè qui ſe ſuamque cauſam tuetur, impedita coctione, & laboribus adauctis. Ad illam referuntur natura & conſuetudo: ſub natura cōprehendit diuinus ſenex tem-

peramentum, humores, habitũ & ætatem. Externa prætermittit puta aërem (ad quem referre licet anni tempus, cœli ſtatum, regionem) exercitia, quietem, ſomnum, vigilias, excreta, retenta animique Pathemata; Eius quod præcipuũ eſt conſuetudinis ſcilicet in victu, breuitatis ſtudio ſolùm mentionem facit, Morbum non dicit ſimpliciter, ſed morbi modum, vt non modò ſpeciem morbi intelligendam putemus, ſed & cauſas & Symptomata, quæ morborũ vim, morem, formamque planè commutant. cauſæ nimirum malignitas & Symptomatum violentia efferata, morbi naturam faciunt à ſe ipſa longè diuerſam.

Iam modò ad rem, virtus ſui conſeruationem indicat, conſeruatur alimentis: quantò itaque vim maiorem patitur, tantò ſibi magis ſubueniri poſcit; Ea nimirũ cibi quantitate, ſub qua neque deficiat exoluta, neque exſtinguatur oppreſſa. Morbus contrà quò maior eſt, eò magis alimenta reſpuit, vt potè à quibus adaugetur, adauctus, ſi in extremorum ſit genere, nullis ampliùs præſidijs euinci poteſt.

Quamobrem iuxta ſingulos morbi gradus, diuerſæ victus normæ ſtatuendæ, leuis leuiter auerſatur cibos, mediocris mediocriter: magnus valdè ſummus extremè, tantũ igitur indulgendũ cibi, quantò morbus extremis eſt leuior, tantũ adimendũ, quantò vehemẽtior, concurrant modo ſummæ iſtæ indicationes,

hinc virtus grauissimè oppetita & languida refoueri sorbitionibus petat: morbus verò peracutus omnimodam inediam imperet, virtute certè potiùs intuebimur, quàm morbum, quanquam hinc indè extrema; In virtute prima anchora salutis. Licet enim adauctis cibis in extremo affectu pauca spes affulgeat, affulget tamen aliqua subsistente virtute, speramus dum spiramus, spes omnis cum facultate aboletur. Quod si sufficientem absque cibis virtutem confidimus morbi insultui perferendo, tantisper imminuendum, ne multiplicata causa, aut Symptomatis efferatis impetum ampliùs illa non sustineat. Tantisper (inquam) diuturni namque morbi, quantumuis appellentur extremi, validissima etiam facultate nutrire nihil prohibent habita longitudinis ratione. Quatriduanam inediã virtus tolerat, menstruam aut plurimũ dierũ vix ac ne vix quidem pertulerit.

Hoc iacto fundamento nullius negotij fuerit obiecta diluere, ad primum quo ex Hippocratis auctoritate cõcludebatur, morbi tempori, putá vigori, & nõ morbo hanc indicationem deberi, dicimus vigorem significare nihil aliud, quàm summam morbi exacerbationem à qua nos hãc indicationem sumi non diffitemur.

Acutorum itaque vigor, cùm peracutis æquiparetur, eandem vitæ formam requirit: æquiparatur quidẽ Symptomatũ & morbi

ipſius vehementis, quæ in id tempus concincidunt; æquiparatur & temporis duratione, contingit enim nonnunquam duas acceſ- *Gal. 1. de criſ. 10* ſiones vbi maximè factæ fuerint inuicem æquales, ſtatus tempus circũſcribere, nonnunquam verò vnam omnibus alijs præcedentibus, reliquiſque ſequentibus eſſe maiorem, ad tres autem extendi acceſſiones ſtatus, tempus in morbis acutis non admodum accidit.

Ad ſecundum admittimus durationem ſpectari: diuturnam quippè abſtinentiam ne integræ quidem vires etiam in valentibus niſi ſummo læſionis periculo ſuſtinuerint. Inde fit quod cancri cœterique id genus diuturni affectus, quanquam extremi ſint in ſuo genere, longioris temporis inediam non ferant. Addo particularium & vniuerſalium affectuum longè diſparem hac in parte rationem: non enim in particularibus vt in alijs adeſt æqualiter quod alimentum prohibeat, aut requirat. Affectæ particulæ vitium ab alimento exaſperabitur dum cæteræ partes inediã grauiter moleſtèque patientur euidenti facultatum omnium diſpendio.

1. Aphor. In Ephemeris autem per integrum acceſſionis tempus iubente Hippocrate abſtinemus quia commodè ἀπορεξίας aut ſaltèm declinationis tempus expectare licet cum 24. horis terminentur: quod ſi ab inedia hæ febres, vt in iuuenibus quandoque exci-


tentur, in ipsa accessione summo emolumento cibum humectantem offeremus. Ad tertium quo infertur non extremo solùm morbo tenuissimum victum competere, sed omni morbo, quâ morbus est, imò verò morbificæ causæ, & Symptomatis, satis superque sunt à nobis præfata. Morbum quidem, quâ morbus est cibũ recusare admittimus, at inæqualiter, plus scilicèt aut minùs pro graduum varietate, Morbifica causa, & Symptomata, quoniam morbi magnitudinem inuehunt, indicationem quoque inductæ à se magnitudini proportionatam inducunt, cui tamen in virium gratiam plerumque derogamus: interim seruato quo ad fieri potest modo, si non quantùm decet, saltem quantum licet, suo in officio natura contineatur, neque à coctione penitùs distrahatur.

Ad primum argumentum in quo tenuissimam victus formam non omnis extremi aut peracuti morbi esse propriam colligitur exemplo colliquantium pestilentiũque febrium, & earum quæ ab inedia, aut insigni aliqua euacuatione, siue occulta, siue manifesta sunt contractæ; vno verbo dicimus virtutis indicationem, morbi repugnantiam vincere.

Extremo argumẽto, in quo inediæ incommoda persentcentur, satisfiet modò importunam inediam à legitima distinguamus: importunã voco, quæ præscriptis anteá legibus

non ſubiacet, qualis illa Eraſiſtratæorũ, in qua neque morbi, neque ægri habetur ratio. Legitima eſt quæ peracutis affectibus imperatur, non reluctantibus ægrotantis viribus, natura, & conſuetudine.

Firma iam & indubitata maneat noſtri Aphoriſmi veritas peracutis morbis ac etiam extremis ſummè tenuiſſimum victum ſub præfatis limitationib⁹ perpetuò iniungẽdum: tantùm verò indulgendum eſſe quantò morbus extremis eſt leuior.





Ὁκόταν δὲ ἀκμάζῃ τὸ νούσημα, τότε τῇ λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι.

Quandò viget morbus, tunc victu tenuiſſimo neceſſe eſt vti.

Commentarius.

SIue ſeparatim legatur hic Aphoriſmus, ſiue præcedenti annectatur, certum apud me eſt, ijſdem quibus illud fundamētis inniti, poſtremamque illius clauſulam reſtringere: tantùm videlicet de victus tenuitate imminuendum, quantò morbus extremis eſt mollior, ita tamen vt in vigore: tenuiſſimè alamus. Fundamentum prioris hoc fuit Galeno docente. Quo tempore grauiſſimæ fiunt concitationes morborum, & natura coctioni maxime' eſt intenta tenuiſſimo victu vtendum eſt; vtrumque ſtatim fit in peracutis, ſtatim itaq; tali victu vti par eſt. Eadem poſita ma-

iori, vera erit hæc minor: ſed vtrumque fit in vigore morbi, vnde infertur in vigore tenuiſſime' alendum. Poteſt quoque prioris ſententiæ, hæc ſtatui fundamentum, morbis vigentibus tenuiſſime' cibandum, in morbis ergô peracutis quandoquidem ſtatim vigent ſtatim tenuiſſime' cibandum. Itaque vniuerſalia priore eſt hæc ſententia, vt pote' quæ morbis omnibus competit, illa ſolis peracutis. Vltima porrò præcedẽtis Aphoriſmi particula docemur, in leuioribus affectibus à ſumma illa victus tenuitate deflectendum, quod ne cui aberrandi occaſionem præberet, negat hic à principio ad finem procedere illam regulam, itavt pleniùs ſemper nutriamus, quandoquidem in alijs quoque affectibus quàm peracutis cùm ad vigorem ventum eſt tenuiſſima conuenit victus forma. Imò verò (ſi Philotheo credimus) non ſolùm in peracutis vel acutis dum vigent, tenuiter alere par eſt, ſed & in diuturnis. Quamobrem ſi generalem & morbis omnibus communem ſtatuamus huius Aphoriſmi ſententiã, tenuiſſimi nomen non abſolute' accipiendum erit (vt volunt nonnulli) ſed cõparatiue' ad pro-

1. Aphoriſ. comm. 10.

priam morbi cuiusque ideam. Aphorismi ratio à Symptomatum incremẽto sumitur, & morbificæ causæ coctione, vti dictum est; Et in ijs tantùm locum habet in quîbus salutem expectamus, desperati soli prognostico relinquantur, ne infortunatus exitus, nostræ parcimoniæ imputetur. Denique intelligendus hic Aphorismis sub virium limitatione, de qua in præcedentibus egimus, & in sequentibus quoque sermo erit.

Quæstionum series & ratio.

EIusdem subiecti repetita tractatio difficultatũ causas imminuit, versatur hîc etiamnum in victu præscribendo noster Hippocrates, de quo pluribus hactenus. Sed alteram eius indicationẽ profert, desumptam à vigore morbi, in cuius intellectum duplex instituta quæstio; Prima, quid & quotuplex sit vigor? Altera, an in vigore morbi victu tenuissimo semper vtendum sit?



Quid & quotuplex ſit vigor.

QVÆSTIO PRIMA.

VErbum ἀκμάζω quo in hoc Aphoriſmo vtitur noſter Hippocrates, & vox ἀκμὴ quam in ſequentibus vſurpat, vario apud probatos auctores Grammaticos, Philoſophos, Medicos, capiuntur modo.

A'κμάζειν maturari ſignificat, feruere, inualeſcere, exacerbari, creſcere, excellere, vigere. Atque aliàs ætatibus, aliàs plantis, aliàs anni tempeſtatibus, morbis aliàs, atque vt ſummatim dicam rebus omnibus aut propriè, aut Metaphoricè accommodatur.

Lib. def. Med. A'κμὴ eodem modo quandoque ea ætas Galeno dicitur quæ adoleſcentiæ ſuccedit, in qua auctum perfectumque animal eſt. Quandoque pro ſummo cuiuſque rei incremento, vigore, vehementia, robore, vi, acumine, ſtatu, maturitate ponitur. Quorum omnium exempla congerere vt nullius difficultatis, ſic nullius, meo iudicio, foret vtilitatis. Vtriuſque vocis vim intellexiſſe operæ pretium fuit ad præſens inſtitutum, ſic enim eius de quo quæſtio eſt natura clariùs innoteſcet.

Quanam modò ratione vtramque dictionem in his Aphoriſmis reddemus? Vt lubet

sanè: morborum vigori conueniunt præfatæ significationes omnes. Dicitur quidem summum morbi incrementum, vehementia, vis, robur, vigor, acumen, symptomatum ratione, quæ tum maximè increuêre & vigent, & pungunt atque excruciant: vnde vehementissimum totius morbi tempus Galeno appellatur, & morbi maximum Symptoma. Et Plantius hæc nostri Aphorismi verba ὁκόταν δὲ ἀκμάζῃ τὸ νούσημα, ita latinè expressit, quando morbi vis est maxima. Ἀκμὴ itaque summam morbi vim significat, summumque incrementū. Non quod tum temporis semper fortior sit morbus, imò verò in ijs, qui seruari debent longè melior est quàm initio, vt potè concoctis humoribus, moxque ad expulsionem paratis, qui anteà & crudi erant & rebelles. Quam ob causam dum inquit Hippocrates, in principio & fine morborum leuissima esse omnia, in statu autem vehementissima, ne sub omnium nomine comprehendi putentur aut morbus, aut morbi causa, addit Galenus Symptomata, febrium scilicet, accessiones, vigilias, dolores, implacidam molestamque corporis iactationem, & afflictionem irrequietam & sitim. Statum quoque significat & maturitatem apud Medicos, hæc dictio: statum quidem, quoniam vlterius progredi non potest morbus, summa tum adeptus consistit, nec vlterius adaugetur.

1. de cris. c. 1. & 8. & 1. Aph. com. 7.

Galen. 2. Aphoris. comm. 29. & 30.

Galen' lib. de morbi temp. C.1.

Quemadmodum enim & ipſi nos geniti ad vigorem vſque augeſcimus, inde iam contabeſcere incipientes ad extremam vſque corruptionẽ declinamus, ſi omnes ætates percurrimus pari modo ſinguli morbi à prima ſua conſtitutione ad ſtatum vſque increſcunt, dum pro augmenti prioris portione decreſcant, & in totum diſſoluantur.

Maturitatem verò ſignificat propter coctionem quæ tum elaboratur maximè.

Quanquam verò his dictionibus omnib' promiſcuè vti licet, latinis tamen ſcriptoribus, atque in genere Medicis communi loquendi conſuetudine inualuit vigoris aut ſtatus appellatio. Et porrò ſtatus ſiue vigor (ne vlterius immoremur in nomine) tertium totius morbi tempus, in quo Symptomata grauiſſimè inualeſcunt, nulla aut deprauata coctione apparente, aut perfectæ coctionis ſe ſe produnt indicia, aut Symptomata cum coctionis perfectæ notis ingraueſcunt: tempus morbi in hac deſcriptione genus eſt principio, augmento, vigori & declinationi commune.

Ad aliorum differentiam tertium addidimus, nam mutuò eo ſe ſe ordine conſequũtur tempora quem propoſuimus.

Totius quoque particulam adiunximus, vt particularem ſtatum ab vniuerſali diſtingueremus.

Quæ ſequitur clauſula (in quo ſymptomata grauiſſimè inualeſcunt, nulla aut de-

prauata coctione apparente) morbis lethalibus competit.

Huic proxima (aut perfectæ coctionis se se produnt indicia) & solis & omnibus salutaribus propria est, eosque à mortiferis seiungit; quorum ascensus vigorque non vt illorum in coctione, sed in cruditatis mortiferisque signis consistit. Quemadmodum enim colore laudabilis, consistentia mediocris vrina, quæ & nebulam habet, aut suspensum, aut subsidentiam naturæ morbi conuenientem, vt optimè cocta est, ita quoque salutem pollicetur: sic quæ & colore alba est, & consistentia tenuis aquæ speciem referens, sine vllis contentis crudissima. *libro de totius mor. temp. C.6.*

Quod si vel innatet, vel suspendatur, aut subsideat nigri aliquid, maximèque si tota turbida appareat lethalis est. Si pinguis sit & oleacea, si fœtida, si quæpiã farinæ crassiori, aut laminæ similia in ea conspiciantur, mortem protendit. Communissima ergô certissimaque dignoscendi status cæterorumque temporum regula dum morbi solutionẽ expectamus, à cruditatis & coctionis indicijs petenda est. Morbi lethales toto quandoque decursu summam sine varietate vlla præ se ferunt cruditatem. Aliàs ab initio statim signa in excrementis perniciosissima exhibent, quorum cùm nulla appareat immutatio, nulla quoque temporum ab his habetur distinctio.

Vltima descriptionis pars (aut Sympto-

mata cum coctionis perfectæ notis ingrauescunt) salutaribus dumtaxat conuenit, non tamen omnibus sed ijs solùm quorum materies ad vnicam expulsionem asseruatur. Cum paulatim soluitur affectio, sensim resudante vel erumpente materia, sæuiunt à principio statim aut in augmento symptomata, pacatiora fiunt in statu. Idem quoque euenit vt plurimum materia turgente. Rem si ita lubet Galeni exemplis declaremus in gratiam iuniorum.

Gal. lib. de toti⁹ morbi temporibus c. 3. In pleuritide & Peripneumonia tenue sputum redditum principij indicium est: augmenti, cùm aliquantulum crassescit. Status cum legitimam adeptum est crassitiem, quo tempore vt liberius exspuitur, ita & accidentia mitescunt. Eodem modo in lippitudine initio quidem tenuis humor & incoct⁹ plurimum defluit, tumque maximè vrget dolor, deinde paucior crassiorque notam aliquam coctionis accipiens: postmodum decrescente copia, consistentia verò ad crassitiem spectante coctionis augentur signa euanescentibus symptomatis. In humorũ quoque é cerebro per palatum & nares defluxu, aquei primum tenues, copiosi & acres irruunt qui extremam denotant cruditatem: coctionis notæ iam sunt crassior & minùs acris modicusque humor depluens: In statu, tenuitate, acrimonia, plurimum imminutis, minuuntur & symptomata.

Verum aduersus ea quæ diximus graues

occurrunt dubitãdi rationes. In primis cum vigorem diximus tertium eſſe tempus: Videtur enim quandoque primum, cùm primo ſtatim inſultu ſummam vim conſequatur morbus, id quod de peracutis præcedenti Aphoriſmo audiuimus, quos inquit Hippocrates ſtatim extremos labores habere: Per ſtatim intelligitur communiter morbi principium. Et hoc quidem in Apoplecticis & Epilepticis longè euidentius cernimus, qui mox vt inuaduntur ſummos experiuntur affectus, quos verè proinde dixeris à ſtatu inchoare.

Præterea ſi perfecta in vigore concoctio, vnde tanta ſymptomatũ atrocitas? ſi imperfecta vnde perfectæ coctionis notæ? Humorũ certè acrimonia coctione mitigatur: qui anteà contumaces erant atque efferati, coctione quandam cum natura familiaritatẽ ineunt, mediam inter laudabiles & prauos conditionem ſortiti. Iſtud experientia quotidiana comprobat, Experientes practicos teſtes nomino, quam ſæpè prodeuntibus abſolutæ coctionis indicijs, nulla adhuc ſenſibili euacuatione, aut arte tentata, aut natura, tota morbi materia ſolitis etiamnum conceptaculis contenta atque coërcita, leuior nihilominus ſe ipſo reddatur æger, cedant dolores, vigiliæ, ſitis, aut plurimum ſaltem retundantur, cœteraque id genus Symptomata. Idem confirmant paulò antè allegata exempla.

Lib de tot morbi tēp. Capite 4.

Priori dubitationi ſatisfiet, ſi ſupponam⁹ cum Galeno morborum tempora apertè quandoque ſecerni, quandoque obſcurè: Aliàs prorſus diù multumque ignorari. Apertè ſanè in peracutis dignoſci poſſunt, cū inter ipſa dierum aliquot ſpatium intereat, qua de cauſa per ſtatim non intelligit præcedenti Aphoriſmo Galenus, neque interpretum quiſquam, principium, aut primum morbi inſultum, ſed primos dies vſque ad quartum, aut paulò vlterius, quod interuallum ad apertam dignotionem eſt ſatis. Obſcurè diſtinguntur cum ita breue eſt interſtitium, vt animo id concipias potius quā re ipſa deprehendas, ita obſcurè (inquam) dignoſcuntur, vt etiam reuerà ignorentur quo ad ſenſum.

Quemadmodum autem in ijs qui truncantur capite, ſectio (vt potè quæ tempore fit) aliquod habet & prius & poſteriùs, ita quoque in Apoplexia temporum diuiſio eſt quam mente quidem cōprehendas, ſed quæ Medicos vſus nihil promoueat. Promoueret certè ſi diſpoſitionis illius ſtatum à qua iſtud ſymptoma oritur prænoſſemus, cuius & vigor, & augmentum, à primordijs non parùm euariāt, Et hæc ea eſt diſpoſitio quæ diu multumque antè latuit, quam ſuū proderet effectum. Ad ſecundum dico partim perfectam, partim imperfectam eſſe in vigore concoctionem. Circa quod ſciendum eſt putrefactionis & coctionis, & pote contrariorum

trariorum, eandem esse rationem. Quemadmodum igitur quod putrescere aptum est, semper ad continua dispartitam continet caliditatem (vt cum Galeno loquar) cuius istud affert experimentũ. cùm in agro essem (inquit) conspexi excrementa iumentorum simul & columbarum quædam ex parte à sole adeò vehemẽter calefacta vt instar fumi multam in sublime euaporationem mitterent, non parum mordacem & dolorificam: non tamen continuò is casus perdurabat, sed in die qui sequebatur quicquid ad summum feruoris peruenerat refrigerabatur: postmodum quod huic continuum erat dum prima pars quæ feruorem conceperat, in summo esset feruore, ipsum interim paulatim succensum, mox priori se feruore remittente iterum incalebat, atque efferuescebat, & quæ sequuntur. Vt ergò putredo humores putredini aptos sensim & successiuè corripit; eodem modo coctio sensim & successiuè in humoribus à calore perficitur, quare quo tempore circa coctionem maximè occupatur natura, in vigore scilicet, eius quod iam probè confectum est se se profe-runt notæ: eius verò quod tantum inchoatum est, quodque imperfectum vehementi agitatione casus ingrauescunt. *Gal. 1. de diff. feb. Capite 5.*

Nimirum tale quid morbis febrilibus accidit, quale in ijs quæ suppurantur inflammationibus. Illic cùm generatur pus dolores præcipuè contingunt & febres, extenta *Galenus 1. de Crisibus cap. 18.*

Galenus 2. Aphorism. comm. 47. simul & calfacta præter naturam particula, & hîc quoque dum coctio fit humorum, qui febrem accendunt, ab extensione vehementi, & concitatione caloris similiter euadit.

Libro de crisib⁹ ibi. Sic in Anaxione quantum ex prima illa crisi defecta relictum erat, hoc rursum efferuescens in coctionis tempore, illam quæ antecessit secundam crisin, febrem generauit. Licet & aliter respondere, statum scilicet habere latitudinem non exiguam quæ in plures secatur partes, principium, medium, & finem. In fine perfecta vt plurimum coctio est, in reliquis temporibus perficitur.

Quamobrem cùm statum definimus ex perfectæ coctionis signis in vrinis apparentibus, vel de vltima status parte intelligendum est, vel perfectæ coctionis loco legendum, quæ perficitur, nam si imperfecta in humoribus coctio, vt potè quæ adhuc supponitur in fieri, vndè perfectæ coctionis notæ in vrinis?

Tria ex dictis notanda, primum in febribus, quemadmodum in tumoribus adaugeri febres, doloresque induci & symptomata ex quadam veluti ebullitione & exustione sanguinis, aut reliquorum humorum qui coquuntur. Alterum successiuè fieri coctionem, nec simul & semel omnes maturari partes, vnde postmodum ex reliquiis, recidiuæ motus. Istud ex his Galeni verbis elicere vnusquisque potest. Quæ ex humore (inquit)

citra inflammationem proficiſcitur febris, in humore moleſtante, cruditatis tẽpus principium ponendum eſt: dum concoqui cœperit, principium finitur, & ſecundum tempus quod aſcenſum vocant ſuccedit: At cùm ipſa concoctio maximè fit vigor: inde rurſus declinatio, quaquidem & ſymptomatum magnitudo & humorum copia ceſſauit, reſtat verò in ea humorum adhuc modicum qui concoctionem requirunt. Ecce vt in vigore non ſimul humor omnis coquitur; ſed nè totus quidem. *Lib. de tot. morb. temporib' c. 3.*

Tertium colligimus ex præfatis his verbis (& cum ipſa coctio maximè fit, vigor) nempe coctionem in vigore perfici, nondũ omninò perfectam eſſe; Quare in vigore ſigna viſuntur perfectæ coctionis, ſed imperperfecta, hoc eſt, nondum ſuis omnibus muneris abſoluta. A potiori tamen fit denominatio, quam ob cauſam vigorem ex perfectæ coctionis ſignis definimus.

Neque obſtant allata ex Galeno paulò ante exempla, in quibus abſolutæ, perfectæque coctionis indicia ſupponuntur. Iſtud in ijs ſolùm valet affectibus, qui ſenſim vacuatione ſoluuntur; in quibus ea dumtaxat prodeunt ſtatus tempore, quæ planè ſunt concocta: quæ non omninò perfectè cocta, perficiuntur, ſenſimque vt perfectè cocta ſunt, excernuntur.

Sic in pleuritide ad augmentum morbus conuertitur, cum pauca cocta expui incipiũt, *1. de criſ. Capite 18.*

fitque ad ſtatum vſque ad plura & meliora ſputa progreſſus: In ſtatu exquiſitè cocta, & multa, & facilè educuntur: in declinatione ſimiliter, at pauciora. Senſim quippè coctio fit, ſenſim euacuatione morbificæ cauſæ copia minuitur, eo ſemper quod paratius eſt ac magis elaboratum prius erumpente. Sic in externis abſceſſibus pus abſolutiſſimum prodire ex vna parte videmus, ex altera incoctum & imperfectum vi exprimi, ſenſim tamen at non ſimul vndequaque elaborari, elaboratum ſponte naturæ ſeparari: Quod verò ſeparatur perfectæ coctionis ſpecimen exhibet. In febribus eo ipſo modo coctio fit quo in ijs quæ ſuppurantur inflammationibus, at non ſenſim vt in ijs coctorum euacuatio; cum igitur vrinæ partim ab abſolutè coctis decidantur, partim ab ijs quorum perficitur coctio, non poſſunt non amborũ ſimul notas proferre.

Signa itaque perfectę coctionis proferunt, ſed imperfecta, niſi fortè in extrema ſtatus parte, quæ declinationem proximè attingit.

Quoad alteram quæſtionis partem attinet, duplicem vigorem ſtatuimus: Alterum vniuerſalem de quo hactenus inſtituta oratio. Alterum particularem de quo in ſequentibus. Vniuerſalis, totius morbi tempus eſt: Particularis, vnius acceſſionis ſolùm. Vnius morbi vnus eſt vniuerſalis ſtatus, plures particulares, vt plures ſunt acceſſiones. Vniuerſalis vigor quot habet circuitus, tot habet parti-

culares vigores: Illius à coctione, aut symptomatis, aut vtroque simul: huius à caloris motu, ac symptomatum vehementia petuntur notæ. Is morbis omnibus communis est: hic, illis tantum affectibus qui per circuitus recurrunt. Illud commune vtrique est quod sæuissimis plerũque torquent symptomatis.

Quare in vtrumque cadit deterrimi temporis appellatio.

Subdiuidere vniuersalem licet in eum qui symptomatum ferociam coniunctam habet cum perfectæ coctionis indicijs, & eum cui horum alterutrum deest, aut ferocia, aut coctio. Et hæc subdiuisio ad difficultatum quarundam enodationem, plurimosque vsus Medicos non inutilis.

An in vigore morbi victu tenuissimo semper vtendum?

QVÆSTIO SECVNDA.

ITa sentit noster Hippocrates hoc Aphorismo, apud quem in his potissimum breuibus sententijs suam habet Emphasim quæque dictio. Quorsum verò ἀναγκαῖον hoc est necesse dixisset in vigore morbi tenuissimam diætam seruare, nisi perpetuum id foret? Quorsum simpliciter, & indefinitè, cùm indefinita oratio æquiualeat vniuersali. Ita

ſentiendum confirmant Galeni rationes : ſi enim quo tempore natura coctioni maximè attenta eſt, diſtrahi alimentis non debet: ſi quo tempore Phlegmaſiæ vrgent, & grauiſſima ſymptomata, proritanda non ſunt acceſſione alimoniæ; natura illorum impetu validè perculſa & debilior reddita nouo quaſi onere premenda non eſt, non opprimenda, in ſtatu certè abſurdum circa nutritionem occupari, quando vel illorum alterutrum, vel vtrumque ſimul obſiſtit.

Duplici ergô nomine cibus in ſtatu detrahendus, morbi ſcilicet & virtutis ratione. Morbi, ne augeatur, & efferetur. Virtutis ne obruatur.

Addo morbum ex ſe, aut morbificã cauſam tantam quantam initio cibi copiã non permittere. Virtutem ad ſui conſeruationẽ minorem expoſcere, vt potè quæ paulò poſt morbum ſit euictura.

16. Metho-di. 5. At contrarium in Phlegmonarum curatione docet Galenus, præcipit in earũ principio λεπτότατως διαιτᾶν tenuiſſimè alere.

3. Acut. ſ. 13. Contrariũ etiam in praxi obſeruat Hippocrates dum in Pleuritide deſcendente illicò purgationem exhibet, cuius operatione abſoluta ſorbitionem quidem eodem die imperat ſed ſolito minorem, quoniam purgatione agitata & labefactata virtus tolerare alimoniam non poteſt, neque probè conficere niſi omninò pauca fuerit at ſequentibus diebus, hoc eſt in ſtatu, illam ſenſim

adauget, liberaliorem perpetuò concedit. In ſtatu (inquam) non enim putandum ſtatim vt perfecta purgatio morborum ad declinationem veniſſe. Imò verò in quacunque pleuritide Ptiſanam neque multam, neque craſſam admodum circa initia exhibet, ſed prodeunte ſputo eandẽ auget. Hoc præceptum in febribus (quod minus ferendum videtur) ſequutus Auicennas, ignorata febris natura ſubtiliandum regimen ad maiorem cautelam admonet: talis autem ignoratio in principio accidit.

2. Acut. t. 21. & 25.

Libro 4. feb. 1.

Quis verò in ſtatu intermittentis tertianæ genus id vitæ præſcripſerit? Si tertianæ non conuenit, multò minus intermittenti conueniet quartanæ. Dices leues hoſce affectus extrema non requirere; augeri victus tenuitatem circa magnitudinis morbi gradum. At quid de anaxione cenſebimus pleuritide laborante? An credibile eſt ipſum toto ſtatus tempore qui ſeptem dierum fuit (nam à vigeſimo ſeptimo, ad trigeſimum quartum perdurauit) tenuiſſimum victum præcepto Hippocratis obſeruaſſe? Tenuiſſimũ inquam; exactè, hoc eſt omnimodam inediam, qualem intelligere dicimus Hippocratem cum de tenuiſſimo ſine adiectione loquitur, vel certè melicratum. Pendet ex ſuperioribus horum nodorum ſolutio quæ breuibus repeto ad faciliorem memoriam.

Dictum in primis potiſſimam victus indicationem ad vires pertinere, tantum in-

Galenus 1. Aphoriſ. comm. 9.

dicationi à morbo sumptæ tribui quantum per ipsas licet; Itavt in ipso etiam vigore nutrire aliquando cogamur si casus irrepserit aliquis robur dissoluēs. Quemadmodum in Thoracis affectibus, in quibus crebra per tussim & expectorationem agitatione concussæ virtuti cibis potius quàm medicamentis consulendum.

1a Methodi 16.

Dictū prætereà diuersas vitæ formas iuxta morborum naturam & magnitudinem applicandas. Sic leuioribus, leuiora; mediocribus, mediocria: magnis, magna, extremis conueniunt extrema, positis debitis conditionibus.

Dictum tertiò morbificam causam sensim quandoque excerni, aliàs confertim, totamque in vnam aliquam crisim siue expulsionem asseruari. Dum paulatim expellitur, vt in pleuritide, paulatim quoque progrediente morbo adaugenda alimonia, in vigore maximè coctionis quo plurima expuuntur, vt adaucta virtus inchoatum opus (excretionem intelligo) perfectè expleat. In cæteris propter allegatas initio rationes parciùs offerenda.

Dictum quartò non accipiendum absolutè tenuissimi vocabulum, itavt in quocunque morbo tenuissimum victum necessariò iniungendum putemus, sed comparatè, ad cuiusque morbi naturam, hoc nimirū sensu. In vigore cuiuslibet morbi imperanda tenuissima illa vitæ regula quam ex propria

natura morbus exigit, potest quoque intelligi comparatiuè ad reliqua morbi tempora, hoc sensu: in vigore tenuissimè præ cæteris morbi temporibus nutriendum, suppositis præfatis conditionibus.

Addimus ipso morbi principio victum subtrahendum, in fluxionis metu; quam ob causam in Phlegmonarum principio tenuissimè alebat Galenus. Neque si crudioribus succis infarctus sit ventriculus, ante exhibendum quam vel sponte, vel artis beneficio isti descenderint.

His pro fundamento positis facilis argumentorum solutio. Galeno iam satisfactum est. Ad Hippocratem patet ex primo & tertio, & vltimo supposito. Responderi etiam potest victum adaugere Hippocratem, sed cum restrictione, nempè modo cessauerit dolor; Cessat autem penitùs non in statu sed declinatione. Declinatio porrò, si Symptomata spectemus, statim quandoque à venæ sectione, aut purgante Pharmaco in laterali morbo accidit: id quod ipso vacuationis die, vel sequenti sæpe mihi licuit obseruasse. Addidi (si Symptomata spectemus) nam coctionis habita ratione de temporũ distinctione aliter iudicium feremus. *Gal. 1. de Crisibus capite 8.*

Ad Auicennam dicimus, nusquam ipsi in mentem venisse initio quarumcunque febrium tenuem præscribere diætam, sed à solita & pleniore sanorum viuẽdi ratione recedere, ne materiæ morbificæ, ex congestione cru-

ditatum cumulus adderetur.

Ad argumentum de febribus intermittentibus satis esse possunt quæ secundo habentur supposito. Quanquam nihil obstat quò minùs in eiusmodi affectibus interualli tempore etiam in vigore vniuersali copiosè nutriamus. Non enim prohibet morbus vt potè qui intermittit: non renuit virtus vt quæ, intermissione recreata, liberius conficit alimentum.

Anaxioni verò non exactè tenuissimus victus imperatus est ab Hippocrate, sed is quem affectus ratio postulabat. Neque per tenuissimum, exactè tenuissimum intelligimus in hoc Aphorismo, vti docuimus.

Discutienda hoc loco pulcherrima dubitatio, vnde hæc tenuissimi victus in vigore indicatio, si nihil indicat tempus? Recens vetusue vlcus nihil indicat (inquit Galenus) quanquam indicare videtur nonnullis, sed hi seipsos fallunt, non aliter quam in ijs quæ ad victus rationem spectant, cum aliam initij, aliam incrementi, aliam summi vigoris, aliam remissionis indicationem esse dicunt. Is ipse Thessalum his aggreditur verbis.

3. Methodi 10.

Ex diuturnis vlceribus quænam est, ô generosissime Thessale indicatio? Ego sane non ex his, neq; ex recētib⁹, neq; omninò à tēpore in vllo morbo curationē vnquam inueni, sed ex ipso quem sanandū mihi proposui affectu.

Galenus 4. Methodi 4.

Prorsus enim si tempus spectabitur tanquam ab eo indicatio sumatur, alteram se

cundus, alteram dies tertius indicationem suggeret: ad eundem modum & quartus, alteram à quinto. Et ab his omnibus sextus, & à reliquis qui sequuntur singuli.

Respondemus nos, nullam à tēpore aut curationis aut victus indicationem peti, sed ab affectu ipso, cuius à tempore sumuntur indicia. Tria enim hæc se se mutuò consequuntur signum, affectio, curatio. In inueteratis ergò vlceribus vitiosi succi signum est diuturnitas: affectus: succi vitium; curatio, eiusdem expulsio. Veteres secundo prætermisso tertium plerumque subijciunt. Sic iubet Hippocrates, ab inueteratis vlceribus sanguinem effluere assiduè sinamus, vtcunque id oportunū videbitur, non vtique curationem indicante vetustate, sed sanguinis vitio, à quo prohibetur ne vlcera sanescant. *Galenus 4. Methodi 5.*

Eodem modo & principium & augmentum, & vigor, & declinatio morbi constitutionem & mutationem designant, ab hoc statu & mutatione diuersa oritur victus intentio.

Statuimus ergò (vt rem totā pauca conferamus) in vigore tenuissimè cibandum, habita ratione virium & morbi à quibus hæc victus procedit intentio, non à tēpore. Tempus solùm denotat veri indicantis conditionem. Itaque in diuturnis morbis copiosior erit in vigore alimonia, quam in breuibus, non quod diuturnitas aut breuitas ex se quic-

quam immutent, ſed ſtatum virtutis futurum deſignant. diuturnitas quidem indicio eſt facultatem tanto tempore ſine cibo ſubſiſtere non poſſe. Cibus ergô offerendus facultatis ratione, etiamſi contraindicet morbus. E contrariò magnitudo morbi ſumma in vigore, tenuiſſimum poſtulat victum; eiuſdem vigoris breuitas indicio eſt tantillo tempore perſiſtere, virtutem integrã poſſe abſque alimento, quare breuitas ſignũ eſt virtutis conſtantis, virtus conſtans abſtinentiam illam perfert & permittit.





Συντεκμαίρεσθαι, δὲ χρὴ καὶ τὸν νοσέοντα ἢ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ πρὸς τὴν ἀκμὴν τῆς νούσου, καὶ πότερον ἐκεῖνος ἀπαυδήσει πρότερον, καὶ οὐκ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ: ἢ νοῦσος πρότερον ἀπαυδήσει καὶ ἀμβλυνεῖται.

Conijcere autem oportet nunquid æger cum tali victu ad vigorem morbi sufficiat, & nunquid deficiat priùs, nec possit cum tali diæta persistere, an priùs desistat morbus & retundatur.

Commentarius.

DOcuimus hacten⁹ victus indicationem à duobus peti, morbo scilicet & viribus. De morbo in præcedẽtibus; de viribus hoc dicemus Aphorismo. Virium quidem prima potissimaque in

constituendo victu habenda ratio, vt pote quarum gratia is instituitur: tantum itaque de intẽtione à morbo sumpta remittendum est, quantum ipsæ adhortnatur, tantum cibi indulgendum, quantum ipsæ expostulant, ne priùs cũ ipsis vita deficiat quàm morbus obtundatur. Potest autem hic Aphorismus ad septimum referri, itavt alterã eius partem expleat, hoc sensu: non modò ab extrema victus tenuitate recedendum ea proportione, qua morbi magnitudo & vigor recedunt ab extremis, sed & vires quoque æstimandæ, pro quarum modulo alimoniæ modus imponendus. Potest quoque cum præcedente coniungi vnamque hanc sententiam efficere: in vigore quidem tenuissimo semper vtendum est victu si morbũ spectemus, verum obstat quandoque naturæ vis quæ nisi alimento instauretur, effœta iacet, & elanguida priùs quàm morbus profligetur. Vtramque interpretationem admittimus tanquam vtilem & consentaneam: vtraque est ad mentem Galeni. Posteriorem quidem hæc illius verba continent: nutrire aliquando cogimus in ipso morbi statu, si casus interuenerit aliquis naturæ robur

dissoluens. Priorem illa: cùm ita robusta virtus fuerit, vt speremus perdurare ipsam posse toto intermedio tempore ad summum vsque vigorem morbi, exquisitam habebimus declinationis quãtitatem. Vtramque igitur amplexi cõmode sic Aphorismum interpretamur. Si quando animaduertat Medicus cum præscripta victus regula non posse ægrotum ad vigorem & in vigore subsistere, tantùm indulgeat, quantum exposcunt vires ne priùs cum ipsis fatiscat anima, quàm morbus.

Huic interpretationi famulatur præpositio illa πρὸς, quæ cum accusatiuo iuncta ad, apud, erga, circa, sub, ante, versus, in, cum motu, & sine motu significat. Quarum significationum nullo in præsentia ab intento nostri Hippocratis, vti nec à veritate aliena.

Quæstionum series & ratio.

Noua hîc proponitur victus intentio, à virtute desumpta, quam ob causam toti circa virtutis contemplationem versamur.

Quærimus primùm quid sit virtus, seu

facultas.

Secundò, quot ſint facultates principes, nam de alijs non loquitur Aphoriſmus.

Tertiò, de qua facultate ſit audiendus.

Quartò facultatum principum indicia declarantur.

Vltimò (cùm conijciendum moneat Hippocrates, vtrùm conuenientem diætam poſſit nec ne integra virtus perferre) vnde petenda ſit futuræ virtutis coniectura copiosè demonſtratur.

Quid ſit facultas?

QVÆSTIO PRIMA.

CVm hìc & alibi ſæpè facultatis ſit mētio, imò verò cùm nihil in omni medicina adeò tritum ſit & familiare quam facultatis commemoratio, ſiue de victu, ſiue de euacuationibus loquamur, aut cæteris actionibus Medicis, operæ pretium eſt quid hoc nomine intelligamus; An vni dumtaxat, an pluribus illud conueniat: cui in præſentia applicari debeat aperire.

Circa primum nonnulla facilioris doctrinæ gratia delibanda, illud in primis facultatem, potentiam, robur, vim, virtutem, naturam, ἰσχὺν δύναμιν, ῥώμην, ἀρετὴν, φύσιν & ſi quæ alia id genus græcis aut latinis vſitata vocabula, promiſcuè apud Medicos pro ſynoni-

Synonimis vsurpari.

At non vno tamen semper capiutur modo, ad diuersa vnumquodque extenditur. Aliàs enim præcisè dicunt animæ aptitudinē ad operandum: Aliàs solam notant instrumenti dispositionem: Aliàs vtrũque simul connotant: nõnunquam etiam actus & operationes sua significatione includunt.

Rem clariùs explico. In omni actione tria hæc sese mutuò consequuntur, essentia, virtus, actio: virtutem quippe sequitur actio, virtus essentiam: essentiæ quidem primariò debetur operatio, verùm cùm operari immediatè ipsa non possit, neque tot tamque varios effectus producere vna & eadem persistens, quot & quàm varios promit simplex rationalis anima, multis se facultatibus & potentijs fundit atque ostentat.

Haud secùs ac pomũ, quod reuerà vnum (vt Ferneliano vtar exemplo) varias spargit qualitates, odorem, saporem, & colorem: itaque dum vna animæ essentia complura de se profert opera, varias in hæc facultates accommodat, vt sit sua cuiusque operis facultas, neque sint vnius & eiusdem facultatis opera diuersa. Porrò facultas ipsa non nisi in subiecto legitimè disposito, vim suã prodit, non enim si videndi potentiam calcaneo inesse fateamur, ideo videre calcaneum inferemus, nisi adesse pariter illic videndi instrumentum demonstretur.

Libro 5. physiologiæ Capite 2. Gal 1. de facultat. natural. Capite 4.

Quamobrem duo in potentia considerãda

Alterum ex parte materiæ, alterum ex parte formæ. Ex parte formæ est habilitas ad agẽdum: ex parte materiæ est dispositio idonea quæ sita est in temperamento similariũ partium, & debita organorum conformatione. Exempli gratia in potentia visiua ex parte corporis est receptio specierum quæ talẽ oculi temperiem, & conformationem requirit. Ex parte animæ est habilitas ad videndũ.

Item in irascibili ex parte animæ est aptitudo ad irascendum, ex parte corporis feruor sanguinis circa cor. Vtrique parti nomen potentiæ commune est, quatenus ab vtraque habet aliquid, primariò tamen & principaliter animæ tribuitur, quoniam primariò illam habilitatẽ dicit ab anima emanentem, & secundariò instrumenti dispositionem. Ambo hæc quandoque seorsim, quãdoque, simul sumpta facultates nuncupamus.

Facultatem verò cum necessariò supponat actio (huius enim illa est causa) facultatis nomine ipsam cum facultate actionem nonnunquam compræhendimus, ex consequenti operationes quoque primò & per se animæ tribuimus, corpori secundariò ac instrumentaliter.

Notandum denique animæ partem & potentiam à grauissimis auctoribus plerumque confundi. Aristoteles ipse nobis aliàs distinctioris doctrinæ parens, appetitiuum & vegetatiuum quandoque partem animæ vocat,

2. de anima t. 22. 27. 28. & alibi.

quandoque potentiam. Ne quis ab huiusmodi confusione serpat error, tria hæc speciem, partem, & facultatem sic inuicem distinguimus. Speciem appellamus ipsam animæ substantiam spectatam in ordine ad suum genus, quomodo tres animæ species sub communi genere collocamus, vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem. Pars à specie rē ipsa non discrepat, nam vegetatiuam & sensitiuam quas species constituimus, partes hominis dicim⁹, vt relationē includunt ad animam rationalē cum qua simul vnicā animam completā efficiunt, quo modo pars relationē includit ad aliam partem cum qua totum construit. Potentia ab his eo diuersa est modo, quo substantia ab accidente, & subiectum à suis proprietatibus, est enim nihil aliud quàm aptitudo quædam à substantia deriuans & profluens qua ipsa ad operationem ordinatur. Triplicē facultatis à parte differentiam assignat doctissimus Fernelius. Quod illa possit ab animæ substātia seiungi atq; discludi, pars nulla queat separari quin tota simul anima disperdita soluatur. 5. Physiologia c. 2.

Facultas quamuis ingenita sit, animæ tamen accidit & inhæret, pars animæ essentia est, & quædam illius ceu portio: hæc seorsim constituta aut in stirpibus aut in belluis consistit, illa disiecta nunquam constitit, citra animæ ex qua pendet adhæsionē Hactenus Fernelius. Cuius secundam tertiamque distinctionem nullus fortasse non admiserit,

sed quod in prima affirmari videtur, potentias sine anima esse posse, aut ipsam sine potentijs constãter negarit. Est enim inter essentiam & eius proprietates & passiones necessaria connexio. Animæ verò ita propriæ sunt facultates (ipso Fernelio teste) ita insitæ atque intestinæ, vt plerisque pro illius essentia putentur. Neque valet quod de augescẽdi facultate in contrarium affertur, nusquam aboletur illa, aut intercidit post vigorem annis confirmatum, remanet simul cùm anima viridi æuo constans, neque exitum habet in ætate: eius tamen actio nulla est reluctãte solidarum partium siccitate, quæ vlteriorem extensionem non patitur; sic in Hypochymate, in obstructione nerui optici, in extremo senio confectis, integra remanet facultas visiua corrupto aut deprauato videndi instrumento. Animalia quoque ex putri materia genita, & quæ ex collatis diuersorum generum seminibus emergunt sterile semen edunt & minimè fœcundum non facultatis procreatricis, sed partium id opus perficientium vitio: Quemadmodum neque in homine si coire nequeat, coitus impotentiam in facultatis quæ ab anima pendet defectum referemus, sed culpam in corporis dispositione perquiremus. Neque putet quisquam aliter Ferneliũ sensisse, suam ille sententiam disertè explicat, sequenti capite his verbis; persistit vna quidem facultatum substantia in diem vitæ supremum.

neque à suis illa viribus manet destituta: quorsum enim genito animali atque edito debeat procreandi vis perire? Quid illam sustulerit? Verùm quoniam prima illa seminis natura, quò vires suas exprimat, idoneo corporis alicuius & caloris adminiculo indiget, citra cuius opem ne minimum quicquam efficere potest, cùm certè aut mutila erit & violata corporis integritas, aut ad effectionem materia deficiet, tum illa vacabit finemque constituet operi. Facultatis ergò nomine in allegata distinctione non ipsam habilitatem, siue aptitudinem intelligit, quam ab animæ substantia negat hic segregari posse, sed dispositionem corporis siue instrumenti, iuxta secundam à nobis anteà propositam acceptionem.

Circa quod illud hoc loco prætermittendum non est, quod quamuis facultatis appellatio propriè & primariò potestati illi debeatur, quæ in anima est, & quam ipsa velut è sinu suo promit, nihilominus à Medicis communiter Galeno duce temperamento defertur: altioris illa est speculationis, nec ad Medicos vsus conferre quicquam potest: ab hac intentiones tuendæ, instaurandæque valetudini necessariæ depromuntur. At nos illam tamen vtroque modo definiamus.

Philosophicè primum facultas animæ est qualitas de secunda specie quam anima de se promit ad munerum functiones.

Euidens est hæc definitio ex antedictis. Vni-

ca se se offert extricāda difficultas, quorsum ad obeunda munia has de se anima eliciat facultates? Quorsum inter animā & operationes medium istud adsciscamus? Quidni vt facultates sic & operationes immediatè possint ab anima proficisci?

Plexum hunc satis alioquin inuolutum atque intricatum breuibus expedio, volensque & lubens admitto, nihil implicare quô minus concedatur animam immediatè suas posse actiones exercere, si supponamus suas ipsam facultates producere siue per veram & realem efficientiam (vt nonnulli autumant) siue per emanationem quandam & resultationem vt alij explicant: par vtrobique fuerit ratio, aget ipsa vtrobique immediatè quod substantiæ creatæ minimè cōcedimus. Quam obrem rationi magis consentaneum videtur. Negare animam verum & proprium efficiens suarum potentiarū esse; simul enim vna eademque actione à generante siue procreante animam, congenerantur potentiæ; eiusdem est dare esse & sequentia adesse; accessorium sequitur principale, generanti ergò vera facultatum efficientia accepta referenda.

Non igitur (inquies) virtutem de se promit anima quemadmodum in definitione asseritur, Promit certè, idque dupliciter, primū via generationis quatenus hæc illarum est principium effectiuū non propriè quidem & directè, sed per modum cuiusdam deter-

minationis, quatenus ſcilicet anima cauſſa eſt vt potentiæ fiant ordine quodam & neceſſaria connexione: nequit enim agentis virtus attingere paſſionem niſi medio ſubiecto, nequit paſſionem efficere, niſi pariter efficiendo ſubiectum. Secundo via actionis potentias de ſe vt de ſubiecto promit anima, eaſque ad operationem profert atque excitat. Medicè definiri facultas ſolet actionis cauſa in temperie conſiſtens naturali.

Dicitur primum actionis cauſa, illā enim ſupponit, ad illā refertur actio: & quemadmodum opera ab aliqua procedunt actione, ſic hāc omninò aliqua præcedit cauſa, quam proinde à faciendo facultatem nominamus. dicitur ſecundò in temperie conſiſtens naturali, quoniam facultatum eſſentiā in commodo ſingularum partium temperamento poſuit Galenus: nam tum demum (inquit) ſuū quæque munus obit ſtrenue vbi eſt temperatiſſima; malè è cōtrariò ſuas vices explet cum intemperata. Hìc temperatiſſimi nomine, æqualem in omnibus qualitatibus moderationem, ſiue temperiem ad pondus nolim intelligi, neque per intemperatum qualitatis alicuius exceſſum: ſua namque ſingulis partibus temperies eſt legitima & propria quæ à medio recedit, taliſque ad debita munia ritè peragēda idonea eſt ac neceſſaria, quā ideò ad iuſtitiam vocamus.

1. de praeſag. ex pulſ. 1. 4.

Cerebrum verbi gratia frigidum eſt natura ſua, hepar calidum, cæteræ partes quali-

tatis alicuius dominium sunt sortitæ temperatæ tamen æstimantur, & temperatissimæ, cum propriam hanc & naturalem qualitatem retinent inculpatam, non adauctã, non imminutam: naturalis proinde vocem definitioni adiunximus.

Quæsierit fortè quispiam cur temperiem solam facultatem vocemus? Quidni iustam partium conformationẽ hoc eodem nomine donemus, cùm ab vtroque dependeat actio? Respondeo temperiem esse principium principale vt quo: conformationem instrumentale tantum. Temperiem quidem vt corporis formam, aut quid ad illam proximè accedens agnouère & Hippocrates & Galenus, hãc proinde ad actiones corpore vti volunt suis organis distincto atque composito velut instrumento. Circa primum quæsitum hæc satis, nunc principum facultatũ numemerum expendamus.

Quot sint facultates principes.

QVAESTIO SECVNDA.

TRes esse facultates principes essentia, sede, instrumẽtis, fine & operationibus distinctas ita receptum communi Medicorum ferè omnium consensione video, vt facilè lõgiori probatione supersedendum duxerim, maximè cùm (vt inquit Celsus) abij-

ciendæ sint rationes, vbi experientia testimonium præbet Medicinæ, nisi me summorum quorumdã Philosophorum auctoritas à sententia reuocaret.

Aristoteles primus à veteri sui præceptoris diciplina defecit, cæterosque postmodum suæ doctrinæ sectatores Medicos etiã nonnullos traxit in errorem. Vt enim facultatem naturalem & animalem falsò in corde collocauit, sic vitalem (quæ sola huius est propria) vel tanquam nullã, vel vti ab alijs minimè seiugatam prætermisit: Cor quidem caloris & vitæ fontem constituit, ab hoc vtrumque in omne corpus effundi asserit & emanare; Hoc ipsum ideo primum viuere, & vltimum emori: verùm nullam in calore illo vitali facultatem agnoscit à naturali diuersam, vitamque in nutritione & augmentatione colligit. Tamdiù enim superstes est vita, quamdiù nutritio persistit, tamdiù perseuerat nutritio, quãdiù viuificus ille calor alimentum conficit, cæteraque vitæ munia perficit. *2. de anima text. 3*

Ab eodem igitur principio calor, vita & nutritio deriuãtur. Iam vt à corde vita & nutritio, sic animales quoque profluũt actiones: nam cum animal qua animal est vita fruatur, à quo principio animal est, ab eo vitam quoque habeat necesse est. Ab vnico ergô principio binæ illæ facultates, quibus referri debent acceptæ illæ functiones, quas vitali tribuit vulgus Medicorum generatio quippe

ſpirituum & coctio ad potentiam nutritiuam pertinent. Ipſi deſeruiunt non minùs quàm ſanguinis in hepate generatio, eiuſque per omne corpus diffuſio, Pulſus ad motiuam reducitur, imò verò ad nutritiuã, non ſecùs atque expulſio & attractio. Reſpiratio ad caloris euentilationem, & ſpirituum productionem adinuenta, virtute animali abſoluitur: eodem modo ſub vtraque aut alterutra vitalis potentia continetur: talis Peripateticorum opinio.

Auerrhoës 2. collig. Capite 7.

Nos veriorem ſententiam ſequuti, iudicio ſenſuum firmiùs certiúſque quàm apparente rationum probatione ſtabiliti conſtanter aſſeueramus, tres in perfectis animalibus principes partes conſtitui, à quibus in reliquum corpus vis quædam peculiaris & cuique propria, obeundis actionibus neceſſaria diſpertitur. Illæ ſunt cerebrum, cor, & iecur. Ab illo virtus animalis exoritur, ab altero vitalis, ab hoc denique naturalis. Cerebrum animalem ſpiritum in quo ſentiendi mouendique vis ineſt reliquis partibus impertit: cor vitalem, natiui caloris atque ab eo vitæ fomitẽ: iecur naturalem vna cum ſanguine nutritionis materiã atque effectricem cauſam. Harum facultatum ab animãtis ſubſtantiæ primordijs orta neceſſitas; quæ cùm fluxa ſit, mutuòque contrariorum ex quibus componitur diſſidio & conflictu continuò diſſoluatur, tot tamque diuerſis actionibus in horas in momenta dies nocteſ-

que absumatur, extremis etiam iniurijs oppetita sensim sine sensu in auras euanescat, ac pæne corrumpatur, assiduè reparetur necesse est, nouaq; in effluxæ locum succrescat. Cibis propterea & potionibus indigem⁹. Verùm cùm in tanta tãque multiplici ad hunc vsum à naturæ opifice comparata materia delectus aliquis requiratur, & nocui ab innocuo, laudati ab illaudato, pestiferi & exitialis à benigno & salutari secretio, sensus in subsidium venère. Sed neque irruentium in nos contrariorum occursus effugere, neque familiaria longiùs dissita consectari licuisset, nisi mouẽdi potestas vtrique muneri satisfecisset. Et hic quidem potẽtiæ animalis ortus. Iam verò quorsum opipare instructæ mensæ? Quorsum tanta industria conquisitæ dapes? Nisi in ventriculo primum elaboratæ, postmodũ in iecore in sanguinẽ versæ, mox in vniuersum corpus pro conuenienti alimonia ferantur? Hic naturalis facultatis ortus. Denique cùm non nisi in viuente corpore illæ expleantur functiones, neque vita vt nec vlla viuentis actio sine insito & naturali calore tantillum subsistat, neque natiuus ipse calor totus euanidus & fluxilis, tã variè occupatus atque implicitus diu sufficiat & duret, adscititio certè opus habet cui⁹ adminiculo fulciatur atque sustentetur; Quam ob causam vitalem spiritum cor assiduè fabricatur, illumque quaquaversum per singula membra transfundit. Hic vitalis ortus.

Tres ergô primariæ animæ facultates locis eſſentia, operationibus & vſibus diſiunctæ, mutua tamen conſpiratione vſque adeò inter ſe connexæ vt alterius operam altera neceſſariò expoſcat. Animali vitalique materiam ſuppeditat naturalis, animali item vitalis, ac prætereá vtramque calore benefico tuetur ac fouet, ac ad opus excitat, & natiuũ earum calidũ à diſſolutione vindicat. Vitali reſpirationis motum præbet animalis, cuius beneficio intromiſſus aër illius æſtũ attemperat, nouumque ſpiritibus pabulum ſufficit eoſdemque depulſa fuligine depurat. Eadem naturali quoque externum alimentũ quærit, ſeligit, præperat, offert, ingerit.

Quæret ſtudioſus aliquis ſi neceſſariam confert operã naturali facultati vitalis, cur hanc plantis aut etiam ζωοφύτοις (quæ nonnulli Græcorum imitatione plãtanimes vocant) cur inſectis natura denegauit? ſtirpium quidẽ paucæ ſunt & rudes actiones, ſuis illæ radicibus defixæ amicum ab ambiente terra, at impurum, craſſum, & lutulẽtum ſuccum proliciunt, quo alũtur: in craſſa & terreſtri materia fundatus calor otioſus, nec citò nec facilè diſſipatur: quis tum igitur cordis vſus? At animalibus imperfectis cordis gerentem vices partem tribuit Ariſtoteles, ne à ſua de cordis principatu opinione deflectere cogeretur: fruſtrà tamẽ meo iudicio, non enim ab ea parte, diuulſæ reliquæ vitam & motum tamdiu tutarentur. Toto ergô corpore

fusus est æqualiter illorum calor, isque sic exiguus, vt cùm non magna fiat eius efflatio, peculiari ad sui conseruationem reparationemque virtute non egeat. Perfectorum animantium valida & multiformi actione calor exoluitur, multum proindè & validum omninò aduentitij caloris affluxum ad sui tutelam & restaurationem exigit.

Harum porro facultatum distinctionem manifestè cõuincunt tum partium quibus illæ insidẽt constructio: tum instrumentorum exortus, quibus quasi per tubos in vniuersa membra deferuntur, tum particularis virtutis cuiusque offensio: illæsis cæteris, tum medendi Methodus, quæ vt varia debetur varijs affectibus, ita quoque varijs partibus applicatur quarum sunt læsæ actiones. Breuibus si lubet expendamus singula, de constructione dicamus primum. Quorsum tale fabrefactum à natura iecoris parenchyma, quale in anatome visitur? Quorsum circumpositæ vndequaque præparando defecandoque alimẽto partes? Hæ ipsæ diaphragmate quasi vallo quodam septæ, & à spiritalibus seclusæ? Frustrane hic apparatus? Aut si ad peculiare munus aliquod, nunquid mediante particulari aliqua facultate? Idem de corde & cerebro iudicium esto, suis enim vtrumque distinctum conclusumque terminis, sua cuiusque propria substantia & conformatio, sui sinus, sibi vltrò citroque auxiliarias ambo & famulantes obtinent partes.

Fictitia verò illa ductuum propago à Peripateticis excogitata, qua venas, arterias & neruos quemadmodũ & facultates ipsas à corde nasci comminiscuntur, fideli Anatomes inspectione pridem explosa est, tandemque cõclusum, cùm à iecore venas, à corde arterias, à cerebro neruos oriri sensus ministerio deprehendatur, in ijsdem à quibus hæc ducta principijs facultates inhærere. Quod ampliùs suæ sunt cuique facultati propriæ & peculiares læsiones (quod modò probandum suscepimus) sua læsionum iudicia, sua remedia parti propriæ destinatæque admouenda. Vitalis potentiæ debilitatem aut robur ex pulsibus vænamur: naturalis xe recrementis singularum coctionum: animalis ex motu & sensu. Horum quodlibet defectũ aliquem aut mutationem in ea vnde exoritur parte indicat, cœteris pristinũ rithmum seruantibus. Læsionum eadem ratio sui cuique particulares affectus affectasque proprij peculiarisque principij indices. Naturalis potentiæ vitium Atrophiam inducit, aliàs Hydropem, aliàs Cachexiam, aliàs alia incommoda, integris etiamnum vitali & animali, aut non valdè offensis. Sensu motuque priuata membra non illicò vita priuantur & contabescunt. Afficitur in peste vis cordis, reliquis nondum afflictatis. Grauior tamen vnius offensio subsistere diù cœteris intactis minimè potest; Vnius interitus cœteras mox in consensionem trahit, vitalis maximè si

quandò offendatur, eius vſu carere cœteræ & orbari pœnitùs tantillo tempore vix queunt. Iam modò vt in Lypothymia afflictionem in corde agnoſcimus, eademque roborando confirmandoque præſidia adhibemus, ſic omninò in Atrophia vniuerſali iecur intuemur; In læſa memoria, cœteriſque ſenſibus interioribus deprauatis cerebrum. Quãquam aliarum partium communione labes inducatur. Vtergô ex vitiata actione partem affectã diſcernim⁹ &curamus, ita ſanè cuiuſlibet actionis effectricem facultatem in ea ipſa parte tanquam in arce propria collocamus.

Neque eſt quod nobis obſtrepant Peripatetici, ſuiſque nos argutijs à ſenſuum fide diſtrahant: falſum eſt quod illi adſtruunt, ſpirituum vitalium generationem, eorumque per corpus diffuſionem ad altricem vim pertinere, nec non & motum pulſus eodem referri, quo expultricis & attractricis actiones: hæc vitalis facultatis opera ad nutritionem non ordinantur, & diuerſa poſtulant inſtrumenta. Ad nutritionem non referri ex eo patet, quod diximus corrumpi quandoque in vna parte nutriendi potentiam, ſuperſtite vitali (aduertant interim lectores Medicè nos potentiæ nomen vſurpare) diuerſa eſſe inſtrumenta, diuerſumque operationis modum docet αὐτοψία. Eundem pulſusmotum virtuti motiuæ ſubijcere, hominis eſt à ratione alieni. Age ſi lubet ſimul vtramque virtutem conferamus: motrix ap-

petitu quodam & cognitione pro arbitrio cietur: Pulsifica, nulla cognitione impellitur, tota pendet à natura, neque ad libitum prohiberi, retardari, aut cohiberi potest. Illa comprǽhenso per somnum cerebro feriatur opere fatigata: hæc nulla agitatione fatiscit, nunquam facta officij intermissione conquiescit. Illius finis sequela est & fuga: huius, caloris euentilatio, & spirituum vitaliũ diffusio. Denique illa in vermiculis alijsque infectis perfectè reperitur; Hæc non nisi in animalibus perfectioribus, respiratio verò in nostra est potestate, & musculorum beneficio completur, quamobrem effectiuè ad facultatẽ pertinet animalẽ, finaliter ad vitalem.

Sub vitali demum animalẽ contineri malè colligitur, ab Aristotelicis hoc argumento superiùs allegato: animal quà animal est viuit, ergò à quo habet vt viuat, ab eodẽ habet vt sit animal, primum habet à potentia vitali, ergò & alterum. Rectè forsan colligeretur si primò & per se vitam acciperet à potentia vitali, non autem ab anima quæ est actus primus, hoc est vita ipsa: ab illa secundariò tantùm vitam habet, & quoad actum secundum ad quem potentiæ per se ordinantur: hunc actum animalia imperfecta non obtinent, quibus animalis definitio negari non debet: ex vna itaque perperàm infertur altera. Sed nunc relictis Philosophicis concertationibus, eò deueniamus cuius gratia hæc suscepta disputatio.

De qua

De qua facultate audiendus sit hic Aphorismus.

QVÆSTIO TERTIA.

DE virtute potissimùm naturali & vitali difficultas est ad vtram victus indicatio sit referenda.

Ad naturalem hanc indicationem pertinere his rationibus persuaderi potest. Ab ea facultate victus indicatur, quæ circa alimoniam versatur, cùm igitur nutritiua, quæ sub naturali continetur, Medicorũ omnium suffragio tota sit in alimenti˙ coctione, distributione, transmutatione posita, ad ipsam victus indicatio spectabit. Quæ longo tempore extenuãtur corpora lentè reficere oportet, quæ verò breui breuiter, inquit Hippocrates, limitando refectionis modum ab extenuationis modo; quamobrem refectionis quoque indicationem ab extenuatione desumit, & meritò. Ecquis enim alius obsecro nutrimenti vsus, nisi vt dissoluta substantia nouæ adiectione reparetur? Adijci hæc nequit, nisi immutetur: neque etiam immutari, nisi debito priùs modo apparata, parte nutriendæ apponatur: Hæc altricis sunt munia, ergô & eiusdem victus indicatio. An verò cùm subtrahendum in vigore morbi cibum sæpius inculcat cum Hippocrate Galenus, *2. Aphor.*

ne naturā auoces à causæ morbificæ coctione, aliam naturam intelligit quàm altricem? quæ vt laudabiles succos concoquit quò in viuentis substantiam abeant, sic prauos & extraneos coctione quadam quò nocere desinant mitiores efficit, moxque suo imperio addictos à probatis segregat & excludit. Quid plura? nunquid victum exposcit per se primariò virtus illa quæ, aut sola, aut præcipuè, aut primariò, & immediatè malè ab inedia afficitur? Hæc inediæ tribuit Galenus, quod eliquet carnes succos biliosiores amarioresque & prauiores reddat, atque corrūpat, alui ac interdum vrinæ suppressionem inducat, excrementa omnia acriora faciat & maligniora, frequentes cordis morsus, vigilias, & inquietudines inferat. Virtutis equidem naturalis vitium est eliquatio carnium, & Atrophia: eiusdem quoque est humorum procreatio, acrium attemperatio, corruptorum separatio, excremētorum depulsio; quæ contrario modo accidunt, quicunque in his error, ipsius annumeratur culpæ. Vigiliæ, cordis morsus, inquietudines, quæ animalis partis sunt passiones vt potè à sensibus natæ, ab inedia per se, immediatè nō obtingunt, sed mediantibus acribus illis & malignis succis quos naturalis facultatis offensio & impotentia efferari sinit.

Libro aduers. Erasist. Capite 4. & aduers. Erasistrataos capite 2.

Valida sese offerunt alia ex parte argumenta quibus concluditur vitali potentiæ victus indicationem deberi. Virium indica-

tionem vitalem vocat Galenus, vt quæ ad vitæ custodiam pertinet nam neque vt valeam^9, neq; vt à morbis vindicemur, ab ea quicquam primum accipimus, sed vt viuamus. Eius ergò facultatis est hæc indicatio, cuius est tutela vitæ. Ampliùs id probat alimenti finis à nobis paulò ante constitutus, nempè vt quod à corpore effluit resarciatur: quid autẽ tam fluxile, quàm vitalis spiritus? qui tum caloris, tum tenuitatis, tum agitationis ratione, tũ actionũ sine intermissione frequentia continuò auolat, & euanescit? At instaurari absque nutritionis ministerio non potest, nutritio itaque primariò intenditur ab ista potentia cuius est instrumentum. Dices hinc haberi Aristotelis intentum quod nuper refellimus, si enim ad vitalem primariò & per se nutritio terminatur, ad illam referetur quoq; pôtẽtia naturalis, illi^9 hæc erit ministra. Sin hæc ab illa quiditate & essentia seiuncta est, suam ad opus proprium per se primariò conferet actionem, ad alienum, secundariò. Ad huius nodi solutionem fatendum est, altricem vim per se primò ad nutritionem ordinari: quid enim aliud per se primò ab altrice intenditur, quàm vt alimentum in aliti substantiã conuertatur? Hæc porrò conuersio formaliter nutritio est. Sed dirigitur prætereà ad vitalium spirituum procreationem quibus materiem suppetit: Secundariò quidem si in se consideretur: verùm ex intentione Medici primariò, quan-

9. Methodi Capite 13.

quam mediatè. Is enim petita indicatione ab exolutione spirituũ, ipsorum refocillationem per se primariò procurat, ideòque naturalis facultatis operam (quoniam fieri aliter nequit) tanquam medium ad cõuenientis materiæ præparationem interponit. Dices nutriri odore spiritus: Democritum solò panis vino macerati vapore per inspirationem attracto, vitam in plures dies prorogasse. Admitto ergò recreari externis odoribus spiritus, eorumque dissolutionem blando aliquo vapore retardari, quemadmodum decrepito illi accidit iam semimortuo: sed hæc ad perfectam spirituum generationem satis esse non possunt, conferunt certè aliquid ampliùs, quàm externi aëris attractio: quanquàm momentaneum ferè illud est minimèque constans, nisi tenuis defæcatique sanguinis accedat appulsio. Sanguinis itaque generatio ex primario medentis, consilio ad facultatem vitalem referenda. Aliàs facultatem naturalem circa alimenta occupare (quàm in morbificæ causæ coctione, secretione, excretioneque totam versari planè necesse est) in acutis potissimũ affectibus, non modò absonum, seb plerumque etiam mortiferum. Quid quod fæliciſſimo experimento in dies confirmatũ, primam mox opem proferre potentiæ vitali assumptionem ciborum? Ingesti nec dùm confecti cibi, imò vix dũ inchoata elaboratione, illicò vt benignis vaporibus caloris arcẽ subeunt, atque

ſopitam vim illius refouent, conceptum ex inedia tædium depellitur, corpus ſeipſo leuius redditur, tota moles terrea excitatis ſpiritibus ſuſtentatur. Redit in memoriam prodita ſuperiùs ex Galeno hiſtoria, lectori, vt ſpero, non importuna, ſi repetatur. Is in iuuenem incidit diatritariorum inedia eò deuectum, vt pulſus expers, vehementi frigore toto preſſus corpore, neque loqueretur, neque ſentiret, cùm ecce diductis eius maxillis infuſo ex anguſtioris vaſculo ptiſanæ cremore, & paulò poſt porrectis vini albi calida modicè diluti cyathis duobus, ſtatim oculos ſuſtulit, & loqui & audire cœpit & præſentes noſſe, qui antè pro mortuo iacebat.

Galenus 10 Meth. Capite 3.

Ad nutritiuam referri virtutem nequit hæc ſubita mutatio, vt quæ terreſtrior, pabulo craſſiore vtitur, temporeque indiget diuturniore quò reficiatur, quò vim ſuam exerat, ac quaquauerſum per diſſita membra transfundat: habenda igitur vitali gratia, cuius elanguidi ſpiritus alimẽtitij vaporis appulſu propte refocillati atque ſuſcitati, acceptas ab inedia iniurias reſarſerunt. Eius proinde in alimoniæ penuria, & defectu robur ex pulſibus curioſè exploramus, firmiter perſuaſi non aliundè certiùs quàm ab eiuſdem ſtatù victus offerendi quantitatem neceſſitatemque definiri.

Validæ certè, meo iudicio vtrimque dubitandi cauſæ, dubiam reddũt controuerſiæ

decisionem, quam breuiter & dilucidè triplici conclusione expedire aggredior.

Prima est. Virtutis nomine facultates omnes principes includi, sic enim (vti demonstratum est) indissolubili quasi vinculo arctè connectuntur singulæ, vt vnius in cæteras non multò post redundet offensio, vnius corruptio reliquarum sit interitus. Istud ex relatis inediæ incommodis palàm est: idem iuuenis illius à tritarijs exoluti comprobat historia, conuincunt sensus & ratio; nam simul vndequaque per omnem corporis ambitum sparsæ mutuis concurrunt officijs atque instrumentis, mutuam sibi operam materiamve subministrant.

Altera conclusio est, si præcisè & in se nutritionis opus contemplemur. illud ad altricem vim spectare, non aliud per se primariò & immediatè intendi, quàm alimenti in aliti substantiam conuersionem, primariò & per se illud ipsum opus à substantiæ dissolutione indicari & à nutritiua facultate perfici, atque etiam ex consequenti eius intentionis explendæ gratia alimoniam sufsici, vt potè circa quam primò & per se versatur illa potentia, tanquã circa proprium obiectum, quod variè elaborat & conficit, tandemque membris omnibus pro necessario pabulo distribuit; secũdariò verò & quodammodò per accidens ad vitalem & animalem, quibus materiam sufficit ordinari; per accidens dico, quoniam materiã quã profert

ſoli ex ſeſe dicat nutritioni (quanquam illa vlteriùs ſumma naturæ vniuerſalis, benignitate & prouidentia dirigitur atque propagatur) eſt enim naturalis virtus à cæteris ſpecie diſtincta nullius ex ſe miniſterio addicta, proprijs operibus, ductibus, temperie, conformationeque ſeiugata. Huius concluſionis veritatem teſtantur argumenta in eiuſdem facultatis naturalis gratiam initio quæſtionis adducta.

Tertia concluſio eſt, primarium Medici ſcopum in facultatis vitalis cuſtodia verſari, priùs enim eſt viuere, quàm aut nutriri, aut ſanari; fruſtra Medicæ vllæ, fruſtra naturales, fruſtra animales ponuntur actiones, niſi vita ſupponatur, ſunt illæ omnes non corporis ſimpliciter ſed viuentis, vti neque anima corporis, ἐνδελέχεια eſt, niſi potẽtia vitam illud obtineat, hoc eſt diſpoſitiones ad ſuſcipiendam vitam habeat neceſſarias.

Quemadmodum autem induci anima in corp⁹ nequit niſi medijs illis diſpoſitionib⁹, ita neque conſeruari neque operari poteſt illarum miniſterio deſtituta. Cùm itaque principem & primarium corporis & animæ nexum facultatem vitalem Medici vulgò conſtituant, conſentaneum videtur, vt in ipſius tutelam mentis aciem primariò dirigant. Si quandò ergò virtutis ſimpliciter apud eos eſt mentio, de vitali primariò debet intelligi, niſi orationis ſeries de alia ſermonem eſſe declaret.

Hæc illa eſt quæ in medio reliquarum ſolis inſtar illuceſcens, ſalutares vitæ radios, caloremque viuificum in omne corpus effundit; Illa ipſa eſt qua præſente vitali luce fruimur, qua abſente vnà cum vita corruunt omnium partium functiones. Obijciet Sciolus fortè quiſpiam, à natura rei indicationem peti, ſed ex natura ſua alimenti exhibitio naturali primò ſubuenit facultati, ergò ab eadem primò victus indicatio petenda. Rei porrò naturam Medica nil immutat intentio, illam potiùs ſectatur, illi ſe velit nolit accommodat,

Reſpondeo neceſſitate quadam ad opus proprium proprij finis gratia facultates incitari, ipſarum immutabilem eſſe & inuiolabilem ordinem: at hoc nihil prohibet quò minus Medicus, qui nō vt illæ cœco impetu ſed cognitione ducitur, eò quò maximè vrget neceſſitas, primariò referat actionem; quanquàm natura ſecundariò propter illud operetur. Vt enim is non ſēper naturæ motum, ita neque perpetuò ſequitur intentionem: ea verò à natura rei depromitur intentio, quæ facultatem ex cuius debilitate primariò imminet toti corpori ruina & clades, reficere ac reſtituere per ſe primariò molitur. Facultatis itaque vitalis conſeruatio in oblatione alimoniæ primariò medentis intentionem ad ſe rapit, licet circa alimonia immediatè primo & per ſe verſetur naturalis, huius demum opus ſi non ex ſe, ſaltem

ex Medici nutu & arbitrio ad illius conſeruationem deſtinatur. Ita ſecundo loco productæ commonſtrant rationes. Nunc ſingularum facultatum notas exploremus.

Vnde petenda ſit facultatum principum coniectura?

QVÆSTIO QVARTA

HVius difficultatis ſolutionem ſeptimo Aphoriſmo tetigimus, quam lubet hîc ex profeſſo enodare, quoniàm eò nos Aphoriſmi verba pertrahunt, magnique eſt ad praxim momenti.

Illud in primis animaduerſione dignum eſt, ſanorum ægrorumque cõtrariam hac in parte rationem: quò enim illi firmioribus ſunt viribus, eò maiorem ciborum copiam requirunt, quam ex facultatis coquentis firmitate metimur.

Ideò benè valentem hominem hortatur Celſus, vt cibi quamplurimum ſemper aſſumat, dummodò hunc concoquat. Ægrotos contrà quantò validiores cernimus, tantò liberiùs in debita morbo victus tenuitate continemus, In illis nutritionis finis eſt virtutis auctio; in his, eiuſdẽ imminutæ à proſtratione vindicatio. Illos copioſè alimus ad animales potiſſimùm actiones, quarum validiſſima progreſſio: hos contrà imminutè, *Lib. 1. Cap. 1.*

ne à naturalibus distrahantur, quas præstat in morbificæ causæ, quam alimenti coctione versari: vtrosque inuicem ex ipsis actionibus læsis illæsisve distinguimus.

Iam quemadmodum sanos ab ægris actionum integritate & læsione discernimus, sic profectò & virium statum ab actionibus vænari oportet quarum illæ sunt effectrices. Validas itaque tum censebimus vires, cùm validè suas exequẽtur functiones? Inualidas, si quod in earum functionibus vitium effatu dignum obtingat. Hanc sequutus normam diuinus Hippocrates ex deprauatis corruptisque actionibus, deiectæ aut abolitæ propriæ virtutis cognitionem mutuatus est. In hac cognitione securitatis & periculi, salutis & interitus prænotionem fundauit, nec non euacuationis victusque modum in his passim Aphorismis ad hanc veluti normam reuocauit. Id quod in iuniorum gratiam exemplis aliquot ex eius penu depromptis lubet in singulis facultatibus demonstrare, sumpto ab animali exordio, à qua sensus & motus, principesque oriuntur actiones.

4. Aphoris. 49

Ex abolito sensu, motuque deprauato sic ille conijcit: si in febre non intermittente labrum, aut superciliũ, aut oculus, aut nasus peruertatur, si non audiat, nec videat, imbecilli iam existente corpore, quicquid horum acciderit mors in propinquo est.

Comm. 2. t.6.&7.

De motu separatim ita in prognosticis. Qui dolore vexatur facilè cõuertatur, sitque

in resurgendo leuis oportet, si corpus omne graue est, itemque manus & pedes maiori cum periculo est.

Quemadmodum enim gestantes onera grauati vix mouentur, sin leuius appareat onus innocuè ferunt, ita facultas.

Est porrò grauitas partium maximum indicium præcipuumque debilitatæ virtutis, non cuiuslibet, sed eius quæ in musculis & neruis præcipuè consistit. Denique in Aphorismis ex mentis rationisque firmitate, bonũ ritè constituti cerebri indicium colligit, contrarium contrariæ dispositionis indicium facit. Quo loco occurrit non prætereunda difficultas in commentario Galeni, qui ex mẽtis constantia probam cerebri eiusque membranarũ spinalis medullæ, septi etiã trãsuersi constitutionem designari asserit, cùm tamen mentis alienatio ex cerebri tantùm intemperie, aut humoris vaporisve in eius substantiam effusione procedat, prædictis etiamnũ illæsis partibus ex quarum offensione sensus & motus, aut respirationis, non etiam principis animæ facultatis symptomata excitãtur. An dicendum est commercij & viciniæ lege graues illarum partiũ affectiones, mentem pariter haud rarò percellere, rectè ideò ex huius robore, illarum robur inferri? At hoc perpetuum non est, mens ab illis non perpetuò trahitur in consensum. Quod intuitus Galenus ipse limitatione vsus de ijs præcipuè partibus quæ iuxta cerebrum sitæ

2. Aphoris. 33.

ſunt, ex mentis ſtatu ferendam ſententiam monet. Sed neque etiam ſub hac limitatione veram Galeni ſententiam experiemur, niſi conſtante mente cætera ſupponamus abeſſe ſymptomata, quæ illarum partium læſionem denotant. Hæc de animali parte ſufficiant.

Venio ad vitalem, ex cuius debilitate repentinam mortem prænuntiat Hippocrates;
2. Aph. 41. debilitatem ipſam ex frequenti & forti abſque manifeſta cauſa exolutione arguit. In cuius ſententiæ explicatione productis aliquot exemplis huius potentiæ imbecillitatem tum præcipuè notari comprobat Galenus, cùm ſine manifeſta cauſa animi deliquiũ accidit: Galeni interpretationem parùm fideliter vertit Plantius, pro vitali transferens animalem: Aldini fortè Codicis lectionem ſequutus, qui loco ζωτικῆς δυνάμεως ψυχικὴν legit. Quanquam hunc ipſe errorẽ non ignorauit Plantius, animalis enim vocem ſignat Aſteriſco, & in margine annotat vitalem intelligi. Vitali huic facultati pulſum reſpirationemque ſubiecimus, illum effectiuè, hanc
1. prognoſt. t. 25 finaliter. Pulſus vix vllam mentionem fecit Hippocrates, reſpirationis non ſemel. Hui⁹
Ibidem t. 24. facilitati magnam vim ad ſalutem tribuit in omni acuto morbo qui cùm febre infeſtat & quadrageſimo terminatur die. Ex varia eiuſdem offenſione varia deſumit prognoſtica. Spiritus inquit creber dolorem ſignificat, aut inflammationem quæ ſupra præcordia fatiget: ſi verò ſpiritus magnus multòque

interpoſito tempore, delirium: ſin frigidus de naſo, & ore, admodum exitialis eſt.

Ecce vt ex læſa reſpiratione, cordis, cuius gratia ipſa fit, cæterarumque partium quarum munere abſoluitur læſionem, & natiui caloris extinctionẽ colligit. Quoniam verò citari hæc ipſa cohiberique ex arbitrio poteſt, vt pote quæ muſculorum motu perficitur, quorum actio ex cerebri pendet influxu, rectè ideò ſui oblitum, & extra mentem poſitum ægrotãtem indicat, ſpirationis frequentia, quæ refrigerij neceſſitati non reſpondet: Galenus tantò in pulſuum doctrina accuratior, quantò ipſam magis ab Hippocrate deſertam videt, pulſibus ad vitalis roboris integram notionem nihil non defert. Illud in rem præſentem adſcripſiſſe ſufficiet, quod primo de cauſis pulſuum ſcriptum ab eo reperimus. Si facultas magnopere ſit læſa, modicè remiſſus vſus, inſtrumenta duriora euaſerint, nõ poterunt pulſus nõ fieri quam vſus poſtulat, minores itaque imperfectum ſimul officium, ac quãtò quidem imperfectiùs, tantò etiam crebriùs. Minores ergo redduntur & ob facultatis imbecillitatẽ, & ob vſum remiſſum, & duritiem inſtrumentorum. Hoc tamen pro quantitate alterationis cauſarum aut ſingularum, aut binarum, aut vniuerſarum, plus, minùſue. Facultatis ad extremum deiectio minimos efficit pulſus, etiamſi molles ſint tunicæ inſtrumentorum & vſus vrgeat, hactenùs Galenus: ex quo ſexcenta alia Capite II.

nostro proposito confirmando peridonea transferre liceret, hoc vnum nobis visũ est instar omnium, omnem quippè illius quæ in pulsu accidit diuersitatis & distinctionis causam complectitur. Superest de naturali modò cuius præcipuum munus coctio distributioque alimenti ad debitam nutritionem.

Coctionis signa proferunt vrinæ & alui excrementa, sudores quoque, & quæcunque ex qualibet corporis parte regurgitant. Distributionis, singularum partium in statu naturali cõseruatio: vtriusque aut alterius defectu ἀτροφία sequitur, & membrorum consumptio.

1 prognost. 2. 5. 6. 7. Quamobrem meritò in acutis morbis ad huius virtutis cognitionem assequendam ægroti vultum ante omnia intuetur Hippocrates, sitne similis aut dissimilis sui. Ex similitudine bonum auguratur: ex dissimilitudine malũ, eò grauius, quò grauior à naturali statu recessus: qui vel ab aliqua causa oritur consumente & corrũpente carnosas animaliũ partes (si Galeni credimus commentario) vel ob natiui caloris debilitatem, qui quaquauersùm in extrema protẽdi nequit, sed in intimis solùm visceribus asseruatur exiguus: aut denique tanta in ambitum corporis non influit sanguinis spiritusque copia quanta habentibus per naturam. Vno verbo impeditæ corruptæve nutritionis indiciũ est. Præter vultus similitudinem mollem requirit ventrem & corporatum idem Apollo

noſter his verbis: in omnibus morbis partes ad vmbilicum & imum ventrem ſitas craſſiores eſſe melius eſt, plurimùm verò extenuari & contabeſcere malum: & vt ſignum, & vt cauſa. *2. prognoſt. 19. 2 Apho. 35. & ibi Galenus.*

Signum quidem debilitatis partium maciẹ extenuatarũ. Cauſa verò quò minus probè fiat in ventre ciborum coctio, & in iecore Chyli in ſanguinem mutatio, non haſce partes ambas ſua fouent craſſitie incubantia corpora. Mox ad deiectiones quoque & vrinas oculorum aciẽ conuertit. Deiectiones damnat, aut admodũ aquoſas, aut candidas, aut valdè croceas, aut virides, aut liuidas aut nigras, aut verſicolores, aut ſpumantes, aut exiguas glutinoſas aut opimas, aut fœtidas. *2. prognoſt t. 20 21. 22. 23.* Harum nonnullæ cruditatis notas exhibent, aut obſtructionis meatus Cholidochi: quædam magni prouentus croceæ bilis, vel Æruginoſæ, vel atræ, vel variorum humorũ vel flatuum, aut cõſũptionis, aut putredinis: omnes, afflictæ naturalis virtutis. Ad eandem claſſem refert vrinas aut tenues & aquoſas aut nigras, craſſaſque, aut craſſioris farinæ, aut ſquammularum aut furfurum ſpeciem referẽtes, aut quibus pingue innatat, aut fœtentes. *2 prognoſt. t. 28. & ſeq. & ibi Galenus.* Vel enim coctricis facultatis imbecillitatem demonſtrant cruditatẽque, aut innati calidi extinctionem, aut calorem febrilem abſumẽtem. Hæc ſatis ſuperque ſtudioſis lectoribus, meo iudicio, plura ex ipſis fontibus haurient, quò tutiùs certiùſque

ex facultatum luculenta dignotione victui euacuationibusque modum præfiniant.

Verùm ne in scopulos impingant, proprij honoris & conscientiæ, atque adeò vitæ ægrotantium naufragiũ facturi, illud in primis intelligant propositorum indiciorum veritatem multis rationibus eludi. Exempli causa, si ex vnius alicuius partis vitiata actione illicò facultatis principium à quo illa procedit in iudiciũ vocent, explosi causa cadẽt: neque enim ex particulari καχεξία aut tabe, vel deperdito motu, sensu ve, aut putrefactione insigni atque corruptione, malè cor affici, aut iecur, aut cerebrum protinùs existimandum est, subest persepè in affecta parte prima mali labes: vt puta cœcitatis causa in oculo: ἀτροφίας, Paralyseos, sphacilismi, atque extremæ perfrigerationis & mortis, in brachio, crure, aut alia quauis particula. Nõ aliena certè foret ab arte suspicio, quando plures simùl eandem paterentur cladem, suspicari defixas eius esse altiùs in principibus membris radices.

Addò signorum quædam esse æquiuoca quæ aut plurium partium affectus, aut diuersarum causarum signant effectus: vrinæ verbi gratia, partium hepatis Gilbarum, renumque & vesicæ affectionem monstrant, ac vasorum sanguinem continentium, & virtutis succos generantis tum robur, tum infirmitatem. Gal. 2. pro rhetic. t. 2.

Quàm facilè igitur in tanta partium varietate

rietate incautos falli. Hoc intuitus summus Hippocrates, ijs quæ de vrina paulò antè adduximus tandem subiecit. Ne te decipiat si vesica ipsa ægrotans talem reddiderit vrinam, non enim totius sed ipsius per se vesicæ indicium est. Quam sententiam alui quoque excretionibus applicuit Galenus, cùm vtrique secretioni commune sit & promiscuum totius corporis admittere excrementa, & illarum quoque partium per quas excernuntur. Is ipse Hippocrates de facie loquutus, quam ab eius nomine Hippocraticã vocant, perscrutandum monet, cùm ab initio morbi hæc apparuerit, vigiliæne præcesserint, aut alui larga solutio, aut fames, minus ab his tali in casu periculum: grauius, si à morbi violentia & feritate tãta vultus mutatio maximè circa initia dependeat. *2. prognost. t. 37 & ibi Galenus*

Ampliùs aduertant iuniores prudentia & grauitate Medica indignum esse, statim melioribus apparentibus indicijs, in certã melioris euentus spem erigi, & victus libertatem ægrotis permittere; aut contrà vulgarium more desperatione mox premi illis in praua commutatis. Perpendẽdum anteà nunquid subsit aliqua sufficiens talis mutationis causa. Quicquid præter rationem euenit instabile est & infirmum, neque diù perseuerare consueuit. *Gal. decri. Capite 15* *2. Aphoris. 27*

Sed neque præcedentia neque concomitantia negligenda, vt certò de indicijs statuamus. Redduntur Criticè nonnunquam nigra

tum per vrinas, tũ per aluũ. Dysenteriæ Criticæ meminit in Epidemijs Hippocrates, Vrina crassa si colorem habeat naturalem (inquit Galenus) duplicẽ sortitur euentũ interdùm ad mortem, interdùm ad salutem propinquã, vti multa alia præter naturã, quibus corpus expurgatur. Indicatione instante nox quæ accessionem præcedit molesta est; vrgent tum temporis, sitis feruorisque impetus, inquietudo, corporis iactatio, deliria, tremores, ventriculi morsus, anhelitus, difficultates, aliaque id genus quæ gnarũ & diligentem Medicum non turbarint, cùm accuratè priùs validum naturæ robur ex pulsibus, ex animalibus actionibus, ex coctione depræhenderit.

2. prognost. t. 32

2. Aphoris. 13.

Prætereà curiosè distinguendum vtrũ apparentes debilitatis coniecturæ à resoluta procedãt vel oppressa virtute. Virtutem sanguinis copia premi demonstrant, quæcunque Plethoræ ad vires indicia protulimus. Plethoram ad vasa cum virium integritate consistere ex Galeni auctoritate pro confesso supponimus. Cacochymiã produnt corpori infestam & grauẽ, quæcunque reliquorum humorum notas exhibent, ex prioribus repetẽda. Vim exolutam tum ex affectus violentia conijcimus, tum etiam ex causarum & Symptomatum maligna prauitate & concursu quæ exoluere illã solent: vigilijs puta, Hæmorrhagia, vberoque alui profluuio, lõga inedia, magnis animi perturbationibus, labo-

3. Aphoris. quæst. 4.

2. Aphoris. quæst. 4.

ribus diuturnis, & peregrinationibus ſub ardēte ſirio, venenatis humoribus aut aſſumptis, & ſi quæ alia id genus. Sua cuique peculiaris eſt vitæ regula, ſua præſidiorū forma diuerſa quippè ac etiam contraria indicatio. Preſſa facultas onere leuanda, quod exuberat detrahendum purgatione, ſectione venæ, balneis, frictionibus, inedia, exoluta refouenda potius quiete, & conuenienti alimonia, nulla euacuatione, aut importuna abſtinētia deprimēda, Symptomata leniēda; maligna & venefica Alexipharmacis retondenda atque coërcenda.

Denique circūſpecti Medici eſt nō modò præſentem virium ſtatum intueri, ſed futurum quoque prouida mente contemplari, & conijcere vtrùm ad morbi vſque indicationem poſſint illæ ſubſiſtere, quemadmodum in Aphoriſmo docemur. Huic ergò diſquiſitioni ſequentem quæſtionem impendamus.

Vndenam futuri virium ſtatus notæ hauriendæ?

QVÆSTIO QVINTA.

PRolatorum exemplorum nōnulla, tum præſentis, tum futuri virium ſtatus coniecturas præbent, ſed lubet facilioris doctrinæ gratia futuri prænuntias ad duo capita reuocare, ad ipſam videlicet facultatē, & vim

durationemque morbi Ex amborum collatione nullo negotio intelliges quod inquirimus.

Produnt facultatem, temperies, habitus naturalis, ætas, consuetudo, cõceptus. Morbi vehementiam & durationem, ipsa morbi species, morbificæ causæ, Symptomata, & alia de quibus inferiùs: singula breuibus quãtum instituti ratio postulat explico.

Aphorismo duodecimo

Qui temperie sunt calida & sicca, vel raro habitu assiduè in auras digerũtur: illos si fame torqueas facilè in hecticam febrem induxeris, hos confestim exolueris: vtrosque si accedat puerilis ætas, tantò grauius læseris, quantò plura concurrunt alimenti exhibitionem indicantia. Perpetuo fomite indigent pueri (vt probabitur posteà) quemadmodum & decrepiti: illi quidem præ caloris copia: Hi præ eiusdem inopia.

5. Aphor. comm 30.

Multis & frequentibus ferculis assueti omnem sibi alimoniam subtrahi non ferunt. Grauidis acuta febre correptis si ex longo interuallo cibum offeras fœtum destrues. Quamobrem æstimandæ vires & ex ætate & conceptione colligendum possit nec ne superesse quod vel puerum, vel senem, vel in vna muliere duo corpora sustineat. Sed augebitur interim febris (inquies) accessione nutrimenti, adaucta febre vis percelletur vehementiùs, ab imminutio ne virtutis iterum auctior indicabitur victus, tandemque fiet in exitium processus. Grauidam idcircò acuta

Celsus lib. 2. cap. 10.

febre corripi lethale interpretatur Galenus, & meritò: nam si habita fœtus ratione victũ intempestiuè obtuleris, fiet maternæ vitæ dispendio; sin tenuiter cibaris, fœtũ exstinxeris. Exstincto fœtu superstes esse mater potest, matri acuto morbo consumptæ superuiuere fœtus non potest. Vtrum ergò præstat vnà cum matre fœtum emori, an matre salua hunc interimi? si secundum admiseris sumptam à conceptione victus indicationem pariter sustuleris.

Ardua sanè huius nodi solutio, imò verò arduus proposito casu ægrotantis status, in salebris vndique situs & angustijs. Concedere virtuti vix quicquam potes quin morbum augeas, neque morbo deferre, quin illam atteras, cedit vtrumque iacẽtis interitu. At præferenda tamen virtutis intentio ex cuius casu, vitæ casus; & qua superstite, in acutissimis passionibus quantumuis dubia, affulget tamen aliqua expectatio salutis. Neque verò Fuchsio lubens subscripserim tenuiore victu seruare fœtam, vtcunque indè fœtui periculum immineat, volenti potiùs, quàm pleniore & fœtum & matrem interimere. Terroris & periculi plena hæc assertio, ne quid grauiùs dicam. Præstat media quadam via quid futurum sit experiri, quam deliberata huius clade incertam sibi illius sanitatem polliceri. Dictum Fuchsij admitterem si certus vnà ex parte foret vtriusque interitus, ex altera certa prægnantis salus. 5. Aphorism. comm. 30.

Fuchsione sic indubitata tam fallacis euetus prænotio? Hippocrati tam fallax sic indubitati exitus prædictio? in acutis morbis non omninò tutæ Hippocrati prænuntiationes ad salutem aut mortem: Fuchsio tutæ? Ille gerentes vtero acuto morbo corripi lethale tanquàm ex tripode pronuntiauit: certã hîc grauidis prænuntiet salutem? An igitur à solo victu pleniore metus, nullus ab ipsa febre? Dices ab vtroque simul, quã ab altero grauior. Sit ita, ideòne certa mors? Si incerta; certi se criminis reum facit quisquis tenellum embrionem aut fœtum aperto periculo scienter exponit, Neque verò maternæ mortis inedia vel tenuis alimonia timorem eripit, auget potius, auget fœtus exitium materni periculi grauitatem. Sugit ille rapitque è venis proximis assiduè quantum licet, ab his in alias continuatione procedit suctio, vt tandem necesse sit in summa fœtus penuria matri deesse aliquid, quantumuis prouidam & auaram finxeris singularum partium naturam: ab hoc defectu vis infirmior nequit absque cibo paulò pleniore in plures dies subsistere, accedentibus potissimum febrili ardore, doloribus, vigilijs, alijsque Symptomatis languidam funditus dissoluentibus. Quotidiana docet experientia quantam grauidæ mulieres probè etiã constitutæ debilitatem sentiant, si vel in aliquot horas tardiùs differantur epulæ. Vt reliqua taceã quæ hinc emergunt incõmoda. Emor-

3. Aphoris. 19.

cui verò fœtus labes extrema pernicie redundat in maternum caput. Quam citò is corrumpitur, & putrefcit, quàm maligna putredinis Symptomata toto materno corpore excitat, nisi quàm citissimè excludatur; at quanta difficultate excluditur, proh dolor? quam frequenti ruina.

In tali ego hæsitatione & metu lõgè consultiùs iudico, moderationem quandam adhibere, paulò vberiorẽ quàm morbus postulat diætam præscribendo, quemadmodum Aphorismo quinto ex Hippocratis mente docuimus: hac instituta lege neque matrem copia opprimes, neque penuria fœtum exolues. Habes studiosè lector vt victus indicatio à conceptione limitetur, ac vicissim vt hæc limitatio ad futurum virtutis statum pertineat.

Iam nunc ad morbi magnitudinem & durationem, quod alterum nostræ disquisitionis caput statuimus, vt potè cùm fieri non possit vt longam victus tenuitatem tutò quis sustineat. Vtriusque inuestigãdi primum medium ex propria morbi cuiuslibet idea petimus, particulari morborum tractatione luculenter à practicis expressa. Sub idea morbi Typum, accessionum durationem, & recursum hoc loco collocamus. Ex Typo quartanario autumno potissimum breuitatem sperare non licet. 3. Aphoris. 25.

Accessionum longitudo multum crassumque mali fomitẽ denotat. Firmam stabilem-

4. Aphor. 30. que febris causam & solutu difficilẽ portendit accessionum eadẽ semper hora reuersio. Secundum inuestigationis præsentis medium à causis deducimus externis, internisque præcedentibus & concomitantibus. Externæ sunt victus ratio, vitæ institutum, cœlum, solumque anni tempestates, cæteraque id genus. Internæ quas anteà recensuimus, ætas, temperies, habitus, humores. Externas quidem ad virtutem quoque referre licet, quatenùs eandem vel fouent, vel destruunt sed vtrasque modò ad morbificas causas referimus, quatenùs scilicèt pro earum varietate ad varios affectus paratiores euadimus. Morbi (inquit Hippocrates) omni tempore, omnes fiunt, sed quidam magis pro ipsius varietate, sic & naturarum aliæ ad alia tempora regiones & ætates magis minusue natura aptæ sunt. Hi speciatim singularum effectus: à frigidis longi, lentique affectus expectandi, quibus obnoxia senectus, hyems, frigidior temperies, & frigidorum vsus largior & frequentior. Frigidorum crassorumque humorũ resolutio, aut euacuatio cita esse nequit. A calida oriuntur contrarij, & quò plures eiusdem ordinis causæ vna conspirarint, eò lõgiores aut breuiores pariẽt morbos. Multa consultò prætermitto, quæ suopte genio facilè supplebit curiosus lector, & in posterum fusiùs & ex professo tractabuntur.

3. Aphor. passim

4. Aphor. 37


Vltimò ex Symptomatis passim morbi durationẽ colligit Hippocrates is ex variegata

deiectione, & frigidis sudoribus (quæ Symptomata sunt in exeunte mutato) in mitiore febre longitudinem prædicit. Multi sudores frigidi, humoris quoque frigidi multitudinẽ ostẽdunt. Deiectio versicolor varios subesse humores palàm facit. Vtrumque longo temporis tractu indiget ad coctionem. Rursus vbi toto corpore mutationes accidunt, vt si corpus iterum refrigeretur vel calefiat, vel calor alius ex alio oriatur, longitudo morbi significatur. Variæ nãque affectiones diuturniores esse solent, quàm quæ vniusmodi, plures exiguo tempore natura non cõficit, subigitque dispositiones. De violentia facilè cuique est apud se statuere, Iam tandem vt coronidis loco præfata omnia in Aphorismi sensum traducantur, nostra conclusio est, ex præsenti futuroque virium statu cum morbi diuturnitate, & vehementia collato definiendum, possit necne ægrotus cum præscripta victus forma ad vsque morbi solutionem perdurare. Sũmi interim traditi à summo Hippocrate documenti recordemur, neque primis diebus quauis sorbitione priuemus eos quibus futurũ est vt paulò post quibusuis sorbitionibus indigeant. Et hic quidem proprius fuit de virtute agendi locus, de constitutionibus morborum erit duodecimus Aphorismus. Nonnulla tamen in iuniorum gratiam censuimus in præsenti delibanda, ac veluti prægustanda,

1. prognost. t. 26. 2. prognost. t. 23.

4. Aphor. 40.

2. acut. t. 41.



Ὁκόσοισι μὲν οὖν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα λεπτῶς διαιτᾶν.

Ὁκόσοισι δὲ ἐς ὕστερον ἡ ἀκμὴ, ἐς ἐκεῖνο, καὶ πρὸ ἐκείνου μικρόν ἀφαιρετέον ἔμπροσθεν δὲ πιοτέρως διαιτᾶν ὡς ἂν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

Quibus igitur ſtatim vigor, ſtatim inſtituenda tenuis diæta.

Quibus verò poſteriùs in ipſo, & antè ipſum paulatim ſubtrahendum; ſed anteà pleniùs alendum vt æger ſufficiat.

Commentarius.

DIxerat Aphoriſmo ſeptimo noſter Hippocrates peracutis morbis ſtatim initio victum tenuiſſimum impe-

randum, hac fultus ratione, quod statim labores habeant extremos, hoc est, statim vigeant, id quod tali confecerat Enthimemate. Morbi peracuti statim vigent statim ergô victum tenuissimum exigunt, illud pro confesso supponens quod præsenti docetur Aphorismo, morbis qui statim vigent, statim instituendam tenuissimam diætam. Ex hac quippè enunciatione vniuersali pro maiori supposita particularis illa conclusio optimè deducitur. In hac porrò sententia duplex constituitur victus indicans, morbi tempus, & virtutis robur, quemadmodum à nobis fusiùs suprà explicatum fuit: virtus quidem tantam alimoniæ copiam requirit, quanta opus est, vt morbi impetum sustineat, quò igitur longior morbus, eò sit copiosior victus necesse est, quò ille breuior, eò hic tenuior. Longiùs namque protracta aut inedia, aut tenuitas ciborum vires grauiùs ferit, tandemque funditus prosternit. Morbi verò tempus quo circa coctionem natura distinetur, validèque à symptomatis distorquetur, suadet non distrahendam à coctione naturam neque addendam afflictionem afflictæ (vt est in prouerbio) hoc est nouam mor-

bificæ causæ adiectionem additione alimenti. Morbi itaque respectu in vigore & ante vigorem paulatim subtrahendum: virtutis ratione, quò tardiùs futurus est vigor eò vberiùs nutriēdum. Quamobrem in vniuersum accipienda est præsētis Aphorismi decisio, vt morbis quibuscunque conueniat seruata in singulis proportione. Non enim vox illa πιωλέρος hoc est pleniùs, absolutè intelligenda, sed cōparatè, sua enim cuique victus competit forma, non eadem initiò acutorum, eadem initiò longorum, vt nec in progressu. Idem iudicium esto de voce λεπλῶς id est tenuiter, quæ peracutis, acutis & longis affectibus suo cuique modulo applicāda. Hæc quāquàm in superioribus annotata, denuò fuére repetēda, ad pleniorē Aphorismi intelligentiam, qui fere' nihil ampliùs continet, quàm dictorum in præcedentibus repetitionem.

Quæstionum series & ratio.

HIc Aphorismus nihil aliud docet, quàm quod præcedentibus est proditum, quarè noui nihil disquisitione dignum videtur,

duo tamen perquiremus: primum circa ipsius contextus verba quomodo scilicet intelligi debeat καὶ πρὸ ἐκείνου μικρὸν ἀφαιρετέον. Alterum quod maximè ad praxim facit, vtrum in longorum morborum principijs victu pleniore sit vtendum? quod affirmatiuè concludere videtur noster Aphorismus.

Quomodo intelligenda sint hæc verba καὶ πρὸ ἐκείνου μικρὸν ἀφαιρετέον.

QVÆSTIO PRIMA.

MAnifestũ est in his verbis Hyperbatõ, quod ex dictionis μικρὸν transgressione nascitur, quam prioribus vocibus aut posteriori pro arbitrio copulare licet: cum prioribus quidem μικρὸν πρὸ ἐκείνου significat paulò ante ipsum. Cum posteriori μικρόν ἀφαιρετέον paulùm, vel paulatim, auferendum, perindè ac si dixerit κατὰ μικρὸν ἀφαιρετέον. Qui priori non adstipuletur interpretationi vidi hactenus neminẽ: inter cæteros Philothe⁹ μικρῶν πρὸ αὐτοῦ (inquit) τουτέστι πρὸ δύο ἢ τελῶν ἡμερῶν. Paulò ante ipsum, id est duobus tribusue diebus. Eidem interpretationi assentitur ratio, si enim simpliciter ante vigorem subtrahendum monuisset Hippocrates, erroris ansam præbuisset incerti-

tudo spatij, in longioribus præsertim affectibus, in quibus temporum latitudo præproperam cibi subtractionem vetat. Quorsum verò paulùm paulatimue subtrahendum iusserit. An quia quod paulatim fit tutum, præsertim vbi quis ab altero ad alterum progreditur? sed hic statim tenuiter alit cùm statim futurus est vigor. Et septimo præcedenti Aphorismo, statim initio extremè tenuissimum victum imperat: vbi progressus fit ab extremo ad extremum immediatè nimirum à sanorum victu qui plenus est, ad omnimodam inediam. An potiùs quia in Chronicis ad eam deuenire tenuitatem prohibemur quæ acutorum est propria paulùm adimendum dixit? faceret hæc restrictio particularem orationem quæ communi doctorum calculo generalis est, & quod de morbis in genere dictum est longis dumtaxat tribueret.

1. Aphoris. 31.

Subtrahendum ergò simpliciter voluit Hippocrates in vigore, & paulò ante ipsum, ea tamen limitatione quam septimo Aphorismo audiuimus, tantùm scilicet de extrema tenuitate victus remittendo, quantò morbus extremis fuerit leuior.

Stant ex altera parte rationes, in primis fatentur omnes symptomatum & coctionis causa, cibum in vigore imminui: ergò ante vigorem cùm paulatim ad coctionem & symptomata fit progressus paulatim imminuendus cibus, hæc indicationum vis, quas

nusquam non studiose obseruauit Galenus; in febribus enim continuis, quarum totius morbi status vltra septimum est futurus, vel non vltra septimũ quidem, at infirmæ sunt vires, ab initio solidiori cibo reficit, at propè statum tenuiori; cum iam adest status, tenuissimo: deinde rursus solidiori, sensimque simile illi augmentum efficit, quod ante statum fiebat decremento. In hoc senis sapientissimi documentum sequutus qui repentinas ad contraria mutationes passim improbauit, idque in victu maximè: neque in ægris solùm, verum etiam in sanis. Consentaneum igitur est, vt vocem hanc μικρὸν vbi de victus ægrorum mutatione agitur, ad ipsam mutationis formam referamus: nam si ad præcedentia ipsa pertineat, quid noui perdiscemus quod vel tironibus sit ignotum? illamne particulam πρὸ ἐκείνου totum augmenti tẽpus includere quisquã putabit? quin statim agnoscat dicendum potiùs fuisse in augmento & vigore hac vitæ norma procedendum? itane parùm in Therapia exercitati inueniantur qui quod vigori peculiare est longè antè censeãt ad praxim reuocãdum? quid quod indicanti respõdere vndequaque debet quod indicatur? ea ergò proportione augeri debet cibus & imminui qua cætera tempora ad vigoris cõditionẽ accedũt, aut ab ea recedũt. Id cùm sensim fiat quidni & sensim victus ratio immutetur? id cùm non æquali tempore in omnibus morbis eueniat, & aliquando priùs

1. ad Glauconem capite 13.

2. Acut. a. 18. textu ad 52.

quandoq; posteriùs à pinguiore victus norma sit deflectendum, quidni vocem hanc eo intelligamus modo qui omnibus sit communis? atque id in præsenti docuisse diuinum Hippocratem hoc argumento quis facilè sibi persuadeat, quod ex hac interpretatione nullus scrupulus emergat; nihil enim refert si vel parum, vel multum ante vigorem fiat subtractio, dummodò ea proportione fiat, quã & coctionis modus, & Symptomatum ferocitas suadebunt, quorum gratia de imminutione alimoniæ cogitamus. Quamobrem satis superque fuit innuisse non in vigore solùm; sed & ante ipsum eò deueniendum, sine additione particulæ μικρόν, vt significet paulò ante ipsum: maximè cum iuxta nostram interpretationem posteriori voci addita præcedenti orationi præfiniat modum, ac longè vtiliorem, minus tamen à plerisque aut obseruatam, aut cognitam, contineat doctrinam, neque verò est quod ab hac opinione nos auocet communis acceptio obsistente ratione: non ipsa ratio debilibus innixa fundamentis. Habet illa quidem quæ in contrarium opponitur verisimile aliquid, at hæc vltima vberius & firmius documentum, minus est in errorem prona.

Quod enim obijcitur errare in longis affectibus facilè eos posse, & longè ante vigorem parciùs quàm par est nuttire ægrotantes, qui non animaduerterent esse breue id spatium

ſpatium, ſæpius à nobis inculcata voce μικρὸν limitatum; nos conſtantes negamus ſubeſſe quicquam periculi, aut incommodi quamdiu pedetentim fiet imminutio obſeruata indicationum lege & natura: è contratio ſi, vt interpretatur Philotheus, duorum triumue dierum interuallo circumſcribatur id ſpatium his verbis πρὸ ἐκείνου μικρὸν hoc eſt paulò ante ipſum, vti cum Philotheo cõmuniter explicant, expreſſum, inter longiſſimos affectus & acutos (quibus vtriſque communis eſt huius Aphoriſmi doctrina) vnius diei erit diſcrimen. In acutis verbi gratia biduò ante vigorem ſubtrahendum, in illis triduò; qnod non modò abſurdum eſt, ſed Medicinam vix ſapit.

Horum namque alterum neceſſariò conſequitur ex Philotheo, vel vt indicationes negligamus, vel vt eædem ſemper æquali ſpatio concurrant; quorum illud cum legitima praxi, iſtud cum experientia & ſenſu ſtare nequit.

Ad priorem inſtantiam in qua docetur ex hoc ipſo, & ſeptimo præcedenti Aphoriſmo non ſemper paulatim progrediendum. Reſpondeo neceſſitati cedere naturæ legem. Omne nimium naturæ inimicum, præſertim cùm ab altero ad alterum ſit progreſſus; at iubet neceſſitas extremæ corporis mutationi, extremam illicò in victu mutationem opponere. Quare peracuti illi, in quibus ſtatim ad extrema deuenitur. ſub hâc noſtram

ſententiam non cadunt. Cœteri quicunque tandem ſint affectus, non tam præcipiti feruntur motu quin veluti per gradus recipiant in victu mutationem.

Ad ſecundam inſtantiam noſtræ abundè ſatisfaciunt rationes. Et hæc circa primam Aphoriſmi partem meo iudicio non inutilia: nunc circa alteram inquirendum.

Vtrum in longorum morborum principijs victu pleniore ſit vtendum?

QVAESTIO SECVNDA.

Affirmatiuè quæſito ſatisfacit in hoc Aphoriſmo noſter Hippocrates. & rationem addit, vt æger poſſit perdurare: ſi enim tenuiore victu in ipſis principijs ægrotantes exhaurias, qui fieri poterit vt totum morbi decurſum ſuperſtite vita perferant? Sibi infenſum hoſtem validè adoriantur, & edoment, quem ne integris quidem viribus, vix niſi conuenientibus præſidijs adiuti, & longo ac difficili conflictu ſint euicturi? Denique ad eam poſtmodum tenuitatem traduci non poterunt, quàm vigor poſtulabit: ſummũ itaque cum eodem Hippocrate ſta-
2. Acut. t. 41. tuo documentum, ne primis diebus debita ſorbitione priuentur ij, quibus futurum po-

steà vt quacunque sorbitione indigeant.

Contrarium nihilominus multis & probabilibus argumentis tueri licet; licet & experientia, atq; auctoritate confirmare, enimuerò si coctionis & Symptomatum gratia nutrire in statu prohibemur, quidni & in principio? an tum feriatur natura? an nō quantum in se est crudum adhuc & planè incoctum humorē aggreditur, qui, vt copiosior est quàm procedente tempore sit futurus, maius negotium facessit; vt minus elaboratus, coctioni magis est rebellis. In vigore certè magna ex parte est imminutus, euacuationibus præcedentibus tum natura, tum arte factis, longè quoque quàm initio elaboratior, magisque naturæ obsequens redditus, & ad expulsionem paratus, Quamobrem imminuenda circa principia victus tenuitate morbifica materies, adiuuanda coctio; crudiores succi, quibus scatēt plerumque ægrorum corpora, statim inedia absumendi ne augeatur morbus aucta cibis cruditate; simulque in longum prorogetur. 2. Aphor. 30.

Addo vt plurimum lōgiores morbos à crassioribus & frigidis humoribus generari, quibus quæcunque abundant animalia nullo aut leuiore detrimento longam inediam ferunt. Horum etiam nonnulla plures menses sine exteriore alimonia in latibulis degunt. Neque nouum est inuentos fuisse vtriusque sexus homines qui integros annos vitam incolumes sine cibo ducerent, quidni in malè af-

fectis corporibus adaucta materiæ copia victus necessitatem imminuat; imminutum natiui caloris robur parcimoniæ indigentiam adaugeat? Nunquid in alimentum facessit pituita? Quid ergò est quod ab huiusmodi opere in quotidianis febribus quæ omnium ferè sunt longissimæ, naturam distractam noua veluti sarcina opprimas eo potissimum tempore quo grauior est redundantia. Quid est quod eodem ipso tempore purgatione & venæ sectione vasa depleas, cibis repleas? Quod ad Symptomata attinet, perpetuum non est circa initia leuiora esse, in statu autem vehementissima; neque si leuiora sint importuno victu adaugēda. Istud spectauit Auicennas cum tenuiore victu primum vsus est in quartana ad tres vsque septimanas, posteà deuenit ad pisces, oua sorbilia, pullos, gallinas, aliaque firmioris nutrimenti. Asclepiades verò in febribus conuellendas vires ægri putabat luce, vigilijs, siti ingenti, sic vt ne os quidem primis diebus elui sineret. Vbi ægrum per omnia fatigarat, quarto die cibo destinabat. Asclepiadis de conuellendis ægri viribus intentionem Celsus reprobat, quoniam summum ex imbecillitate periculum est; Abstinendum tamen à cibo primis diebus ægrum non improbat, & in luce habendum, nisi infirmus sit interdiù, quoniam corpus ista quoque digerit.

Lib. 4. feb. 2. tract. 2. Capite 65.

Cels. Lib. 3. Cap. 4.

Quasnam modò sic dubijs in rebus sectabimur partes? Præstat equidē in sūmi dicta-

toris castris consistere, quam àliena non satis tuto duce ingredi. Summũ summi illius viri studium in virtutis tutela: ipsa deiecta, in minimis, penè dixerim in securis, periclitamur, in grauioribus desperamus. Hæc ipsa valens omnia contemnit & tolerat infirma vel à quouis offenditur. Virtutis est morbum & causam propulsare (naturas ideò curatrices vocamus) Medici eiusdem conatus promouere, ipsam quò suas vices expleat, tueri: hostem tutò conficere satiùs quàm citò: sat citò, si sat tutò. Eidem sententiæ subscribit Galenus, quam breuibus dilucidè sic explicat. *Galenus 10 Methodi 4.*

Tres sunt primi scopi qui nobis in putridis febribus agendorum indicationem præbent: primus febris ipsa: alter effectrix eius causa: tertius vis naturalis, Priores duo submouendi, tertius seruandus, Si indicationes pugnent, quæ valētior est, hāc magis sequere, cœteris non neglectis: ex hac nãque discretione doceberis primum causam febremque profligare, vbi videlicet cõijcies harum remedia vires posse sustinere, rursus primum roborandam facultatem, vbi hæc imbecillior est, quam vt causæ, febrisque remedia sufferat. *10. Methodi 2.*

Idem ipsemet in praxi accuratè obseruauit. In cura namque tertianæ nothæ cùm videret morbo & viribus prouidere simul arduum & difficile esse? si quidem quantum ad morbi coctionem mediæ conferunt, tantum *1. ad Glauc. c. 10.*

vel etiam ampliùs robori officiunt, cui longiori tempore laborandum eſt: & quantùm ægroti robur adaugent cibi, tantum remorantur coctionem ea inſpiciēda monet, quæ maius auxilium poſtulant, inedia quidem audaciùs vtendum in valentioribus viribus, & morbo coctu difficili: largiori cibo in debilioribus, morbo non admodum coctioni rebelli.

Age nunc iſto veluti ſepto muniti aduerſam aciem infringam⁹. Coctionis gratia (inquit illa) in ſtatu nutrire prohibemur, ergò & in principio, negatur cōſequētia. Ad probationem negat Auerrhoës naturā in principio materiam tractare. Et ſi verò concedatur incipere in initijs coctionem, manifeſtari in augmento aliaque concurrere quæ victus tenuitatem requirant, præualet nihilominùs indicatio virtutis, quæ longo tempore tantam parcimoniam morbo laceſſita atque diſſoluta non feret. Si tamen confiderem⁹ validam illam futuram, vt puta copioſa naturali pituita quæ in ſanguinem facilè vertitur ſuſtentatum, commodum fuerit, quantùm per ipſam licet detraxiſſe dum humor exuberans coquatur, ad Symmetriam reuocetur, ac penitùs abſumatur. Hæc Auicennæ mens fuit, ſi eiùs verba expendantur quæ ſic habent. Rectiùs eſt vt inclinetur regimen quartanam patientium in primis ſeptimanis, vſque ad tres ſeptimanas ad ſubtiliationē quandam modò ne deſtruat virtu-

3 collig. 9.

loco ſupra citato

tem. Ecce vt in quartanis victum non simpliciter tenuem sed quodammodò tenuem imperat, hoc est tenuiorem aliquantò quàm morbi diuturnitas exposcat, sed cum virtutis moderatione. Addo non tam morbi ratione subtiliorem circa initia ab Arabũ principe diætam inoperari, quàm cruditatũ absumendarum gratia quæ primas vias occupant, quibus alimenti coctio distributioq; impeditur.

Asclepiadis, Themisonis, aliorumque ex eorum familia nimis seueram & exactam in quibuscunque febribus, triduanã abstinentiam, tanquam importunam, & summo discrimini obuiam, à Medicorum scholis iamdiù explosam, perpetuo exilio damnamus. Celsi interpretationem restrictionẽque admittimus, qui & si in febribus ad initium cibi diem quartum aptissimum censuit, nullum tamẽ perpetuum temporis præceptum constituit, vnum illud & semper, & vbique seruandum cum Galeno præcepit, vt ægri vires subindè Medicus assidens inspiciat, & quamdiu supererunt, abstinentia pugnet, si imbecillitatem vereri cœperit, cibo subueniat, ne aut ægrum superuacanea materia oneret, aut imbecillitatẽ fami prodat. Suæ sententiæ Erasistrati auctoritatem adsciscit Celsus, is quamuis parũ docuit, quãdò venter, quandò corpus ipsum exinaniretur, dicẽdo tamẽ hæc esse visenda, & tum cibum dandũ cùm corpori deberetur: satis ostendit,

loco supra citato

dum vires superessent, dari non oportere, ne deficerent, consulendum esse. Ex dictis vnum colligit idem Celsus, quod & si minimè præsentis instituti prætermittere non possum: ab vno nempè Medico multos non posse curari, eumque (si artifex est) idoneum esse qui non multum ab ægro recedit. Sed qui quæstui seruiunt, quoniam is maior ex populo est, libenter (inquit) amplectuntur ea præcepta quæ sedulitatem non exigunt, vt in hac ipsa re. Facilè est enim dies, vel accessiones numerare his quoque qui ægrum non vident; ille assideat necesse est, qui quod solum opus est, visurus est, quandò nimis imbecillus futurus sit, nisi cibum acceperit. Ecce vt nihil hac in parte perpetuum Celsi decreto; vt victus occasio ex sensus iudicio petenda.

Ad alterum argumentum quo cõcluditur Symptomatum ratione in principio, æquè ac in vigore conuenire victum tenuem, valeat eadem solutio, tantum scilicet sumptæ è Symptomatis indicationi tribuẽdũ, quantum patiuntur vires; sic in pleuritide, victum initio detrahit Hippocrates, habito Symptomatum respectu. In progressu auget, vt refocillata virtus materiã noxiam, eò faciliùs & validiùs expectoret, expectoratione sensim, vt morbus & morbifica causa minuũtur, Symptomata mitescunt. Eandem regulam sectari nefas, in ijs affectibus, quorum materia ad vnam aliquã expulsionem seruatur,

quando verendum eſt ne præcedente abſtinentia languidior effecta virtus, tum demum cibis veniat reficienda, quo tempore coctioni perficiendæ tota addicta eſt, & Symptomata ingraueſcunt, & hoc ſolidum illud eſt, & præcipuum in hac ipſa materia non ſemel anteà ſubſtratum fundamentum.

Si quæ alia ſpectare ad præſentem videntur Aphoriſmum fuère in præcedẽtibus diſcuſſa: aggrediamur vndecimum.





Ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή, τὸ προστιθέναι γὰρ βλάβη. καὶ ὁκόσα κατὰ περιόδους παροξύνεται, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή.

In acceſſionibus abſtinere oportet, nam cibum dare nocuum eſt, & quibuſcũque per circuitus redeũt acceſſiones, in ipſis abſtinendum.

Commentarius.

HActenùs pluribus Aphoriſmis de indicationibus, quibus legitima cuique morbo victus quantitas decernitur, egit Hippocrates. Nunc particularem conuenientis ad cibi oblationem tẽporis aggreditur tractationem, non directè tamen, ſed obliquè & negatiuè. Docet quippè quo tempore abſtinendum, nempe in acceſſionibus quibuſcunque, ſiue per circuitus ipſæ

redeant, siue non. Ex quo necessariò infertur extra accessiones cibandũ. Huius eadem ratio quæ sententiæ præcedentis: quoniam, videlicet, distrahi cibis natura non debet, cum circa morbificam materiã occupatur: vtriusque simul coctionem perficere commodè non potest, extranej scilicet humoris simul & alimenti; tum maximè cùm grauiùs lacessita mutuo morbi cõflictu perturbatur. Vel ergò crudus relinquitur cibus, vel corrumpitur, non sine morbi, eiusque causæ incremento, neque verò solum in accessione abstinendum, sed & cum futura est, eam enim quã modò dicebamus indigestus cibus, vel eiusdem indigestæ reliquiæ tragœdiam excitarent. Debet & hic Aphorismus sub eadem cum præcedentibus limitatione viriũ intelligi. Iam quid ipsa accessio sit, & quotuplex, quãdo in ipsa, & qua potissimum parte nutriendum; quæ circuituum causa, & si quæ alia ad pleniorem propositi intelligentiam, faciunt, ne quod curioso lectori dubium supersit, in controuersijs quanta poterimus facilitate discutiemus, non tam de breuitate, quàm de perspicuitate solliciti.

Quæstionum series & ratio?

His in accessionibus abstinendum docemur: quod antequã expendamus, videndũ in primis quid, & quotuplex sit accessio. Itemque cùm de periodorum recursu sermo sit, audiendum, quid periodus, quot eius, quot accessionum tempora.

His ignoratis temporibus, facilè in exhibẽdi cibi particulari tẽpore aberratur. Mox ad generales recursus, periodorum causas orationem cõuertemus: à generalibus ad particulares descendemus. Ac demũ Aphoristicæ sententiæ veritatem, contrariorum oppositione declarabimus.

Quid & quotuplex sit accessio?

QVÆSTIO PRIMA

QVid hoc loco per accessionem intelligendum sit, docet in sequenti Aphorismo Galenus: totius nempè circuitus deteriorem partem, quæ à prima inuasione ad vigorem inclusiuè protenditur: vigorem sequitur inclinatio, quam meliorem circuitus partem dicere pari ratione conuenit. Haud absimili modo libro de morborum temporibus accessionem definiuit, dum primam

Capite 6.

circuitus partem ipſam appellat, ſecundam verò, remiſſionem, vel interuallum: liberum cuique permittens omne id ſpatium quod vigorem ſequitur, vel inclinationem, vel remiſſionem, vel ſubmiſſionem, vel ablationem, aut interuallum nominare. Ibidē præfatam definitionem noſtro applicans Aphoriſmo, in acceſſionibus (inquit) abſtinendum intulit Hippocrates, docēs nos videlicet ſolum illud tempus quod acceſſionem vocat obſeruandum. Nunquam enim in hoc nutrimus, verum in reliquo omni remiſſionis tempore interdum in alia atque alia eius parte, quia ex ſimplici interim declinatione, interdum ex declinatione, & interuallo conſtat. Hippocrati cōſentit hæc oratio, ſimul & rationi. Hippocrates quidem in acutis dilucidè mentem aperiens, ſorbitionibus vtitur, ſic obſeruatis febrium acceſſionibus, vt nunquam cùm adſunt, neque cùm futuræ ſunt illas exhibeat, ſed vel cùm ceſſāt, vel quieuerunt, & maximè à principio receſſerunt. *4.acut.38.*

Nequis verò ſolam quietem ſiue interuallū ab acceſſionis appellatione ſecludere Hippocratem putet, ſubiungit: frigentibus ergò pedibus, neque potum, neque ſorbitionem, neque alliud quidpiam huiuſmodi dabis, ſed maximum exiſtimato, vbi ſi id tantiſper obſeruaris donec valdè incaluerint, deinde quod confert exhibe: tempore videlicet ſummum illum æſtum conſequente, hoc eſt in remiſſione, non enim illa vox (deinde) ad inter-

uallum extenditur, sed ad tempus id quod prædictũ feruorẽ immediatè sequitur. Idem manifestè comprobat, ibidem producta ratio, nempè cùm pedes frigidi fuerint, venter de necessitate calet, fastiditque cibum, intenditur Hypochondrium, iactatur propter interiorem perturbationẽ corpus, mens fixa non est, dolet æger, lancinatur, vellicaturque, vomere affectat, si mala vomuerit dolet: ergò cùm calor ad pedes descenderit, curritque vrina, & si nõ sudet, omnia cessant, quo tempore sorbitionem dare expedit, nam aliàs perniciosa existit. Ecce manifestam remissionis descriptionem nõ integritatis, eiusdemq; ab accessione separationẽ. Dictum verò Hippocratis, non de solo principio, sed de reliquis accessionis temporibus pariter audiendum, in quibus à concepto interiùs ardore iactationes, dolores, cœteraque enumerata Symptomata; quibus sæuientibus circa alimenti coctionẽ versari natura minimè potest, itaque si tum illud offeras cruditatum fit necessariò prouentus magno morbi, Symptomatum, & causarum incremento. Contra omninò in declinatione accidit, repress' quippè internus calor, & mitior redditus, exequendis naturæ munijs euadit aptior. Accessionis ergò nomen declinationem non includit.

Duplex ex dictis oritur difficultas: prima est, malè per circuitum accessionem describi, eo modo quo totum partium descriptionem ingreditur.

Altera eſt remiſſionem ab acceſſionis partibus non debere ſecludi. Huius deciſionem in ſequentem quæſtionem differemus.

Quod ad primam attinet dubitationis anſam præbet noſter hic Aphoriſmus, in quo habetur in omnibus acceſſionibus abſtinendum eſſe, & poſtmodum abſtinendum, in acceſſionibus quæ per circuitus redeunt, ex quibus euidens eſt, ex mente Hippocratis, quaſdam ſine periodis acceſſiones inueniri: ſi ergò ſine circuitu ſunt acceſſiones, debent & ſine circuitu definiri, alioqui nec vniuerſalis erit definitio, nec reciproca. Eſſe autẽ acceſſiones ſine periodo palàm facit ſynochus, cuius vnica inuaſio, nulli reditus, Hanc, ſi impropriè acceſſionem voces, & quaſi aut veluti acceſſionem (vt Medicorum nonnulli) quid de inordinatis febribus dices? (quales vt plurimum lentæ ſunt) ipſarum exacerbationes quo nomine donaris? ſi acceſſiones voces erraueris, vt potè quæ ſtatos recurſus non ſeruant, quod ipſarũ nomen indicat. Nam acceſſiones, ſi partes ſunt circuitus, ordinatæ ſint neceſſe eſt; Medici namque approbante Galeno, circuitum appellant, morbi ex iiſdem ad eadem per ordinem recurſũ. Quam ob cauſam periodicas febres communi appellatione dicimus ordinatas; illas erraticas, vel cum Celſo, vagas. *Libro de mor. temp. c. 2.*

Ad huius nodi ſolutionem veniunt hæ explicãdæ voces, παροξυσμὸς acceſſio, periodus; quarum nos implicat diuerſa acceptio. *Libro 3. c. 5.*

Paroxyſmus quidem, ſi mutationem, atque adeò genuinam ſignificationem ſpectemus, irritationem denotat, exacerbationem, excandeſcentiam, diſceptationem, prouocationem, hæc quoniam redeunte morbi inſultu in nobis ſentimus, reditũ ipſum morbi, atque adeò vniuerſum inſultum paroxyſmum nominamus.

Eodem modò acceſſio à febris aduentu nomen habet, vt vox ipſa ſonat. Verum acceſſionis nomen quemadmodum & paroxyſmi, ſtrictiùs quandoque vſurpatur, quandoque latiùs. Ex vi quidem verbi tempus id deſignat quo accedit, ſiue irritatur morbus ſiue particularia tempora manifeſtè contineat, ſiue non, quo modò ſynocharum febrium vniuerſum tempus vnicam eſſe acceſſionem dixit Galenus. Aliàs ſolam notat exacerbationem temporibus diſpertitam, principio, puta, augmento & ſtatu ſiue ordine recurrat, ſiue non. Quin etiam in ampla ſignificatione declinationem ſub ea collocare nil incõuenit. Quanquã ſi propriè & ſtrictè loquamur hæc ab acceſſione excludenda, & quod ampliùs in ſtrictiſſima acceptione reuerſionis ordo ſupponendus.

2. de diff. febr. 4.

Periodus quoque aliàs de ea dicitur quæ certo reuertitur ordine vti ex Galeno didicimus, aliàs de quacunque ſiue ordinata ſiue inordinata, ſiue reditũ habeat, ſiue non. Hoc ſenſu à Galeno definitur, tempus morbi ex intenſione & remiſſione conſiſtens.

Libro definit Medicarum.

Declarata

Declarata horum nominum Homonymia nulli reliqui plexus in Aphorismo nostro, nulla in allatis argumentis inuolucra. Non enim ambiguum esse potest aliter in prima Aphorismi particula, aliter in vltima paroxysmi vocem vsurpari. In prima quidem cõmunissimè sumitur pro omni febriũ excandescẽtia, quæ cibos offerri vetat, itavt ipsas quoque synochos complectatur, quæ propriè loquendo accessionis nomen obtinere nequeunt, cùm nullam temporũ manifestam differentiam habeant, sed talem ferè decursum vniuersum, qualis est tertianarum aliquo tempore magnitudo status, proinde totam eiusmodi febrem statum nonnunquam appellat Galenus. In altera de ea tantum accessione dicitur, quæ per circuitus affligit, quorum deterior pars est, & febribus omnibus est communis quæ per circuitus oppetunt; siue continuæ sint, seu intermittentes, siue ordinatæ, siue inordinatæ, quicquid plerique secùs æstimarint.

Libro de mor. temp. capite 5.

3. de crisibus.

Fuchsius quidem inter cœteros vindicari ab errore non potest, dum primam Aphorismi partem de continuis & continentibus interpretatur, alteram de solis intermittentibus falso hoc elusus fundamento.

In febribus intermittentibus nutrire non licet nisi vbi ad integritatem æger redierit, & à febre liber fuerit: Hippocrates ergò per accessiones quæ per circuitum redeunt, particularia quatuor morbi tẽpora designat,

principiũ, augmentũ, statum, & declinationẽ.

Supponit hic Fuchsius accessionis nomen æquiuocè sumi in præsenti, quod admittimus, sed alio quàm ipse Fuchsius intellectu: nam in priori parte de Synochis dicitur, in posteriori de cœteris quarum diuersa planè à Synochis ratio, vti docuimus. Sed Fuchsius ad priorẽ partẽ etiam cõtinuas refert, quas tamẽ periodicas esse nemo diffitetur, cùm peractis quatuor tẽporibus, rursus ad eadem deueniant; cùm ergò per circuitus oppetant, quidni ad secundam Aphorismi partẽ spectabũt? An quia nutrire in declinatione in illis febribus licet, in intermittentibus non licet; & ex consequenti in prima parte accessio dicitur de ea quæ tria tantum habet tempora; In secunda parte, de ea quæ etiam includit remissionem? sed hoc vtrumque falsum est, cum Galeni doctrina minimè cohæret.

Secluditur quidem ab accessione declinatio, si hæc circuitus secunda pars est, & melior; illa prior & deterior.

10. Methodi. 4. An verò ad cibi exhibitionem in intermittentibus semper expectenda integritas? consulat Galenum, qui in nullo squalido affectu commodè finiri accessionem existimat, prius quàm illi vel ex lauachro vel humido victu humectatiō accesserit. Qui sic afficiuntur decrescente iam accessione illicò nutriendos monet, non expectato interuallo. An non cùm breue est intermissionis spatium, præstat cibum in declinatione ca-

pere, quò longius futura accessio præueniatur? quanquam offerendo cibo natura sua oportunius interuallum esse non diffitemur. Itaque cùm Hippocrates in vltima Aphorismi clausula de accessionibus quæ per circuitus fiunt simpliciter loquatur, credibile est, nullam earũ excludi, quæ periodos quascunque tandem illas obtinent, siue ad integritatem perueniant, aut secus.

Ad argumenta contra descriptionem accessionis producta patet ex annotatis solutio: illud scilicet accessionis nomen, vniuocè singulis vocatis accessionibus minimè competere. Ac prætereà in illa ipsa descriptione, periodi vocabulum non accipiendum esse pro ordinato recursu ex ijsdem ad eadẽ, sed pro tempore morbi ex intensione & remissione constante, siue repetat siue non.

Hæc circa definitionem accessionis. Eiusdem diuisio petitur à diuersis.

Quandoque ab inuasionis modo, siue principio (ἐπισημασίαν vocant) quod vel manifestum est, vel obscurum. Hinc manifesta dicitur accessio, cuius reuersionis manifesta sese produnt in pulsu, in vrinis, in caloris motu indicia. Qualia in intermittentibus febribus pulsus contractio, vrinæ cruditas, frigus horror, rigor. Obscura est quæ sine sensu irrepit, aut certè non euidenti. Potest hæc ipsa distinctio à cæteris etiam sumi temporibus. Nam lentarum verbi gratia, febrium exacerbationes, inæqualitatem, ac

Libro de morb. tēp. capite 7. incrementa ſenſu nonnunquam ægrè deprehendimus. Statum nunquam deficientem vidiſſe ſe profitetur Galenus. Aliàs à duratione diuiſio ſumitur ſic breues dicimus tertianæ exquiſitæ acceſsiones: medium tenent quædam non exquiſitæ: longæ ſunt quotidianæ.

Ab humoris aut caloris motu tardæ aut celeres fiunt, quæ ſua tardè, vel citò tempora abſoluunt & percurrunt.

A morbi, aut ſymptomatum intentione, vehementes appellantur, aut leues.

A tempore quo inuadunt, nocturnæ, diurnæue, matutinæ, pomeridianæ, veſpertinæ. Denique à reciprocationis certo vel incerto, ſtatoque tempore, & modo; ordinatæ, inordinatæ. Et hæc ad inſtitutum ſatis.

Quid ſit Periodus? Quot eius; quot acceſsionis tempora?

QVÆSTIO SECVNDA.

Dictum à nobis præcedenti quæſtione periodi nomen diuerſimodè à Galeno accipi & definiri. Ampla ſignificatione acceptum dicitur tempus morbi ex intenſione & remiſſione conſiſtens; morbiſque omnibus conuenit, ſiue vnico circuitu terminentur, ſiue per interualla exaſperentur & recurrant: ſiue quodam veluti Rithmo & *Libro def. Med.*

ordine procedant, siue inordinatæ, dũmodò intentionem habeant & remissionem. Hoc sensu propriè videtur à Galeno vsurpatum vbi de typis ex professo pertractat: periodum siquidem à Typo solius ordinis ratione distinguit. Typus (inquit) est ordo intentionum ac remissionum: periodus seu circuitus est tempus intentionum & remissionum in morbis factum. *Libro de Typis c. 1.*

Strictiùs tamen aliquando sumitur, itavt ad ordinem, quo à typo discernitur, restringatur. Sic anteà describi audiuimus in posteriore ista acceptione periodum, eiusdem ad eadẽ per ordinẽ ipsum circulũ, seu recursum. *Libro de tẽp. morb. Capite 2.*

Nos in latiore potiùs acceptione vsurpari hoc Aphorismo existimamus, vt sit generalior oratio, nec ad solas ordinatas periodos referatur, quæ quodam veluti circulo repetunt. Nihilomin⁹ quoniam inualuisse hactenus videtur secunda acceptio, secundam quoque definitionem explicemus. Dicitur recursus, ad eorum affectuum differentiam qui vnico finiuntur insultu, quamuis accessionem habeant & remissionem. Additur morbi: quo nomine non morbus solùm, sed & symptomata continentur, quæ ab interioris alicuius causæ motu, sine vllo externo errore, aut appulsu proritantur. Non enim si quotidie ex intemperie in ventriculo cõtracta, inflatio, aut totius corporis langor, aut grauitas, aut spirandi difficultas, aut quid aliud eiusmodi repetat ab ingesto cibo,

periodicum affectum iure appellaris. Sed neque periodicos ex hac definitione illos dixeris in quibus ad diuersa fit regressus. Sic tertianæ febris in dolores colicos factam commutationẽ, quamuis ipso consuetæ exacerbationis tempore, & ab eadem interiore causa, à periodi nomine excludimus: non enim ex iisdem ad eadem. Quanquam dolorem ipsum, si statis temporibus recrudescat, rectè periodicum vocaris.

Postremò status requiritur ordo, qui quoniam in erraticis febribus non inuenitur, periodicas illas nemo appellarit. Porrò hic ordo vel præcisè ad horas refertur: quomodo quotidianum circuitum 24. horis circũscripsit Galenus: Tertianum 48. Quartanum 72. Vel ad dies ex proprio cuiusque morbi typo. Sic quotidianus est qui singulis diebus affligit: si vnũ intermittat diem non ampliùs quotidianus erit, sed tertianus: sin plures ad alium circuitum pertinebit. Si modò vnum, modò duos, æquali seruato recursus ordine, non simplicis vnius erit affectus sed cõplicati. Horarum immutatio non hanc circuituum mutationem parit, sed in ipsis circuitibus anticipationem vel postpositionem.

Libro de morb. tẽp. capite 2. & aduersus eos qui de typis scripserunt

Quocunque modo definita periodus geminas continet partes, accessionẽ & remissionem. Accessionem diximus deteriorem circuitus partem, qua videlicet cum morbo conflictum grauiorem init natura. Remissionem meliorem partem, qua certaminis im-

petus compescitur.

Harum partium vtraque subdiuitur, accessio quidem in principium, augmẽtum, & statum: remissio ipsum etiam sub se continet interuallum.

Principium dicitur, cùm calor ad interiora reuocatur; augmentum, cùm quaquauersùm diffunditur, & augetur. Status cùm per omnia mẽbra diffusus æqualiter cõsistit, sibique similis permanet. Declinatio cùm manifestè decrescit, & ab intimis rapitur ad extima. Interuallũ cùm penitus deficit. Sumitur hæc temporum distinctio à caloris motu.

Priora illa tria vno nomine accessionem vocãt: posteriora, remissionẽ. Id quod dictionum notationi consonat, siue Græcas intueamur, seu latinas. Παροξυσμός enim morbi acutiem, exacerbationem, excandescentiam, irritationem denotat qualis in accessione percipitur: accessio, morbi accessum. Παρακμή contra langorem & declinationem, quasi παρὰ τὴν ἀκμὴν, hoc est extra vel post vigorem, qui succedit, & à quo declinat & recedit, iure proinde recessionem dixeris. Quamobrem, vt nomine, sic re quoque opponitur accessioni, remissio: in illa efferatur morbus, in hac mitescit; in illa accedit, augetur, viget: in hac recedit, decrescit, languet. Verùm non desunt qui sub accessione remissionem comprehendant.

Id iam anteà ex Fuchsio audiuimus; quid verò ex Fuchsio? immò ex ipso Galeno. Id Capite 4.

enim prolatus ex 10. Methodi in Fuchſium textus palam facit. Nam ſi in ſqualido affectu (vt illic loquitur Galenus) non antè definit acceſſio, quam illi humectatio acceſſerit, ideòque decreſcente acceſſione illicò nutriendus eſt æger, acceſſionis certè decrementũ, hoc eſt remiſſio, acceſſionis pars eſt, aliàs perperàm diceret non finiri acceſſionem ante humectationem quam in remiſſione imperat. Clarius id 2. de differentijs febrium vltimo, vbi ex affectu in parte relicto, congeri denuò ſuperflua docet Galenus: Ab his noua concepta putredine rurſus principium, aſcenſum, ſtatum & declinationem alterius fieri acceſſionis, At euidentiſſimè & ex profeſſo libro de morborũ temporibus, totus circuitus in duas partes diuiditur, vnam primæ acceſſionis, à primo inſultu ad extremam vſque remiſſionẽ. Alteram quæ in declinationis & inſultus ſecundæ acceſſionis medio conſiſtit. Et ſanè, ſi ex caloris motu acceſſionis tempora diſpertimus, quatuor omninò reperiemus. Concentratur primũ calor: mox diffunditur & augetur: auctus æqualiter toto corpore exterius & interius efferueſcit: Tum demum deferueſcẽs interius, ſolũ ambitum occupat. Si nomina ipſa ſpectamus morbi acceſſionem non excludit remiſſio. Nam ſi tẽpus id omne quo verè adeſt affligitque morbus acceſſionem voces, quorſum ab eadem appellatione ſecluſeris remiſſionem? in qua adeſt eti-

Capite 6.

amnum febris calore conspicua & molesta, quam grauis quandoque iactatio, vigiliæ, sitis, anxietas, comitantur. Quamobrem in intensionem & remissionem diuiditur accessio.

Equidē negare non possum quin ita quandoque, sed impropriè, à Galeno vsurpetur, verùm secus is ipse passim docuit, & æstimauit, vbi agendum exactè fuit & ex professo. Satis superque id probant quæ ex ipso produximus in rem nostram: quæ in contrarium nihil nos morantur. Allegato ex Methodo capite amplè sumitur accessionis vocabulum, vt totum id tempus includit quo febris adest: non erat is distinguendi locus, nihil intererat quocunque accessionis nomen caperetur modo, dummodò euidens foret de tempore nutritionis præceptum: quod vox illa (decrescente) sufficienter illustrabat. Eadem est ad allegatū ex secundo de differentijs febrium responsio.

Difficilior est citata ex libro de morborum temporibus diuisio, in qua mihi persuadere non possum non subesse mendam, aliàs à manifestissima contradictione Galenus vindicari nequit, quæ tamen à nemine quem viderim hactenus fuit animaduersa. Initio quidem capitis remissionē subaccessione collocat, & ab interuallo secludit; mox eandem cum interuallo confundit, & ab accessione segregat. Hæc ipsissima sunt eius verba vbi totum circuitum in duas partes secans, ἐν

Galeni locus illustratus lib. de morb. temp. cap. 5.

μὲν (inquit) τὸ τοῦ πρώτου παροξυσμοῦ ποιοῦντας ἀπὸ τῆς πρώτης εἰσβολῆς ἄχρι τῆς ἐσχάτης ἀνέσεως· τὸ δὲ μετὰ μεταξύ ἐστὶ τῆς παρακμῆς, καὶ τῆς εἰσβολῆς τοῦ δευτέρου παροξυσμου. Hoc est vnam partẽ (ſupple circuitus) facientes primæ acceſſionis, à primo inſultu ad vltimam vſque remiſſionem: alteram quæ in remiſſionis & ſecundæ acceſſionis medio conſiſtit. Paucis interpoſitis ſubiũgit: & quod ab Hippocrate dictum eſt in acceſſionibus abſtinendum eſſe, ſecundũ eandem diuiſionem pronuntiatam exiſtimo, docet nos videlicet ſolum illud tempus quod acceſſionem vocat obſeruandum: nunquam enim in acceſſione nutrimus, verum in omni reliquo tempore remiſſionis, interdũ in altera eius parte. Ecce vt diuiſionem ſuam explicans ab acceſſione remiſſionem ſeponit, ac iſtius duas partes facit. Vtrumque in ſequentibus non minus apertum his verbis. Hæc quidem vnius circuitus eſt in duas partes diuiſio, alteram primam eius partem acceſſionem vocamus: ſecundam vel remiſſionem, vt paulò antè, vel vt quidam interuallũ. Nam interuallum non pauci Medici vniuerſum id quod poſt ſtatũ eſt qualicunque natura præditum nominant, ſiue id ad integritatem veniat, ſiue non; verũ nos appellationes prædictas obſeruabimus, vocabimusque omne quod acceſſionem ſequitur remiſſionem. Sed neque prohibemus ſi quis ipſum totum nominet interuallum, vel declinationem vel remiſſionem, vel ſub-

missionem, vel ablationẽ. Hucusque Galenus. Quid clarius? stare secum ista nequeunt, nisi priore loco producta iuxta legitimam interpretationem ac lectionem restituantur.

Itaque cum accessionẽ dicit ad vltimam remissionẽ extendi, intellige exclusiuè, ita vt remissio, quam primam declinationis partem constituit, sub accessione non comprehendatur. Cum addit τὸ δὲ μετὰ μεταξύ ἐστὶ τῆς παρακμῆς legendum ἀκμῆς id est status, vt hic sit sensus; altera quæ in status & secundæ accessionis medio est posita; sic vtramque declinationis partem pars hæc altera complectetur.

Verisimile certè videtur librariorum ignorantia aut incuria propter verborum affinitatem errorem irrepsisse, neque id mirum apud me, mirũ ab eruditissimis viris non fuisse deprehensum. Quamobrem seclusa est Galeni decreto ab accessione remissio: neque obstant contraria argumẽta, supponũt enim quamdiu præsens est morbus accessionem vocari, quod negamus. Morbi præsentiam non excludit remissio, nõ eius excludit actionem, sed vehementem insultum & acerbitatem. Præsentem morbũ supponit, sed abscedentem, agentem & molestantẽ sed quàm anteà remissiùs.

Quæcunque in declinatione persistunt Symptomata, sunt quàm ante leuiora sed quemadmodum ex graui incendio repressa etiamnum flamma, magnus ad tempus relin-

quitur calor: vehementem quoque ſtatum, cum aut multus mordaxque ſubeſt humor, aut malignus, grauis & difficilis inclinatio conſequitur, tum ex naturæ lege, quæ tranſitum ab extremo ad extremum ſine medio fieri non patitur, tum ex humorum reliquijs feruore præcedenti acrioribus redditis. Si tamen vera remiſsio eſt, ſi nullus alter complicatus affectus, multum à priorum temporum violentia & ferocia deflectit. Idem de caloris motu dicendum eſt: nempe ex creſcentis caloris motu acceſsionis tempora diſtingui, non autem decreſcentis, ideoque ad acceſsionem non pertinet remiſsio.

Sed quid ad Galenum dicemus? qui tribus enumeratis acceſsionis temporibus inæqualitatem addit: & à remiſsione ex profeſſo ſeparat interuallum? ſenis paſsim temporibus circumſcribit periodum? præſtat illius verba adſcribere, quantumuis longa, quam ad ipſius libros remittere lectorem. Primum itaque tempus totius periodi exactè eſt (inquit) quo corpus cum mutationibus pulſus prædictis inalſerit, vel ex ſanitate vel ex interuallo ad hoc perueniens (de intermittentibus febribus hîc eſt ſermo) Aliud ab hoc ſecundum eſt quod pulſum & calorem in contraria mutat, donec tota corporis moles æquabiliter concaleſcat. Poſt hoc tertium quo calor etiamnum augeſcit, pulſibus magnitudine, celeritate & frequentia reſpondentibus. Quarta conſtitutio poſt tres com-

Libro de mor temp. Capite 3.

memoratas conſpicitur, omnibus iam dictis æqualem ſibi magnitudinē pro ſenſus noſtri iudicio conſeruantibus. Ad hæc quinta alia cùm calor iam manifeſtè decreſcit, halitus autem per cutem excernitur, pulſus ad naturalem habitum redit, reijciens omnia quæ præter naturam ex magnitudine, celeritate & frequentia & duritie conquiſierat: hoc tempore plurimis ipſorū ſudor oritur. Poſt hoc interualli tempus ſextum ad prædicta peruenit. Hæc Galenus quæ lubēter ad verbum attulimus in iuniorum gratiam, quoniam facilem tēporum internotionem continent, quanquā ad difficultatem præſentem iudicandam tanta ſeries verborum non videbatur neceſſaria. Præcedenti capite vti & ſupra allegato, quatuor ſolummodò tempora percenſuit idem Galenus.

Quomodò verò ſimul hæc vera eſſe poſſint, non eſt quod aliūdè quàm ab ipſo ediſcamus. Interuallum quidem audiuimus ſub remiſſione complecti. Sed inæqualitas cùm à principio maioris ſolum & minoris ratione differat, iure ad principiū refertur. Quid quod principio inæqualitatem manifeſtè tribuit Galenus? ſpectauimus (inquit) nonnullos dum actionem neſcio quam obirent paulatim inhorruiſſe primum, deinde iterum atque iterum inæqualitatem quandam validiorem, horroremque euidentiorem ſenſiſſe, ſi inæqualitati ſuccedebat horror, nondum erat principium exactum, erat ergô in prin-

cipio inæqualitas. Quod si principio hæc quoque conuenit, quid est quod ab ipso separetur? distinctioris tamen doctrinæ gratia solet nonnunquam à principio inæqualitas seiungi.

Quæ de inæqualitate diximus facilè fortasse concesserit quispiam sed ad remissionē, Imò vel ad morbum, interuallum pertinere statim reclamabit.

1. de decret. Hipp. & Plat. Capite 2.

Nam si quartanis aut tertianis laborant (inquit Galenus) cum horrent & febricitant tunc in morbo constituti sunt; cum verò mutata morbosa illa constitutione nihil huiuscemodi patiuntur, sed in intermissione quæ appellatur consistunt extra morbum positi cēsentur. Et sanè, si de essentia morbi est actionis læsio, alterū sine altero cōsistere non potest: cum igitur in interuallo illæsæ appareant actiones, adesse in interuallo morbum quis putarit? Si non adest morbus, extra morbi tempora erit interuallum, ideò sic appellatum quod sit spatium, induciarum instar inter accessiones interiectum, quietem proinde nuncupant, aut ἀπυρεξίαν. Id est infebricitationem, siue sanitatem inter febris inclinationem eiusdemque reditum interpositam.

Si morbi tempus non est, ergo nec remissionis. Ecce in quas nos dissentientes Galeni textus, aut res ipsa potius deducit angustias; quibus facilè sese expediet, quisquis intelliget. quod quanquam omninò à morbi con-

tagione plerique ad sensum interualli tempore videntur immunes, remanent in ipsis nihilominus seminaria, & quædam in affecta parte affectio, à quibus per circuitus denuò reuiuiscit febris; subest dispositio quædam ad nouam accessionem proxima. Ac veluti

4. Aphor. comm. 63.

2. de diff. feb. capite vltimo.

Quò semel est imbuta recens seruabit odorem.

Testa diu.

Sic in partibus læsis humorum putredo intemperiem quandam imprimit, à qua, qui ad ipsas influunt humores, immò & ipsum quoque alimentum, quoddam putredinis rudimentum concipiunt: Cùmque euinci exquisitè natiui caloris beneficio nequeant, sensim vberiores cumulati, magis magisque cõputrescunt, vnde nouus paroxysmus, qui tamdiù periodicè efferatur, quamdiù illa dispositio perseuerat, dum tandem cùm prima mali labe radicitus extirpentur. Meritò idcircò Iurisperiti tertiana aut quartana laborantes, & Epilepticos, ijs etiam diebus quibus ab ægritudine sunt immunes, à sanorum albo subtraxerunt.

Quod si nullam tempore interualli remanere in affecta parte imbecillitatis causam ex Galeno probes, qui temporis id spatium quod primæ accessionis finem, & secundæ principium interiacet ideò sine febre esse asserit, quod facultas membri recipientis superfluitates, sanguinem in se cõtentũ quemadmodum anteà elaboret. Respondeo adesse

Eodem 2. de diff feb. Capite vltimo.

saltem eam tùm in mandante, tum in recipiente parte discrasiam quæ primum morbi impetum concitauit, Nusquam enim integra consequetur sanitas (inquit ille) nisi & meatus aperti sint, & facultas vegetior, & corrigatur affectus partis vniuersũque corpus nec multis, nec vitiosis humoribus redundet. Quamdiù hæc substiterint, tamdiù exacerbationes fieri necesse. Quarum reuersionis causam perscrutari tempestiuum videtur, maximè cùm eò nos series orationis pertrahat.

Quæ sit recursus Periodorum causa in genere?

QVÆSTIO TERTIA.

Accessiones quasdam per circuitus repetere docet noster Aphorismus, quænam illæ sint intelligendæ aperuimus, causa cur ita fiat inquirenda. In genere quidem præsenti quæstione, quæ sit recurrus causa? in particulari postmodum sequenti altera, quæ sit stati recursus causa, puta quotidiani triduani, quartani?

2. de diff. febr. Cap. vltimo. Prioris solutionem à Galeno mutuabimur, inde sumpto exordio in quo cõcludit. Nempè quod, quæcunque per circuitus ægritudinum accessiones fiunt, ortum habent ex dispositionib⁹ membrorum quæ vel mittunt, vel

mittũt, vel ſuſcipiũt, vel generãt, vel attrahũt ſuperflua. Quæ circuitum non habent, in his nulla eſt pars corporis quæ præcipuè ſit offenſa, ſed qui in venis aut arterijs omnibus continẽtur humores: atque ſi præſertim qui in maximis, plurimoque calore abundantibus, aut ob aliam quamlibet cauſam (vt in Ephemeris) aut ob putrefactionem feruentes febrem vnam accendunt ſynochum vocatam, quæ à principio nullam habeat intermiſſionem. His verbis nouam humorum collectionem recurſus cauſam facit. Collectionis quatuor profert modos, miſſionem, ſuſceptionem, generationem, attractionem: in quorum explicatione ſita difficultatis ſolutio.

Quatuor hoſce modos facilioris doctrinæ gratia lubet ad duo capita reuocare, congeſtionem videlicèt & defluxum.

Congeſtio eſt humoris in ipſa afflicta parte geniti coaceruatio.

Defluxus eſt eiuſdẽ in vna parte generati in aliam delapſus.

Congeſtio fit vt plurimũ alteratrice aut expultrice, harum altera vel vtraque læſa vel impedita. Iſtud qua ratione accidat (vt iuniores intelligant) recolendum memoria eſt quatuor in viuentibus facultates nutritioni ſubſeruire. Attracticem, retentricem, alteratricem, & expultricem: Quarum munia ſingulæ ipſarum appellationes ſufficienter exprimunt. Si qua occaſione à munere

deficiant, necessum est, aut cessare penitus, aut imminui nutritionem, aut deprauari pro diuerso singularum læsionũ gradu, & modo.

Facultatem voco propriè non partium constitutionem quæ temperiei conformationique communis est (vt perperã aliqui non parum docti) sed solam cum Galeno temperiem. Læsa enim temperie labefactatam facultatis substantiam dicimus: vitiata conformatione, dumtaxat impeditam facultatem. Cõformatio sub facultate continetur, vt sub efficiente instrumentum: quo sensu si vtriusque complexum, largiùs loquendo, virtutem nomines, haud recuso. Non aliud sibi volunt ista Galeni verba, propria virtutis imbecillitas, intemperiem sequitur: non propria instrumentales morbos. Virtutem Medicam hîc intellige, sensibile id & materiale actionis principium à quo indicationes sumimus, nõ incorporeas illas & immateriales animæ proprietates, in ipsa anima inhærentes, de quibus aliàs instituta oratio.

1. de symp. causis cap. 1.

3. de symp. caus. 2.

Nunc ad rem immodicam excrementi copiam proferunt alteratricis læsio, & externus error. Facultatis læsio vel suæ ipsius substantiæ culpa accidit, aut morbi alicuius instrumentalis, Substantiæ vitiũ intemperiem diximus alteratiuarum qualitatum. Instrumentorum vitia, sunt tumores præter naturam, raritas, relaxatio, condensatioque partium atque alia id genus.

Externus error triplex constituitur; in excrementis, in cibis, in somni tempore. In cibis quidem, quantitatis, qualitatis, temporis, & ordinis ratione. Quantitas vel pe se immodica est vel ad virtutem membrorum comparata.

Si ergò aberrare alteratricem contigerit, sequitur illicò excrementorum prouentus; frigida quidem intemperies (vt Galeni exemplo vtar) acidas: calida nidorosas parit corruptelas. Id ipsum fit & in cibis, & in ipsis etiam excrementis. Acidas enim creāt pituitosa, & frigida: nidorulentas, biliosa & calida.

Verum audire mihi videor argutulū aliquem obijcientem malè excrementa, cùm interna sint, externis erroribus annumerari. Interna certè vocentur, per me licet, quatenus in corpore residēt, & ad internas causas referūtur: at externa sūt facultati, quoniam ipsius essentiam non attingunt: illorum siquidem interuentu cum suo fine frustratur virtus nec intentum assequitur, quisquis error est, facultati est externus. *loco anteà citato*

Ad congestionem porrò generari humores non sufficit, nisi pariter retineantur. Retinentur verò, quia non expelluntur. Non expelluntur, vel propter expultricis debilitatem puta intemperiem, vel propter conformationis vitiū qualis obstructio: vel propter error e mexternum, humoris nēpe quantitatem immodicam, à qua vis expulsiua

ſuperatur ac velut opprimitur: eiuſdem qualitatem lentorem, craſſitiem, viſciditatem, quibus velut immobilis firmatur; vel denique propter vicinarum partium robur, quæ aliena non admittunt.

Retentionis non meminit Galenus, vnico generationis verbo congeſtionem expreſſit. Retentionem pro re manifeſta ſupponit, clarum enim eſt non ſufficere ad congeſtionem generationem humoris, niſi is pariter retineatur

Defluxum tribus reliquis verbis complexus eſt: emittunt, ſuſcipiunt, attrahunt: ſufficienti vſus enumeratione partium, Nam ſi cumulari humor debet, is vel in eo ipſo membro in quo aceruatur, vel in alio quolibet procreetur neceſſe eſt: de priore hactenus: iam ſi alibi generetur vt iſthuc perueniat vel mitti debet, vel ſuſcipi, vel attrahi.

Mittitur ergò vel proprio loci mandantis conatu, vel ipſo humoris impetu: mittit pars robuſtam & validam nacta expultricem & humorem obſequentem, dum vel copia premitur, vel qualitate ſtimulatur. Sponte depluit humor à ſublimi parte in decliuem, tum maximè cùm vel præ copia contineri nequit vel ſua tenuitate meatus quoſcunque obuios permeat. Contrario motu feruntur vapores, & flatus: calore agitati ſponte à decliuibus partibus tolluntur in ſublimes,

Suſcipiuntur ſuperflua ab ignobilioribus, decliuibus, raris, laxis, & imbecillioribus

membris, quæ vel pondere velut oppressa, aut obstructa, aut omniũ imbecillima excutere sarcinam & deponere in vicinam non possunt.

Denique attrahuntur propter calorem, aut dolorem. Quomodò autem attrahant calor & dolor, non satis apertè nobis insinuauit Galenus eo quem explicamus loco. Calor (inquit) natura aptus est ad conciliandas recipiẽdas fluxiones, & proinde in corporib⁹ plenis, aut in quibus redundãt excremẽta, magna portio ad eas defluit partes quæ incaluerint vehementiùs, Non parum & ad partes dolentes humoris solet confluere. Dolor quippe fluxiones irritat, vel si rheumatica intemperie æger non afficiatur. Conciliare certè, irritare, recipere, fluxiones attrahere non vocamus. Quo ergò tandem pacto ista trahunt? hoc opus, hic scopulus in quem plerique haud vulgares impegère; in quo hæsère etiam nonnulli.

In arte Medica Capit. 90. I. de cõpos. secundum gen.

Calorem attractionis causam tripliciter esse vult Mercurialis.

Libro 5. de febribus Capite 9.

Primùm, quia vacuum generat dissipando & consumendo humores, quod cùm abhorreat natura, ad replendum vacuum aliundè, attrahuntur.

Secundò propter rarefactionem, quia rarefactæ partes cùm debiles euadant, veluti innitant partes proximas ad deponenda in se se excrementa, & excipiũt quamcunque materiã. Tertio quia ex intẽperie pars euadit

debilior, proindeque fit susceptrix excrementorum peregrinorum.

Harum rationum neutra mihi satisfacit: posteriores quidem duæ non attractionis, sed facilioris sunt susceptionis. Vbi notandum valdè καταχρηστικῶς dici ab ipso partes proximas imitari ad deponenda sua excrementa in debiliorem. Quasi vel pars debilior reddita in propriam perniciem vicinam excitet: vel vicina infirmitatem illam nosse possit, eaque cognita deponat in infirmam id etiam quo indiget, laudatum quippe sanguinem æquè ac superflua in calentem partem effundunt cœteræ, vnde Phlegmonia oboritur. Prima verò ratio falsum supponit vacui nimirum fuga partes ad attractionem incitari. Absurdum in primis est existimare post illam humorum dissolutionem, quæ à calore oritur, relinqui vacuum id quod tota natura non reperitur, hoc est locum expertem locati; Replentur quippè Aëre vel vapore exinanita loca vel subsident, & in se concidunt. Remanet tamen locus expers conuenientis locati, hoc est succi, siue alimenti, cuius defectu excitatur naturalis appetitus, ab appetitu postmodum attractrix; attractricis eousque perseuerat actio dum is appetitus expleatur: appetitui tandem satisfactum, cùm sufficiens alimonia suffecta est, si quid vlteriùs affluit, virtuti attractrici nō debet imputari. Addo naturalem attractionem sensim siue sensu fieri, non autem con-

fertim eoque impetu qui à calore commouetur. Et quæso quis propter intemperiem & rarefactionem debilitatæ attractrici validiorem concesserit actionem?

Relictis aliorum placitis & commentis (quia nostri instituti non est percensere hoc loco, atque confutare) sic ipse constituo; Neque attractionis causam proximam vel calorem, vel dolorem rectè censeri: neque calori, aut dolori, veram propriamque tribui attractionem, hoc est rei ab vna parte ad aliam tanquàm ad fortiorem raptum. Si tamen impropriè & latè attractionis nomen accipere velimus, de quocunque humoris motu cuius in recipiente prima inuenitur occasio, nihil obstat quin illud vtrique tribuamus.

Ita de dolore loquutus est Galenus; in doloribus incipit quidem causa ab eo quod affligitur, sed quicquid est Phlegmones superpositæ partes efficiunt. Rem posteà clariùs explicans, subiungit. Eijcere doloris causam dum properat expultrix vis, Phlegmonem interdum in particula concitat: cùm enim primis suis conatibus nihil proficit, vehementiùs aggressa, quod infestat expellere, sanguinis & spiritus aliquid ex superpositis partibus in afflictam simul exprimit. Hinc fit quod ex dolore particulæ confluentis in eam humoris portione, in tumorem attollatur. *13. Methodi 3.*

Verùm de calore secus ibidem æstimauit:

euidenter cernitur quod ad partē calfactam vel trahantur vicini ſucci, (vt nos cenſemus, inquit Galenus) vel confluant (vt Aſclepiades arbitratur) hæc ille; nos contra non attrahi paulò ante demonſtrauimus, ergô cōfluunt ex Galeni doctrina contra ipſum Galenum.

Attrahi certè ſimul & confluere quiſpiam non ineptè dixerit, hoc nēpè modo in parte quapiam adauctus calor rarefacit dilatatque poros, humores fundit & attenuat, tandemque in vapores & halitus reſoluit, fuſi, & attenuati, ſolutique per apertos poros effluunt, & in auras diſſipantur. Diſſolutioni reparandæ alij de nouo trahuntur, & ſuccedunt ex vicinis partibus, ad has perſequelæ modum viciſſim alij ex alijs partibus, denique eouſque progreditur hic motus, dum excalfacta particula pondere obruatur, & extuberet, ac illabentis humoris appulſu vehementiùs accenſa, inflammetur. Motum hunc adiuuat humorum, quæ à calore fit, attenuatio, & liquatio, non in parte ſolùm recipiente, ſed in proximis quoque ad quas caloris ſenſus & actio pertingit. Pororum verò dilatatio non tantùm diſſolutionem promouet, ſed & humorum appellentium ſuſceptionem, hi enim ſubtiliores effecti diductis vijs quaquauerſum omnem ſubſtantiam peruadunt. Diſſolutæ ſubſtantiæ reſtituendæ gratia eius quod familiare eſt attractionem ab excalfacta parte fieri diximus,

Et hæc naturalis est actio, cuius vim calida intemperies minimè auget, remoratur potius & retundit; at excitat tamē ex accidenti, dum euacuat; vacuatæ quippè materiæ restituendæ ac instaurandæ vis attrahens incumbit. Huius porrò actio vix procedit vlterius quā adigat necessitas, quicquid superfluit in alteram præfatam causam reijcimus.

Non alia ratione calida medicamenta attrahunt: Quamobrē id eò exequuntur vehementiùs quo tenuiorum sunt partiū, quòd altiùs subeant & toti materiæ meliùs applicentur: vnde minori negotio postmodum illa liquatur, attenuatur, effluit & affluit.

Gal. 5. de symp med. facul. 16.

Hunc nobis fluxionis modum insinuant illa Galeni verba anteà producta, cum inquit calorem natura aptum ad conciliandas fluxiones in corporibus plenis. Nam ratione intemperiei debilitatæ calefactæ partes aptiores sunt humori admittendo: ab eodem calore quod redundat agitatum, facilè mouetur, tandiuque perseuerat hic motus dum vel magna ex parte imminuta sit plenitudo, vel corporis excrementa, vel arte refractus calor.

Obmitto debiliorem ab intemperie calida partis affectæ coctricem reddi, vnde excrementorum congestio.

Obiecerit Sciolus aliquis, vix ac ne vix quidem calidi medicamenti, vim vltra proximas partes deferri, itaque nec vlterius fusionem, & attenuationem peruenire, malè

igitur humoris à remotioribus ad effectam particulam influxum ad illa referri. Nobis satis superque est si proximæ tantum partes caloris hos sortiantur effectus, eaque proportione à cœteris partibus humores attrahant, & per sequelæ modum recipiant, qua in affectam deponunt.

Hactenus generalis recursus circuituum causas audiuimus, congestionem & defluxum: didicimus etiam quo vtrumque fiat modo. Descendamus nunc ad particularia, & inuestigemus.

Quæ sit definiti Periodorum recursus causa?

QVÆSTIO QVARTA.

QVanquam ad præsentis Aphorismi intelligentiam, parum è re videtur hæc disquisitio, ne tamen in re vsque adeò controuersa & difficili nostram requirat operam studiosus lector, in eius gratiam lubet quid sentiamus proponere. Mutuam hanc gratiam exposcentes, ne tantæ difficultatis agitationem, temeritati potiùs, quàm discendi docendique studio referat acceptam. In hoc autem versamur maximè, cur febres aliquæ singulis diebus recurrant: Quædam tertio die: Aliæ quarto: quinto, sexto, septimo & si quæ vlteriùs. In febribus (inquam) versamur maximè, quoniam manifestiores & fre-

quentiores illarum sunt quàm cæterorum affectuum reditus periodici.

Huius plexus solutio à præcedenti videtur haurienda: ratio quippe communis particularibus cōditionibus & differentijs limitata particulares effectus definit, & determinat. Quamobrem si verum est circuitus omnes ab humorum collectione dependere, consequitur illicò talis circuitus recursum, puta eius qui singulis fit diebus, ab eo humore qui æquali temporis spatio produci potest, exoriri. Cùm ergò plurima in dies generetur pituita, quid mirum quotidianas illius esse periodos? Tertianas verò flauæ bilis, cuius parcior quàm illius prouentus? Quartanas melancholiæ, cuius non nisi longiori tempore, & parcior collectio. Parum firma hæc quorundam argumentatio quanquam firmo satis innixa fundamēto. Valeret fortasse si vel in sano corpore hi affectus subsisterent quod repugnat, vel æquali mensura & modo in sanis & ægris cumularētur humores. Aduersa quidem sanitate prædicta proportio nequit obseruari: plurimū is redūdat humor, qui corporis Discrasiæ qualitate respondet. Sic ab intemperie calida bilem fumosaque excrementa. A frigida pituitā & acida multiplicari, paulò ante ex Galeno accepimus. Imò ne in sanis quidem perpetuus hic est ordo, in iuuene quippe temperamento calido & sicco, habitu gracili, gymnasticis addicto, vinis generosis assueto, æstate media

bilem maiori quàm pituitā copia procreari, illæsis etiamnum corporis functionibus negarit nemo. Verum concesso vtrobique hoc ordine nondum quæsito satisfactum: remanet adhuc de quintanis, sextanis alijsque id genus circuitibus difficultas; non enim assignari humores possunt diuersi quibus tribuantur. Si ad humoris copiam referas, euersam protinus videbis iam constitutam proportionem. Neque sufficienti argumēto conuinci potest, huius potiùs quàm illius adauctam vel imminutam copiam hos vel illos circuitus inducere. Si à melancholia sola cum Massa & alijs fieri quintanos, sextanosque afferas, quæram quidni pituitæ vel bilis parciori quantitati efficere idem liceat? quidni, vt à melancholia quartana, sextanaque, sic à pituita tertiana? A bile flaua quartana? Nonne vt melancholici humores tàm naturales quā nō naturales in sua substātia & qualitatibus varij sunt, ex materiæ & caloris agētis diuersitate, ita vt substātiā lapidis fermè referāt, & vltimā siccitatē (Massæ verbis vtor) ex qua diuersitate in putredine humoris melancholici diuersæ fiunt aliquando accessiones quæ prorogantur, quoniam non potest ad quartum natura materiam crassam resistentem præparare, & colligere, & deinde pellere: nonne (inquam) ex ijsdem causis poterunt cæterorum humorum circuitus variari? nonne & pituita crassescit? Nunquid in gypsum concrescit? nunquid & bilis variæ

Epist. 9.

ſpecies ſubſtantia, calore ac reliquis qualitatibus non parum diſcrepantes? Nonne bilioſi perſæpè viſuntur tophi? Mihi certè vnum (quemadmodum & Fernelio) intueri licuit totam veſiculam felleam occupantem.

Si ergô à tenuiore bile fit tertiana, quidni à craſſiore prorogata, periodus in quartanam faceſſat? Hanc quam nos conuellimus opinionem tuebitur fortaſſè quiſpiam his Galeni verbis, fingamus primum validam eſſe particulæ facultatem, interim verò eaſdem in partibus quæ priùs tranſmiſerant rurſus aceruatas ſuperfluitates, quãtitate & qualitate pares ijs quas pri' immiſerãt dubiũ, nõ eſt quin eodem quoque circuitu ad eas expellendas verſus imbecilliores partes moueantur quæ immittunt. Vis namque excretoria tum primum ad proprium opus excitatur, cum vel copia premitur, vel qualitate ſtimulatur. *2. de diff. feb. vltimo*

His verbis Galenus circuitus in genere cauſas exprimit, certi circuitus rationem nullam adſtruit. Sed age, demus Galeni dictum particulari quoque conuenire, torqueri mox poterit in aduerſarios iſtud argumentum. Si diuerſitatem circuitùs horum alteri quantitati nimirũ vel qualitati tribuis, nunquid in bile quantitatis defectũ ſupplebit acrimonia: & quẽ pituitæ copia circuitum profert, proferet & bilis qualitas? at non priùs quãm ad tertium diem generatur aggregaturque tanta bilis quantitas, vt naturã ad expellendum poſſit incitare, ſi putru-

erit (inquit Massa) laborat enim à prima vsque ad secundam diem calor, vt ex chylo pituita & sanguis fiat: ad tertium in bilem conuertit & colligit, quæ cùm aucta & à putredine arrepta fuerit, vel ab alia qualitate nocua, pellitur; & ex tali motu fit accessio.

Merum commentum risu potiùs quàm ratione confutandum: si ad sensum prouocem⁹ videbim⁹ τοὺς κάτω πικροχόλους copiosa bile saturatas fæces quotidie egerere. Si ad auctoritatem & rationem, cùm à natura demandatum bili sit id munus (auctore Arabum principe) vt intestinorũ mucum & viscidum phlegma abluat, eademque ad excretionem proritet, cùm naturaliter in plurimis has partes in dies exequatur bilis, naturaliter in ijsdem quotidie cumulatur. At pluribus non moror, venio ad aliorum placita.

Libro 1. fe. doct. 4. Capite 1.

Non pauci reciprocas istas periodos occultæ cuidam proprietati acceptas ferunt, non vno tamen, qui ita autumant suam sententiam interpretantur modo. Quidam nil præter formam humoris specificam agnoscunt qualis in succino, & magnete tractionis est causa. Alij formæ quantitatem humoris auxiliarem adsciscũt. Tertij nõ ad humoris genus referunt, sed ad contractæ putredinis qualitatisue naturam & conditionem.

Has omnes opiniones in particulari multi multis spiculis oppetunt, quæ sine tædio inseri hìc fortassè nequeunt; ea proferam

quæ ad rei explicationem magis videntur accommoda.

Istud in primis æquè in omnes contorquetur; vel assignata proprietas, vnica est, vel plures. Vnica certè diceda est, nisi vnius humoris plures recipiamus formas. Si ergò vna est, vt sua cuiusque humoris species, ita sua cuiusque putredo, vel qualitas, suus cuiusque motus. Tres ergò solū circuitus quotidianus, tertianus, quartanus, totidem humoribus pituitæ, bili, melancholiæ, respondent. Quintanus verò sextanus & reliqui ab Hippocrate enumerati, & à grauissimis viris animaduersi, ad quos humores pertinebunt? si ad horum aliquem, eius certè vt motus sic & multiplicandæ formæ vt etiam occultæ illæ proprietates. Sin plures in vno aliquo concesseris cur in hoc potiùs: quàm in cæteris? si in omnibus, cur non ab omnibus varij circuitus oriuntur?

Fern. lib. de feb. capite 11.

Nunc in singulas particulatim agamus breuibus, in primam quidem & secundum sic argumētamur. Si à forma humoris specifica prouenit status humoris motus debet is in sanis potiùs quā in ægris corporibus, in integris quā putridis humoribus obseruari: quæcunque enim agunt per formam, quamdiù integra ipsa est, & secundum naturam, suas perfectiùs obeunt actiones, vitiata forma perit, aut vitiatur actio; qui fit igitur quod in ægrotis tantum, quod in putrescentibus humoribus aut solis, aut maximè, &

euidentiſſimè ſtatos hoſce motus animaduertimus? dicēt fortaſſis Auerrhois ſectatores tantam in ſanis non ſubeſſe copiā, quæ proritet expultricem.

Subeſt equidem plerumque ſufficiens verùm cū nullā ex putredine aut aliūde obtineat acrimoniam, quieta manet & immota: non ita manſura niſi aliundè quàm à forma ſpecifica ad motionem excitaretur, adiuncta etiam quantitate excedente.

Fernelium modò tertiæ ſententiæ auctorem proprijs ipſius armis adoriamur: is ſtatos motus ad naturam putredinis refert, fatetur nihilominus humores etiam non putridos per circuitus affligere. Hæc ipſius ſunt verba. Sæpè fieri obſeruamus tertianam diuturnam atque quartanam in atrocem cruciatum colico immaniorē deſinere; qui nonnunquam & in artuum dolores, & in paralyſim faceſſit. Hic dolor ſine febre eſt; ferè tamen conſuetó acceſſionis tempore exacuitur & excandeſcit, priſtinumque circuitū retinet. En circuitum ſine febre, ex conſequenti ſine putredine, putredinis quippè ſoboles febris. non igitur à putredine circuicuituū recurſus. Si materiē hanc putridam ſtatuas; quæram, quidni in inteſtinis cōcluſa (quo loco febrium intermittentium latet fomes apud Fernelium) non etiam febres, vnà cum torminibus accendit? hanc Fernelij opinionem alijs machinis aggreſſus eſt Merculiaris, ſed parū (meo iudicio) validis.

Libro de feb. cap 10

Quærit

Quærit in primis vtrum occulta illa qualitas quæ à Fernelio ponitur, ſequatur humorem putreſcentem aut locum in quo putreſcit aut ipſam putrefactionem, aut hæc omnia ſimul? cũ apertiſſimè huic dubitationi omnem anſam præripiat Fernelius hac oratione.

Vis quædam (inquit) ſeu qualitas in humore genita afficit, vt pituita putreſcẽs quotidie, bilis flaua tertio, atra quarto die impetum faciat: non igitur locum ſequitur non putrefactionem, ſed humorem putreſcentem, & hæc qualitas ipſa putredo eſt in tali materia concepta.

At putredo (inquit Mercurialis) paſſio eſt præter naturam, quàm efficere certum ordinem eſt ab omni ratione alienum: nam quicquid contra naturam eſt ordinatum eſſe non poteſt. Præterea ſi hæc qualitas operaretur eſſet forma, cùm omnis actio ſit à forma, ſed putredo eſt præter naturam, nec habet formam. Denique à putredine fieri nequit interuallum quod eſt pars periodi, ergò putredo periodum non facit, Hactenùs Mercurialis.

Sua ſponte ruunt huiuſmodi argumentationes, neque longa opus habent confutatione. Ad primam & ſecundam reſpondemus, Putrefactionem dicere paſſionem quandam corporis putreſcentis, & actionem caloris extranei à quo aliena qualitas inducitur, quæ ſuum ſubiectum diſponit ad hoc

vel illo modo operandum. Actio ergò qualitati tribuitur provt ipsa. Dispositio quædã est quæ formam dirigit & determinat: passum attingit immediatè hæc qualitas, forma non nisi mediante qualitate. Nec quicquam inconuenit posito præternaturali effectu ordinato, ponere præternaturalē causam ordinatam. Intercisos interpolatosque pulsus rithmum sæpè & ordinē seruare deprehendimus, quos præstaret esse inordinatos vt potè cùm firmam stabilemque arguant causam. Si ordinata dumtaxat statueremus ea quæ secundùm naturam sensus iudicium funditus euerteremus. Inordinata sanè vocari possunt, quæ præter naturam, hoc ipso quod præter naturã, hoc est quod præter naturæ benè constitutæ ordinem, præter commodum, præter institutum.

Ad tertium dico accessionis causam esse putredinē positiuè, interualli, negatiuè. Hoc est ad humoris putridi præsentiam exacerbari morbum, intermittere ad absentiam, quæ tamen dispositiones retinet & fomitem ad nouum insultum, meritò quorum inter circuitus partes numeratur interuallum, aliàs non iam intermissio sed morbi finis diceretur.

Verùm propriam ipsius Mercurialis circa quæsitum responsionē audiamus. Is postquam docuisset rationem ordinis in humorum congestione esse positam: in ipsa congestione quatuor necessariò spectari, materiæ,

qualitates primas & secundas, eiusdē quantitatem, caloris in illam actiones, & fomitem relictū in morbis, qui tum in reliquis materiæ putrefactæ consistit, tum in affectu ea in parte relicto vbi facta est putredo; tandem concludit pituitam, quoniam viscida est crassa, frigida, copiosa, & debilis in eam caloris actio, multum fomitem relinquere, qui deinde iterum & citò & facilè accenditur, vnde quotidianæ accessiones. Bilem cùm calida sit & tenuis, & calor vehementer in ipsam agat, multum qualibet accessione consumi, paucum ideo remanere fomitem, difficiliùsque & tardiùs accendi, ac tertio tantùm die repetere. Melancholiā cùm pauca sit frigida, sicca, crassa, & in ipsam validissimè agat calor tanquam in maximum hostem, maximè consumi, paucum superesse fomitem à quo tam citò accessio renouetur; & provt pauciorem aut paucissimum linquit fomitem, accessionum reuersionem in quintam, sextā, ac vlteriùs protelari, Cùm autem videret Mercurialis rationem, certi, statique ordinis (tertiani puta, quotidiani quartani) nondum præfato discursu sufficienter expressam, gradus nescio quos quantitatis seu potiùs fomitis (quos ipse vocat incognitos) huiusmodi ordinis auctores facit.. Sicque ignotum per ignotius explicat. Neque tamen ea effugit tela quæ in eandem sententiam non positis hisce gradibus poterant iactari. Ponamus (verbi gratia) sub tertio

fomitis gradu, bilem tertio die recrudesce-re, vltrà citràque hunc gradum, vel non repetet febris, vel si repetet, non eo quo prius Rithmo. Quot igitur fomitis erunt diuersi gradus tot erunt & circuituum à gradibus dependentiũ: vel igitur in vnoquoque humore suus præcisus est fomitis gradus, vel si plures, ab vnico humore plures concitantur periodi, quod non magis in melancholico, quàm cœteris admittendum, Vno verbo hæc sententia easdem ferè cum prima patitur instantias: ac præterea vnicam videtur cõstituere reditus causam congestionem cùm tamen citato ab ipso Mercuriali loco Galenus addat & influxum his verbis. Si nullam pars inflammata contraxerit imbecillitatem, neque iterum superfluitates accedant, ægritudo finietur, nec rursus homo febricitabit. At si illæ mittantur denuò, aut ne mittantur quidem, sed adsit sola potentiæ imbecillitas hominem secundo febrire est necesse. Denique multæ hìc veluti fundamenti loco adstruuntur pro veris & indubitãtibus quæ reuocari meritò in dubium possunt, & longa indigent discussione. Cur videlicet ita facilè & citò accendatur pituita? cur citiùs & faciliùs quàm bilis? cùm crassa, viscida, frigida & copiosa illa sit, hæc calida, pauca & tenuis: cùm debilis in eam caloris actio in hanc vehemens, cur hæc ipsa tertio potius reaccendatur die, quàm quarto? cur melancholia quarto non autẽ poste-

2. de diff. feb. C. vlt.

rius? & si hæc quandoque posteriùs accenditur, quidni & bilis quidni & pituita, quarum diuersæ sunt & qualitatibus & substantia species differentes? cur si à tenui bile (exempli causa) tertio die repetit paroxysmus, à crassiore ad quartum non prorogabitur? quorsum quartanæ febres vt omnium longissimæ ita & tutissimæ? si verum est à melancholico humore naturæ infestissimo, ipsas produci.

In hos aliosque id genus scopulos impinget, quisquis in tam procelloso difficultatum pelago doctissimi alias Mercurialis debilem ingreditur cimbam, At quo tandem genio qua arte illos effugiemus? verè gordianus hîc nodus vt cunque te explices, arctius implicat, noui deuinciunt plexus, mentem nihilominus propriam aperio, aliorum esto iudicium.

Illud in primis constitutum volo quod initio quæstionis propositum, causam vniuersalem particularibus omnibus affectibus esse communem, & ad quemlibet in particulari proprijs limitationibus restringi. Si ergô vniuersalis periodorum causa est humorum coaceruatio, erit certè quotidianarum, tertianarum, & reliquarum: hæ vt inter se discrepant, suaque tẽpora distincta obtinent & definita, sic vniuersalem illam causam distinctis statisque conditionibus circumscriptam accommodare singulis necesse est. Vlteriùs si reciprocationis causam esse velis

humoris qualitatem & quantitatem vſque adeò effrenem vel adauctam, vt coerceri ampliùs, aut contineri nequeat: Tertianæ periodi cauſa erit humor, quiſquis tertio quoque die talem acquiret qualitatem, vel ad eam increſcet molem.

Quæ porrò cauſa tertiani huius prouentus? quæ quotidiani? quæ quartani? an dicendum eſt cum præcitato Maſſa, primum gigni pituitam? ex hac deinde ſi perfectius coquatur ſanguinem fieri; ex ſanguine poſtmodum caloris vi & exuperantia, bilẽ: demum ex huius ardore melancholiam? iamdiù à Medicorum ſcholis perpetuo exilio damnata eſt hæc opinio: ſimul & ſemel omnes in iecore generantur humores, vnus iecoris calor toti chylo ſeſe æqualiter applicat, in eius ſingulas partes pari conatu & robore incumbit. ex quarum diuerſa conſtitutione, aduerſi humores eodem tempore proueniunt; ex efficientis caloris vi, & gradu nec non ex alimenti materia varietatis plurimum in humoribus obtingit.

An potiùs recipiemus quod ab eodem Maſſa eſt proditũ, hanc in humorũ quãtitate obſeruari proportionẽ vt pituita plurima cumuletur? parcior bilis, pauciſſima melancholia? atq; ex proportione pẽdere circuitum ordinem & differentiam?

Fernel lib. 9 Phyſic. c. 4. Iſtud iam initio quantum ſatis à nobis eſt confutatum: addo tamen bilis minus quàm melancholiæ in dies cumulari (huius enim

quam illius amplius; est conceptaculum, & in euacuato sanguine plus subsidet lutulẽti quam innatet biliosi) concludet itaque hoc argumentum tertianam ad melancholiam, quartanam ad bilem esse referendam.

An recurrendũ ad gradus incognitos? minimè gentium: satis superque fuerit ostendisse, quomodò tum qualitatis, tum quantitatis ratione varientur periodi, licet ignoremus sub quo præcisè gradu eiusmodi motum humor efficiat; maximè cùm sub diuersa] quantitate, diuersè operetur idẽ qualitatis gradus: an denique vt visum Astrologis, querẽda in supernis lationibus horum motuum causa? eadem illicò se se offeret de quintanis sextanisque dubitatio, quam hactenus aperuimus, & longè grauiora quàm ex præcedentibus emergent incommoda quæ longa oratione non pauci demonstrarunt.

Quid dicendum? ignoscant hîc mihi maiorum nostrorum manes si ab eorum communi placito recedo: quod in sola melancholia admittunt cœteri, in reliquis etiam humoribus agnosco, ab vno videlicèt humore plures typos exoriri à pituita quidem tertianos, & quartanos, quintanosque à cæteris etiam hos & quotidianos.

Quæ enim est ratio cur à melancholia plures oriantur typi (quod nulli non fateri coguntur) à reliquis tantum vnus? nonne vt ab humoris quantitate, crassitie, acrimonia, tenuitate fiunt accessionum anticipationes, &

poſtpoſitiones, ab ijſdem cauſis auctis vel imminutis illæ poterunt vno die accelerari aut retardari? Quid quod tertianas illas aut quartanas, quas duplices aut triplices vocāt, iure poſſis quotidianas vocare, cùm quotidie redeant? At diuerſis inquiunt locis generantur tunc humores, aut diuerſis putreſcunt, vndè complicatæ febres, hoc indicio ſufficienter diſtinctæ, quod tertia acceſſio in duplicibus tertianis primæ in hora reditus in ſymptomatis in duratione & vehemētia ferè reſpondeat, quinta tertiæ: quarta item ſecundæ; & quartæ ſexta, non autem primæ tertiæ, quintæ, vt neque hæ, illis.

Ita depræhenditur in aliquibus (fateor) at non in omnibus. Et quid quæſo vetat quò minùs in affecto loco tantus craſſioris bilis relinquatur fomes, vt accedēte praua victus ratione, ſecundo die ex noua & ſufficienti cōgeſtione, nouus ingruat paroxyſmus? quid vetat quò minùs ab errore aliquo, aut alia qualibet cauſa in parte amādante, copioſiùs & promptiùs cumulatus humor ad putredinis locum extrudatur? Nunquid præter ordinariam proportionem in intemperato corpore maior bilis, vel melancholiæ quàm pituitæ fiet in dies accretio? à quotidiana accretione quotidiana acceſſio? Quidni etiam parcior pituitæ portio febris reditum in tertium aut quartum remoretur? Quorſùm quos melancholiæ craſſitiei & paucitati deferunt quintanos & ſextanos typos, pituitæ

denegant? aut si tam paucā & crassam, quàm ad hos requiritur esse negant posse pituitam, cur non ipsi saltem tertianos tribuunt, & quartanos? si tanta perpetuò pituitæ redundantia, quidni perpetuò cum bile complicata quotidianam potiùs notham quam tertianam parit? præcedentium sanè opinionum nulla hac nostra meliùs & faciliùs sese difficultatum omnium plexibus extricat & exoluit.

Si in contrarium vrgeas producta tot sæculorum, tot expertissimorum virorum experientia, qui singulis humoribus singulos typos applicarunt; non inero inficias ita quandoque succedere. Verum vt sæpè non fallit hæc regula, ita nec semper respondet. Quot enim quartanas vidimus larga pituitæ vomitione prorsus solutas? Alias etiam vomitione bilis cum pituita, quasi momento extinctas? Quas certè (si Hippocratis de sanatione argumēto credimus) dubium non est ab ijs ipsis excretis exortas fuisse atque conseruatas: in pueris quidem & mulierib⁹ ac pituitosis corporibus, in quibus nulla melācholici humoris suspicio, nasci à pituita crassā quartanas non pauci ante nos æstimarunt. Inter cæteros contertaneus noster N. Piso, cuius viget apud nos minimè tacendum nomen, viget altissimis defixa mentibus principiū memoria, viget (inquam) vnà ac cum singulari virtute ac eruditione in laudatissima, mihique amicissima prole nunquam in- *Libro de feb. Cap. I.*

termoritura reuiuiscit. Huius opinionis nobis auctor est Auicennas (quem miror hac in parte à multis aut non lectum, aut neglectum, quos Arabicæ doctrinæ video sectatores) is vt plurimum à pituita quotidianos circuitus fatetur accidere. Neque cum vnicuique particulatim humori propriam periodum accommodat, aliter intelligendus venit, quàm vt in plurimum, sic enim ipse se explicat. Verum pituitæ circuitus quandoquè propter materiæ crassitiem aut paucitatem in tertianos, quartanosque verti profitetur. Neque ideo desinere febrem esse Phlegmaticam; Phlegmatica enim verè est in qua phlegma computrescit, licet singulis diebus non recurrat. Quintanam quoque eidem materiæ crassitiei & paucitati tribuit, eandemque ipsi curationem explicat, quam phlegmaticæ quartanæ.

Lib. 4. f. 1. tract. 2. c. 1. & lib. 4. f. 1. tract. 4. capite 13

Lib. 4. feb. 1. tract. 2. capite 49.

Concludimus itaque statas periodorum reciprocationes ab humorum generatione & coaceruatione pendere, spectata illorum tum quantitate, tum qualitatibus primis & secundis, tum caloris in eosdem actione, tum fomite in affecta parte reseruato, quæ omnia humorum prouentum influxumque renouantur, aut accelerant. Hæc cùm in vno eodemque humore variè se habeant, nil inconuenit variorum quoque typorum auctorem vnum eundemque humorem statuere. Præter ea quæ in huius conclusionis confirmationem abundè dicta sunt hactenus, subest

Lib. 4. feb. tract. 2. c. 67. & 68.

ſuſpicio non leuis falſi ſuppoſiti in opinionibus contrarijs, quod nihil à quoquam ita firmum & ſtabile adſtruatur, quod à cæteris non illicò deſtruatur.

Obijciet aliquis hac noſtra ſententia non modò euerti funditùs omnem antiquorum de febribus doctrinam, ſed quod amplius in continua nos dubitatione hæſuros, à quo humore febris generetur: neque vnquam à febris ſpecie certam agendorum indicationem peti, cùm tamen citra controuerſiam videatur paſſim apud Galenum in tertiana exquiſita bilem perpetuò expurgandam, vt in cœteris febribus cœteros humores.

Reſpondemus illud à nobis in parte pro vero & confeſſo recipi, quod illi in vniuerſum ita eſſe autumant: negamus tamen ex typo febrili apud illos morbifici humoris ſpeciē ſtatim dignoſci. Quotidianus quippè eſt typus in tertiana duplici & triplici quartana. Signa diſtinctiua humorū peccantium ab ijs ipſis vænari coguntur, à quibus petēda ſecundo Aphoriſmo docuimus. Addo ex illorum ſuppoſitione fallaces indicationes erui, ſi enim in puerorum aut mulierū quartanis, quas pituitæ eductione compeſci certum eſt, ſolam aggrediare melancholiā quid tum promouebis? Non igitur ab ipſa febris ſpecie humoris peccantis indicatio haurienda, ſed à proprijs & familiaribus cuiuſque notis. Si cui fortè durum nimis aut abſonum videbitur à communi loquendi vſu & con-

ſuetudine deficere, licebit per me quotidianam à pituita, veram, & exquiſitã appellare, à cœteris humoribus ſpuriam. Tertianã item exquiſitam à bile: quartanam exquiſitam à melancholia: eaſdem à cœteris humoribus ſpurias.

Ac re poſtmodum curioſè & attentè conſiderata, non longè fortaſſè ab alijs recedere, proximèque ad veritatem accedere deprehẽdemur. His ita declaratis, nunc tandem noſtri Aphoriſmi concluſionem expendamus.

Vtrum in acceßionibus abſtinendum?

QVÆSTIO QVINTA.

IN acceſſionibus abſtinendum ita euidens paſſim in Hippocratis libellis, vt dubitationi locus nullus relinquatur, ita firmiter ſancitum, vt ne tum quidem cùm futura eſt acceſsio cibum is conceſſerit. Hippocraticã hanc legẽ non modò nõ improbabit fideliſsimus interpres, ſed nec longo commentario illuſtrandam hoc loco, aut confirmandam putauit, quaſi per ſe manifeſtam. Hanc ipſam ſuo omnes calculo ſtabiliunt cum veteres, tum Neoterici quos operoſum & inutile fuerit particulatim allegaſſe. Rationem inueſtigemus potiùs quæ anima eſt legis.

Arabum Princeps Auicennas ventrem in

occursu paroxysmi cibis omninò vacuum requirit, ne in eorum coctione natura occupetur, distrahatur à causæ morbificæ coctione, & expulsione: inualescat interim & protrahatur ægritudo. Hæ sunt illæ rationes nobis pluries in præcedentibus decantatæ, quæ toti accessioni generatim competunt. Iam si tempora eius in particulari perlustremus, repugnare ciborum oblationi singula nullo negotio conuincemus. In principio quidem (quod Græci ἐπισημασίαν dicunt) coguntur in profundum corporis humores, atquevniuersus calor: si tum nutrias, eadem quæ à somno eo ipso tempore euenire scripsit Galenus, euenient & longè grauiora. Diuturniora euadent symptomata, ægrèque ad consistentiam febres peruenient: ac si qua inflammatio sit circa viscera, ipsam adauctam iri verisimile est, si qui humores ad ventrem confluant, incocti permanebunt, crudorumque ciborum permixtione fient auctiores, suberit etiam periculum non leue ne contractus atque oppressus calor penitus suffocetur: idem ferè metus cum paulò antè inuasionem cibus ingeritur, sed eo maior quo propius ad insultum, & quo plures eiusdem in ipso insultu supersunt in ventriculo reliquiæ.

Libro 4. feb. 1. tract. 2. Capite 8.

2. Aphor. comm. 1.

Augmenti tempore cibus calorem in ambitum mox effusum intrò reuocat, nouam iterum inuasionem parit, nouo quasi labore sysiphi lapidem reuoluit. Denique in statu,

cum incenſis igneo calore externis internisque partibus ciborum odorē, imo & cōſpectum, at longè magis ſaporem ſenſus effugiant, quis facultatis naturalis ſufficientem vim putet, non dicam coquendis, ſed ne admittendis quidem alimentis? norunt omnes vel arte, vel experientia, vel aliorum relatu, quanta ex ingeſtis cibis præfatis temporibus emerſerint incommoda, vt meritò perpe-
Lib. 3. c. 5. tuum id Celſus eſſe putarit, ad quod omne conſilium dirigi poteſt, cibum quam maximè ſemper ab acceſſione futura reducere, & hoc ſaluo, dare quod integerrimo corpori.

1. ad Glauc. 14. Contrarium nihilominùs decernit Galenus: ijs qui ex ſiccitate in principio acceſſionum ſyncopen ſunt incurſuri duabus aut tribus ante inuaſionem horis iubet exhiberi cibum. Dices exhiberi quidem at concoqui facilem & ventriculo idoneum. At quantumlibet coctu facilis ſupponatur, duabus aut tribus horis ſic perfici non poteſt atque
10. Meth. 3. digeri, vt vacuo ventre febris irrepat. Adde quod non modò ante acceſſionem, ſed in prima ipſa acceſſionis inuaſione caſu propoſito cibum offerendum docet, imò ipſe offert; iuuenem quippè illum antehac à nobis commemoratum, diatritariorum inedia iam penè exanimem, ptiſana, & vino albo calida mediocriter diluto in principio acceſſionis ab orci faucibus reuocauit.

Ibid. c. 4. Neque ſolùm vt ſyncopes, verum etiam vt horroris febriſque remediū in acceſſionis

principio cibum præbet. Atque vt semel dicam (inquit) quibus incipientis adhuc accessionis aderant symptomata, ijs omnibus panem ex vino diluto ac calente maturè exhibent, & horrorem statim inhibui, & febrem prohibui. Nam cum accenditur febris propter mordentem acrimoniã excalfacti, attenuatique à sole & inedia, & laboribus succi, maximum remedium eius est humidum nutrimentum. Ampliùs cibum in accessionibus non tantùm vt febris præsentis aut instantis præsidium, sed vt hectices quoque προφυλακτικὸν imperat. Age verò, si in plures dies prorogetur accessio nulla intermissione, remissione nulla, vt in synochis, nũquid ægroto plurimum dierũ inediam iniungemus? id fortassè febris breuitas feret. *Ibidem capite 5.* *Ibidem capite 6.*

At si (quod in Chronicis accidit) primam accessionem antequam inclinet, secunda excipiat, & hanc tertia, ac ita deinceps nunquamnè nutriemus? nunquam certè nisi in accessione: non igitur vniuersale Hippocratis documentum.

Equidem vniuersale est, suas tamen patitur exceptiones, quas facilitatis gratia lubet ad certa capita reuocare.

Primum est quod incultatũ sæpiùs quod sæpiùs, cùm de victu agitur inculcandum. In omni ægro duo spectanda, morbũ & vires.

Sub morbo comprehendimus morbificam causam, & symptomata.

Sub viribus quæcũque ipsas quoquo mo-

do tueri, aut labefactare apta sunt.

Alterum caput est virtutem sui conseruationem; morbum, & quæcũque ad ipsum referuntur, sui ablationem indicare. Harum indicationum (vt contrariæ sunt) altera ab altera plerumque impeditur, nonnunquam etiam permittitur.

Tertium est, ambas indicationes, cum satisfacere vtrique simul non licet, æqua lance pensitandas, ei quæ præponderat, deferendum. Exempli causa in vigore, ac generatim in accessione abstinendum suadet morbus, vetant vires: estimandum Medico est, vtrũ à cibo maior subsit metus ex morbi, morbificæ causæ, & symptomatum incremẽto; an ab inedia ex virtutis decremento. Si ab hac euidentius periculum nutriendum; sin â cibo, abstinendum. Si æqualis ab vtroque per ἐπίκρατιν agendum, vno verbo necessitati seruiendum.

Quartum & vltimum caput est, vtrãque indicationẽ simul & semel aliquandò compleri, ab vno & eodem morbum adimi, & virtutem sustentari, tum videlicet cum remedij locum cibus obtinet. Sic intemperiem calidam victus frigidus, siccam humidus attemperat & facultatem refouet.

His ita suppositis concludimus nunquam in accessionibus nutriendum, nisi cum aut curantis, aut præseruantis auxilij locum tenet alimentũ, vel facere aliter virtus iubet.

Primam conclusionis partem nostro docemur

mur Aphorismo. Alteram luculenter probant quæ ex Galeno fuère in medium producta.


Quæsito de synochis febribus quæ vnica velut accessione finiuntur, respondemus in ijs toto morbi decursu imperandam inediam, si robori fidimus neque ab erroribus quicquam metuimus.

In longioribus quæ priùs exacerbantur, quàm inclinent, necessitate manifesta impellimur ad cibi in ipso paroxysmo oblationem.

Quæret studiosus quispiam quod potissimum tempus eiusmodi casu, cibo sit opportunius? respondet Celsus omnia periculosa, & satiùs consistente iam incremento febris, aliquid offerre, quàm increscente; satiùs instante, quàm incipiente: cum eo tamen vt nullo tẽpore is qui deficit non sit sustinendus. *Libro 3. Capite 5.*

Valet in aliquibus hæc decisio, non in omnibus. Distinctione certiùs res ita definiri potest, vel omnes accessionis partes æqualiter affligunt, vel inæqualiter. Si æqualiter, consueta tempore sanitatis hora natura reficienda; credibile quippè est ipsam sibi solito, & familiari tempore ad recipiendum cibum auidiorem, aut certè paratiorem fore. Sin affligant inæqualiter, pacatiùs ad cibi oblationem tempus deligendum.

Multa hinc inde iactari à multis hoc loco solent, quæ data opera prætermittimus, ne latiùs quàm par est diuagemur, hæc enim satis superque ad præsentem Aphorismum.



Τοὺς δὲ παροξυσμοὺς καὶ τὰς καταστασίας δηλώσουσιν αἱ νοῦσοι, καὶ αἱ ὧραι τοῦ ἔτεος, καὶ αἱ τῶν περιόδων πρὸς ἀλλήλας ἀνταποδόσιες, ἤν τε καθ' ἡμέρην, ἤν τε παρ' ἡμέρην, ἤν τε καὶ διὰ πλείονος χρόνου γίγνωνται. Ἀτὰρ καὶ τοῖσιν ἐπιφαινομένοισιν· οἷον ἐν πλευριτικοῖσι πτύελον ἢν αὐτίκα ἐπιφαίνηται ἀρχομένου βραχύνει, ἢν δ' ὕστερον ἐπιφαίνηται μηκύνει. Καὶ οὖρα, καὶ ὑποχωρήματα, καὶ ἱδρῶτες, καὶ εὔκριτα, καὶ δύσκριτα, καὶ βραχέα, καὶ μακρὰ τὰ νοσήματα ἐπιφαινόμενα δηλοῖ.

Acceſſiones verò & conſtitutiones indicabunt morbi, & anni tempora, & circuituum inter ſe incrementa, ſiue quotidie fiant, ſiue alternis diebus, ſiue longiore interuallo. Sed & ex ijs quæ mox apparent, petũtur indicia: veluti in Pleu-

ritide si sputum initiò statim appareat, breuiat: si verò posteriùs appareat, producit. Et vrinæ & alui excrementa, & sudores apparentes, & indicatu faciles, & difficiles, & breues, & longos fore morbos ostendunt.

Commentarius.

HAbuimus in præcedentibus constituendæ, totius victus formæ intentiones: eiusdemque debito suo, & peculiari tempore offerendi: illas quidem à morbo seu vigore morbi, hoc est ab vniuersali morbi motu; has à particulari. hoc est ab accessionibus petitas: vtrasque sub limitatione viriū. Multa de ipso virium statu coniectura assequendo, ne temere, aut imprudenter soli morbo intenti, collabescere patientem nostra incuria, vel ignorantia pateremur. De constitutione morbi, ac futuro statu, de reciproca accessionum

exacerbatione prænoſcēdis quibus ritè mox. Circa initia componendæ vitæ regula continetur, hactenus nihil. Nunc tandem præſenti Aphoriſmo quatuor horum indicia proponuntur. Primum ab ipſis morbis petitur: Alterum ab anni temporibus. Tertium à ſucceſſiuis circuituum incrementis: poſtremum à mox apparentibus: quæ breuibus eo quem propoſuimus ordine, ex copioſo Galeni commentario ſingula declarabimus.

Illud præmonitum lectorem velim, νοσημάτων καταστασίας (de acceſſionis enim nomine diximus præcedēti Aphoriſmo) morborum (inquam) conſtitutiones οἷοντας ἰδέας αὐτῶν veluti ipſorum ideas Galeno appellari, ſeu formas ſecundùm quas ex talibus & tantis conſtituuntur vniuerſalibus temporibus: ſiue qualemcunque ex totius morbi tēporibus compoſitionem. Morbi ergô ipſi, hoc eſt ſingulæ morborum ſpecies & differentiæ proprias conſtitutiones ſiue ideas, proprios acceſſionum recurſus & circuitus indicabunt. Familiari exemplo me explico: tertiana exquiſita ſeptem quod ſummum eſt circuitibus terminatur: hæc ipſa (quod nomen

indicat) tertio quoque recurrit die. Tertianam itaque exquiſitã vt primum depræhenderis breuem fore prænuntia, eamque viuendi normam, quam eius requirit breuitas, iniungito: particulares exhibendi cibi horas ex tertiano acceſſionum recurſu collige & ſelige. Sub morbo, morbi morem, motumque collocamus.

Ad morbos accedunt anni tempora, vt potè quæ conceptam ex ipſorũ differentia de conſtitutionibus & acceſſionibus futuris opinionem roborant. Supponamus verbi gratia, tertianam, qua de ſermo eſt, æſtate media inuadere, augebitur mox conceptæ breuitatis iuſta ſuſpicio: imò verò & de ipſa morbi ſpecie ex anni tempeſtate oritur cõiectura, eò magis, ſi cætera, quæ ſub tempore comprehendit Galenus, conſentire videantur: ægri nimirũ temperies, ætas, regio, & locus, vitæ induſtria & conſuetudo: Æſtati reſpondent temperatura calida & ſicca, iuuenilis ætas, cœlũ ſolumque eandem temperiem ſortita: vitæ ſtudia calori excitando, exſiccandoque corpori accommodata: conſuetudo in cibo & potu, in vigilijs, in motu, in animi pathematis, eiuſmodi diſcraſiæ

procreatrix.

Ad cœteras anni tempeſtates pari portione referuntur hæcipſa. In ſumma vt morborum alij ad alia tempora magis aut minus oriuntur, ſic & ad alias ætates, naturas, regiones, ad alia exercitia, atque inſtituta: itemque pro horum varietate plus minuſue perdurare ſolent. Cumulatur quippè interius exteriuſque cauſis humor congener, frigidus, à frigidis: Calidus à calidis: ab hoc breuiores affectus: ab illo, longiores. Quam ob cauſam ſenibus non ita vt iunioribus acutæ febres, frigidũ quippe eorũ corp⁹, inquit paulò poſt noſter Hippocrates.

1. Aphoriſm. 14. Tertio loco poſuimus ſucceſſiua circuituum incremẽta quæ tum in anticipatione tum in longitudine paroxyſmi, tum in eiuſdẽ vehementia conſiſtunt. Iſta, quò magis adaugentur eò nos vlteriùs ad augmentũ prouehi, & ad morbi vigorẽ propiùs accedere palàm faciunt. Sin tardo ferantur gradu lentum, longumque decurrendũ ſtadium denotant. Anticipatio, ſolitã cibandi horam præueniendam monet: poſtpoſitio, differendam.

Addita ſunt vltimo ἐπιφαινόμενα, quæ

siue mox apparentia cum Leoniceno voces, siue post apparentia, aut superuenientia per me licet, modò illud intelligas, ἐπιφαινομένον quædam statim, nonnulla posteriùs apparere. Galenus in commentario τὰ ἐπιφαινόμενα considerat, vel in se, quatenꝰ sunt affectus, vel in ordine ad alia quatenus scilicet eorũ quæ in corpore inueniuntur, vel quæ futura sunt, statum demonstrent. Priore modo spectata, sunt symptomata, posteriore modo signa sunt. Signorum multiplices faciunt in medicina differẽtias. Quædam Pathognomonica appellãtur, siue passionem indicantia; Alia præapparentia, alia assidentia, alia postapparentia, quorum nonnulla decretoria: alia cruditatis, aut coctionis, alia salutis aut mortis, alia lõgitudinis & breuitatis.

Pathognomonica vna cum morbo inuadunt, eius essentiam constituunt. nec separari ab eo possunt; qualia in Pleuritide acuta febris, lateris pungens dolor, tussis, spirandi difficultas, tensiuus pulsus. Huius generis signa per se quidem solitaria sunt æquiuoca. Et pluribus affectibus communia. Non enim in sola Pleuritide, sed & in Hepatitide, Phrenitide cœterisque internarũ par-

tium, inflammationibus affligit acuta febris. neque quoties aut tussis premit, aut lateris pungens dolor, aut spirandi difficultas, illicò adesse Pleuritidē concludendum est: neque etiam solus tensiuus pulsus Pleuræ affectionem denotat, sed & reliquarū quoque membranarum, aut neruosarū partium. Verùm simul omnia, vniuocum vnum constituunt signum, cum eo quem designant affectu, reciprocū: ita vt vbicūque præfata quinque indicia simul inuenias, necessariò colligendum sit Pleuritidem inueniri, & vice versa Pleuritis sine illis subsistere non potest. Quamobrē nihil aliud quicquā de constitutionibus, aut futuris accessionibus indicant, quàm morbus ipse, sub quo comprehendi, & ad quem referri hac in parte debent. Præapparentium, & assidentium meminit Aphorismus in priore parte vt videbimus in controuersijs. De postapparentibus Aphorismi pars est posterior: hæc modò citiùs, modò seriùs ac posteriùs sese produnt, atque ex diuerso apparitionis tempore, diuersam morbi constitutionem.

Habet Aphoristicus contextus nonnulla horum signorū exēpla, sed Apho-

risticè: tractantur fusiùs & ex professo in prognosticis, quædam hîc breuibus perstringamus, quantū ad facilē auctoris intelligentiam satis videbitur, non aliunde tamen quàm ab ipsiusmet verbis mutuata.

Profert in primis sputum, quod signū Pleuritidis postapparens tum vocatur cùm Pleuritidi. Aduenit licet aliàs alios quoque effectus sequatur, (non enim vnicum solum affectū respiciunt signa superuenientia) at eius tamen affectus cui superueniunt statum futurum prænuntiant. Sputum ergô in Pleuriticis ex tempore quo apparet, Pleuritidis durationem præsignat. Nam cùm raò obtingat vt alia euacuatione quàm per sputa indicetur Pleuritis, meritò inferemus sputo mox ab initio prodeunte, citò ipsam indicatam iri, vti fusiùs declarabimus posteà. Et contrà posteriùs prodeunte sputo, tardiùs Pleuritidem terminandam. Coctionis quoque & cruditatis signum est sputum, quatenus huius aut illius notas exhibet. Coctio verò breuitatis & securitatis; vt cruditas, longitudinis, & periculi, si præter cruditatem prauum aliquid & malignum præ se ferant sputa, prauum mi-

nantur exitum, & ruinam. sin benignũ aliquid & salutare, spem prosperam pollicentur & salutem.

Pari modo vrinæ, alui excrementa, sudores, signa postapparentia earũ sunt morborum quibuscum reperiuntur, vt futuri indicij notas proferũt, signa sunt decretoria, vt coctionis aut cruditatis, horum dicuntur signa. Vt Cacoëthe aliquid ac deleterium, vel blandum ac innocuum referunt, signa sunt salutis, aut mortis. Quæ omnia prudenter in singulis spectanda, & distinguendum accurate quid, quale, quando, quibus in affectibus, per quas vias, quantumque educatur, tum ad legitimam victus & præsidiorum rationem imperandam, cùm ad prognosim certo iudicio stabiliendam.

Quæstionum series & ratio.

Contentarum hoc Aphorismo controuersiarum expedita est ratio. Docet Hippocrates modum constitutiones prænoscendi, vana hæc & inutilis doctrina, nisi haberi illarum prænotionem posse supponamus. Istud quoniam Galeni tempore, nostro etiam for-

tasse, à Medicis non paucis in dubium vocatum, imò & constanter negatum, videndum ante omnia, nunquid morborum constitutiones possint prænosci? Hoc affirmatiuè concluso, eiusdem prænotionis notas ab Hippocrate numeratas examinabimus, & primum inquiremus, quibus indicijs constitutiones & accessiones prænoscantur: posteà, vtrùm præter postapparentia possint alia signa proferri quæ constitutiones denotent? Denique ne quid in re difficillima & pulcherrima relinquatur indecisum, difficultates omnes, quæ circa prognosticum occurrunt, quantum per Aphorismi contextum licebit, ad dubitationes aliquot reuocabimus.

Prima erit quid morbi nomine intelligatur in nostro Aphorismo.

Altera, quibus indicijs morbi speciem, magnitudinem, morem, motumque distinguamus?

Tertia, cur virtutem prætermiserit Hippocrates, & an aliquid in rem præsentem cōferat?

Mox ad circuituum incrementa deueniemus, inuestigaturi tum in quo consistant, tum quæ ipsorum causæ? quò faciliùs dubitatione quinta ab his ipsis constitutionis futuræ cognitionem deducamus.

Circa postapparentia versabūtur reliquæ

dubitationes omnes: sexta quidem quid ipsa pertendant aperiet, breuemque ipsorum diuisionem proponet.

Septima, coctionis, & cruditatis signa, itemque decretoria definiet atque diuidet.

Octaua, quo illa eadem coctionis scilicet, & decretoria signa, inuicem discrepent, explanabit. Quæ reliquæ sunt dubitationes ad particularia descendent.

Nona quidem Aphoristicum ordinem sequuta, præsagia ex sputis depromet.

Decima & vndecima circa vrinas occupabuntur: illa circa liquorem, hæc circa contenta.

Quid vtrumque præsignet cumulatè docebitur.

Deiectionum notas futuri prænuntias duodecima dubitatione audiemus.

Postrema erit de sudoribus. Cæteras excretionum differentias intactas relinquemus, quales quæ vel per vomitus accidunt vel per sanguinis effluxus, ne summi censoris nostri limites prætergressi, aliorum censuram incurramus.



An morborum conſtitutiones poſsint prænoſci?

QVÆSTIO PRIMA.

QVæcunque hactenus de inſtituenda victus forma fuère prodita hac vna prænotione tanquam baſi fulciuntur. Quanam enim ratione intelligas, an ſtatim victu tenui ſit vtendum, an pleniore? an vſque ad morbi vigorẽ poſſit æger cum tali victu ſubſiſtere, an verò prius deficiat, niſi morbi ideam, conſtitutionemque præuideris, & futurum ſtatum? neque verò ſolùm in hac toties repetita doctrina futulis reputandus eſſet Hippocrates, ſed in eo quoque ridiculus, quod ſigna vigoris & ideæ morbificæ prognoſtica tradiderit, ſi illa nos aſſequi poſſe diffidiſſet.

Ex conſtitutione quidem morbi vigoris tẽpus definiuit, cum peràcutũ morbũ ſtatim extremos habere labores docuit: licet vice verſa ex laboribus extremis illicò affligentibus peracuti morbi conſtitutionẽ deducere. Denique conſtitutionum hoc Aphoriſmo quatuor perhibentur notæ, quas paulò poſt ad examen reducemus.

Tantùm verò huic cognitioni detulit Galenus, vt certò affirmarit malè omninò ab eo victum inſtitui qui futurũ ſtatum igno- *1. de Criſibus c. 13.*

rarit, neque exiguum ex huiusmodi ignoratione detrimentum in ægrotantem redundare. Quanquàm dignum venia iudicat si qui semel ex tali ignorantia peccarit. Qui verò nullam futuri prognosin esse putat, hanc ne minimam artis partē censet assequutum.

Ibidem capite 16.

Primo enim die cognosci saltem potest (inquit) quod primo vel secundo quaternario affectus decernetur. Quin etiam primo statim insultu (quod plerisque videri possit ἀδυνάτον) integram morbi speciem ac ideam in plerisque agnouisse se passim gloriatur. Plenus est id genus exemplis de præcognitione liber ad Posthumum.

At si cui fortassè iactantiæ nomine suspecta Galeni videatur oratio, rationes audiamus. Si primo die quispiam acuta detentus febre salutaria omnia polliceatur, & periculosi nihil, vrinam autem reddat colore laudabilem & consistentia mediocrem, nunquid palam est intra quartum diem crisim successuram? eòque magis si vel nebula supernatet, aut proba sit suspensio, vel laudata hypostasis? quid si tēperies corporis, ætas, tempus, regio, cœli constitutio, victus vitæque ratio & consuetudo, morbus ipse & humor in frigidam intemperiem conspirent, nunquid certò de futura morbi longitudine sententiam feres? è contrariò breuitatē promittes si contrario modo cesserint? iudicium firmabunt vrinæ cum prioribus coniecturis crudæ & aqueæ, cum posterioribus coctæ:

Gal. 1. de Crisibus 16

3. de Crisibus 16.

tantoque longior aut breuior expectandus est morbus, quanto indicia in hanc vel in illam partem firmiora. Et hoc quidem prænosse generosi Medici & arte Hippocratica digni officiũ est (inquit Galen⁹) cum omnem victus normam ad hoc inspiciens componat. *1. de cris 3.*

Sunt tamen qui negantem partem tueri audeant, nec opinor absque ratione, Et quæso an præscriptis terminis ita se continẽt morbi vt vltra citraque nunquam euagentur? nunquid infra quaternum diem durant acutissimi vel protrahuntur vlterius? an qui hos sequuntur septimum non excedunt? an exactè acuti decimum quartum, aut acuti non exactè vigesimum semper attingunt? quid si ad decimum septimum acuti prorogentur, & medium inter istos spatium decurrant? quo tum donabuntur nomine? cur hoc potiùs quam illo die certè decimo septimo qui vigesimi est index, iudicari acutos nouũ non est, aut in doctrina Hippocratica inauditum: duo fratres qui ad Epigenijs theatrum decumbebãt, Heropitus quoque decimo septimo indicantur? si ergò incerta morbi species, si incertus motus, quæ certa eiusdem constitutio? qui certi status? dic amabô ex quo tandem fonte ista cognitio haurienda? an à coniecturis ratione conquisitis? hæ fallaces: an ab experientia? & hæc σφαλερή periculosa, dubia ac in errorem prona. Fallit exercitatissimos quosque similitudo rerum, & cautissimos quosque adumbrata specie in *in Epid.*

errorem trahit. Tanta porrò rei quam inquirimus incertitudo est ac difficultas, vt non modò præsciri tēpora negarit Galen⁹, sed vel ante sciri quam abscesserint, Non ante (inquit) exquisita principij habetur cognitio quam incœperit ascensus, neque huius priusquam abierit.

1. de crisib. c.9
1. de cris. 3.

Sæpè verò in morbis nullum sensibile status tempus inuenitur, sed vt exquisité dignoscatur, primum declinationis tempus est necessarium.

Quæ verô certa notitia ab incertis infirmisque notis? An hæc qua de sermo est ab vniuocis causis, aut immediatis, ac necessarijs procedit ad effecta? Tales in arte medica vix reperias. An ab effectis pariter progreditur ad causas? Nondum illa apparent cum præuidentur: vel si ex vno effectu apparente futurum alium colligit, certò nihil aliud colligit, quàm incertos effectus, incertasque causas.

Ordine si lubet notas omnes percurramus hoc Aphorismo propositas, vanas comperiemus & infidas. Iam de morbis ita esse cōfecimus, de quorum essentia tam anxij, tam dubij inter se, & plerumque contrarij Medici, quàm morbus ægroto.

Petitum à temporibus iudiciū non magis firmum & stabile, quàm ipsa tempora. Hyemem expectas gelu rigidam flantē ab arcto Boream: vel æstate Fauonium, & ardentem Syrium? continuis ambo perflantur austris,

madent

madent imbribus, tepeſcunt; vtrinque humido quodam tempore exceſſus rigor inhibetur, vt non multo magìs hæc quàm illa tempeſtas in hunc vel in illum affectum videatur procliuis. Quid quod congeſtæ per hæc tempora morborum cauſæ per alia ſe produnt? Ver quidem natura ſua ſaluberrimum pluribus & grauioribus infeſtari ſolet affectibus quàm ipſa hyems, quæ illorũ materiẽ ſufficit, Plurimos æſtas concipit, quos autumnus parit.

Haud firmior circuituum incrementis habenda eſt fides: grauis ſæpè oritur exacerbatio ab externis cauſis, quare ſi à circuitus incremento de futuro ſtatu præſagiat Medicus, leui quandoque aſſiſtentium errore cõuincitur erroris.

Nihilò tutiùs reperias depromptum à poſtapparentibus augurium, leui momento permutantur vrinæ, cœteraque excrementa, inſtabilis, fallaxque notio cui pro fundamẽto, tanta mutatio ſubſternitur.

Itaque reduc ad iſtas coniecturas vt voles ſingula, nuſquam reuerteris ad calculos. Demus certè veras eſſe omnes ac indubitatas, cùm mutuò quandoque diſcrepent, veras ac indubitatas contrariorum euentuum proferent notas. Sit morbus (exempli gratia) ex acutorũ genere, ætate ſenili, ac hyeme obrepat: ſi morbũ ipſum ſpectes breuitatẽ præ ſe fert: ſin ætatem & tempus, longitudinem. Equidem vera ſimul eſſe nequeunt iſta in-

dicia, quemadmodū neq; simul stare possunt cōtraria. Modo vera vtra sint vt intelligas alijs tibi opus indicijs, & hæc quoque cùm incerta sint, alia requirūt: vel ergô dabitur in infinitū processus, vel certi nihil vnquam assequere.

Dices quædam alijs potiora. Nodum implicas: hæc ipsa discernere nouus labor. Senibus (inquit Hippocrates) non ita vt iuuenibus acutæ febres, frigidum enim eorum corpus. Ecce vt sumptæ à morbi specie coniecturæ præualet ea quæ à temperie, & ætate. Ait idem Hippocrates, minùs illos periclitari quorum ætati, consuetudini, tempori, morbi consentiunt. Ecce vt ex eiusdem sententia morbi quandoque quàm illarum causarum vis est potior: Si ergo inuicem dissentiant, à quibusnam potiùs futuræ constitutionis signa erunt depromenda?

1. *Aphor.*

1. *Aphor.*

An quisquam est qui hisce rationibus locum nullum esse velit? ad experientiā prouocemus, frustra est potentia quæ ad actum non reducitur, inquiūt Physici? frustrà quoque istam prædicendi scientiam in Medicis agnoscimus cuius actum non experimur.

Nomina si potes aliquem qui eò processerit artis suæ confidentia vt de futuris lōgè antè statuat: Galenum fortè allegabis Eudemo quartanæ cuiusdam longæ principium instare statim à principio aperientem. Ac alteri cuidam qui circa autumni principium morbo laborauerat ex quo conualescens febricitare denuò cœperat, quartani circuitus inuasionem illam esse planè dicentem: At

Libro de præcog. ad Posthumū c. 2. & in hui⁹ Aphorismi commentario.

quot quantique Imperatorij Medici in ferenda de Eudemi quartana ſententia turpiſſimè deluſi? vt meritò non ex Medica facultate, verum ex diuinatricibus ſcientijs Galeni prædictiones fuiſſe palam profiteretur Eudemus. Ac Pythium Apollinem vaticinari ægrotantibus per os Galeni voluiſſe quibus præſidijs reuocari ad ſanitatem poſſent, & qua die perfectè liberari. *Ibidem Capite 3,*

Mouent nos iſtæ rationes, haud tamen à priore ſententia planè dimouent, ſed vtrinque limitationes adhibendæ, hæc in primis medicam prænotionem ſæpè à coniecturis pendere: non ideò tamen id genus prænotio quia coniecturalis vana omninò & errori obuia. Tantus quandoque ſignorum inuenitur concurſus in vnum eundemque finem conſpirantium, vt de futuro dubitari non poſſit, quanquam particulatim in ſe ſpectata ſigna dubia omnia videantur.

Nam ſi non proſunt ſingula, multa iuuant.

Verbi gratia ex tempeſtate hyemali, ſenili ætate, conſtitutione auſtrali, vel aquilonia, non neceſſariò concluditur futura morbi longitudo, vti neque ex æſtate aut iuuentute breuitas. Iſta nihilominus cœteris addita certam concluſionem pariunt. Vox vnius, vox nullius inquiunt Iuriſperiti, vnius tamen vox alteri addita fidem apud illos facit, pluresque ſimul coniecturæ ſemiplenam probationem; & apud Medicos plenam quandoq; coniunctæ efficiunt, tum maximè cùm

mutuo quodam inter se veluti nexu socian-
tur, sic vt nulla dissentiat, aut certo aliquo
signo (τεκμήριον Græci vocant) fulciuntur:
diuulsæ, discrepantes, & seiunctæ nihil con-
cludunt. Exemplum illud paulò ante à Ga-
leno in primæ sententiæ confirmationem ad-
ductum rem præsentem luculentissimè con-
1. de Crisibus c. 16. firmat. Vt liberè ausim cum eodem Galeno
exclamare, tantum abesse vt quid futurum
sit penitùs incognitum putem, vt sæpè de eo
certam haberi scientiam existimē. Sæpè (in-
quam) vel, vt alij legunt *quandoque*: non
enim simul vno veluti concentu & harmo-
1. de Crisibus 13. nia plura signa perpetuò conueniunt, dissi-
dent inter se plerumque. Non etiam perpe-
tuò vllum ita fidele adest, vt exquisitè futu-
ra tempora singula præmonstret. Quare ar-
tificiosam coniecturam, quâ hanc cognitio-
3. Prognost Comm. 39. nem adipiscimur eam vocat idem Galenus,
quæ propè ad veritatem accedit. Certa verô
scientia certis habetur indicijs, qualia quæ,
à coctione desumuntur: coctio enim celerem
indicationem, securamque sanitatem signi-
ficat, cruditas verô, aut incoctio, aut in pra-
uos abcessus cōuersio, aut non fore indicatio-
nem, aut dolorē, aut mortē, aut horum ipsorū
recidiuas ostendit. Et hæc quidem prænotio
à causis procedit ad effecta, coctio namque
causa est vt morbus soluatur: cruditas, in-
coctio, in prauos abscessus conuersio, pri-
maria quoque ratione causa est vt virtus
exoluatur, illa eadem, at secundariò horum

quoque effectuum signa erunt, & eosdem effectus consequentium.

Illud hoc loco minimè prætermittendum, in signorum contrariorum occursu non tam numerum, quam cuiusque vim æstimandam. Docuit me doctissimus Hippocrates signa ediscentem omnia indicare vires eorum inuicem comparantem. Nam quæ plurima sunt non omninò paucioribus virtute præpollēt, validum vnum debilibus multis sæpé fideliùs inuenitur. *2. Prognost t. 56. & 3. prognost. t. 37. 1. de Crisib. 13.*

Quæret studiosus aliquis quo tandem genio in tanta signorum varietate, venire in exactam singulorum cognitionem liceat? Duplicem nobis viam designat, & præmunit Galenus: experientiam & lectionem. Continua quidem & sedula ægrotātium inspectione atque obseruatione illam sibi comparauit Hippocrates, quam nobis postmodum quasi per Galeni manum tradidit. Vtriusque in opere diligentiam sectemur, scripta perlustremus.

Singula Hippocratis verba tanquā ἐμφαντικώτατα æqua Galeni lance ponderemus. Is pro facultate signorum cuiusque tradidit disciplinam, & peculiarem eorum naturam proprijs adiunctis & appellationibus insigniuit. Hæc bona simpliciter aut mala nominans, illa magis aut minùs. Vtrique signorum generi valdè nonnunquam adijciens, quandoque nihil prorsus addens, ijs nimirum quæ neque praua omninò sunt, neque

omninò à periculo immunia, Horum ſedula animaduerſione, ſignorum gradus non difficilè diſtinguemus, quæ optima, quæ peſſima, quæ media, quæ optimis aut deterrimis proximiora, quæ fida, quæ infida, quæ perpetua, quæ inſtabilia, quæ decretoria, quæ longitudinis aut breuitatis, quæ ſalutis aut mortis. Mala & bona ſigna expẽdentem ex his prædictiones facere oportet, ita enim potiſſimum veritatem conſequetur ait Hippocrates.

Libro de indicijs.

Subſtratis hiſce fundamentis aſſerimus, certa nonnunquam conſtitutionis morbi haberi indicia, nonnunquam dubia, ſed quæ ad veritatem proximè accedant.

Priorem noſtræ aſſertionis partem probant priore loco adducta argumenta.

Poſteriorem ſolum conuincunt quæ pro negatiua parte afferuntur. Si quæ Medicæ prænotioni fidem vndequaque denegãt, non magni eſt operis refellere.

In primis dum obijcitur morbi ſpeciem frequenter ignorari, ſi incerta morbi ſpecies, ergo & quæ ab ea deducitur conſtitutionis morbificæ cógnitio. Reſpondeo paucorum dierum diſcrimen, haud magnam in victus ratione mutationem parere. Quare ſiue decimo ſeptimo terminetur, ſiue etiam viceſimo morbus is quem ſimpliciter acutum & decimo quarto terminandum iudicauimus, non multum refert, maximè cũ m præſtet ad paulò pleniorem, quàm ad tenuiorẽ victum

1. de criſibus c. 16.

perpetuò inclinare, & paulatim vt ad statum progreditur morbus detrahenda sit alimonia, vt in præcedentibus demonstrauimus. Verùm si quarto aut quinto crisis affutura esset, ac talem aliquis victum, præscriberet, qualis deberetur, si quadragesimo esset finiendus, absurdum foret, & Medico prorsus indignum.

Quod addunt particularia plerũque tempora priùs ad vnguem non dignosci quàm præterierint, admittimus; nam vnius temporis finẽ ex alteri⁹ principio internosci sæpè experimur. Cui⁹ duplicẽ causã proferre licet. Prima est quod in vnam eandẽq; accessionem plura aliquando coincidant tempora. Altera quod ex signorum mutatione quibus delineantur tempora, mutationem temporum dignoscamus: cùm itaque repentè talis obtingit mutatio ex consequentis temporis notis apparentibus, finem præcedentis colligimus, verùm vt minimè perpetuum istud est, ita neque perpetuò desunt indicia quibus motum progressumque temporum discernamus, neque si perpetuum id foret, nostram assertionem euerteret, non enim ex huiusmodi particularium temporum ignoratione, sequitur vniuersalis constitutionis ignoratio, imò verò ex repentina illorum mutatione morbi breuitatem aptissimè coniectamur.

Iam quid ad hæc conferat experiẽtia, quid allatæ ab Hippocrate coniecturæ dictum est,

& sigillatim in sequentibus expendemus, nunc ad ea quæ pro ipsis infirmandis iactantur quàm breuissimè respondendum.

Ad illud de morbo dicimus, ignorata morbi specie reliqua indicia inter se conferenda, & singulorum vires studiosè pensitandas vt vnius defectum alterum suppleat.

3. Aphor. Ad tempora quod attinet, sciendum non solum anni tempestatem aduertendam, sed & cœli statum tam præsentem, quam prægressum quod in Aphorismis fecit admirandus Hippocrates. Circa incrementa circuituum facilè distinguet peritus Medicus, & prudens, an ex natura morbi, an ex errore, aut aliundè proueniant.

De postapparentibus suus erit locus posteà.

In signorum oppositione quæ seruanda sit norma perstrinximus satis dilucidè. Illam quisquis sequetur, aut raro, aut non multum certè à scopo aberrabit.

Neque verò diuinatoria eiusmodi cognitio censenda est, sed planè Medica, quàm ex Medicorum penu depromimus, cuius veritatē tum Hippocrates, tum Galenus scripto & opere confirmarunt, & à qua plurimi quibuscunque seculis probatissimi Medici laudem, ægroti salutem acceperunt. Si mihi fas esset de me ipso loqui testes citarem principes & primarios nostræ Lotharingiæ viros & Medicos qui sæpè sepiùs quæ antè de futura ægritudine à me essent præ-

dicta non sine artis admiratione viderunt euadere,

Firma itaque & indubitata remanet nostræ assertionis veritas morborum tempora posse prænosci: nunc quibus notis, perscrutemur.

Quibus indiciis morborum constitutiones dignoscantur, & accessiones.

QVAESTIO SECVNDA.

PRæsentis quæstionis hic est sensus, hæc ratio. Cùm in præcedentibus dictum sit cibi plùs minùsue circa initia indulgendum, quò longior aut breuior futurus est morbus, siue (quod perindè est) quò plus minusue à suo vigore recesserit, itemque in accessionibus abstinendũ: meritò nunc constitutionis morbi, hoc est futuræ longitudinis aut breuitatis futuri quoque in accessionibus ordinis indicia perquiruntur, inutile quippè fuerit illa præsciuisse si hæc ignorentur. Supponat verbi causa Medicus febre acuta detineri quempiam qui longa ægritudine teneatur, nunquid illicò tenuiorem alimoniam iniunget, quam præstaret iniungi pleniorem? supponat idem typum tertianarium qui sit quotidianas, nunquid facilè in

accessionis tempus incidet propositum cibandi? necessaria itaque ad praxim hæc disquisitio, ac veluti præcedentium Aphorismorum firma basis: quæ licet in commentario cumulaté satis videtur explicata, iterum tamen sub incudem reuocanda est ad doctrinam firmiorem, at quoniam satietatis mater similitudo, ne inani antedictorum repetitione lector offendatur hæc agitabitur quæstio.

Vtrum in quatuor indiciorum enumeratione defecerit Hippocrates, an excesserit?

DEfecisse equidem videtur, cùm internarum causarum ne meminit quidem, ac inter externas sola anni tempora numerauit, reliquarum oblitus. Quin etiam symptomata subtrahi ab hoc censu non debuerant, non alia signa magis quàm postapparentia de quibus sequenti quæstione.

Excessisse videtur cum morbos percensuit, ac anni tempora, nec non postapparentia: quorum priora duo ad causas; postremum ad symptomata non ineptè retulisset, agê verò æqua lance libremus singula: quod signum hoc in genere certius internis causis, quarum hæc ipsa quæ inquirimus sunt ef-

fecta? vndè enim diuersæ morborum conditiones & ideæ? vndè accessionum varietas? nisi ab his causis? quæris in tertiana exquisita breuitatis, & tertianarij recursus causam? ad flauæ bilis substantiam & quantitatem recurre. Miraris in annos protrahi quartanas, & quaternis diebus recurrere? perspecta humoris à quo producuntur natura, mirari desines. Quereris rauim & grauedinem in valdè senibus haud maturari, atque ex consequenti in immensum protendi? caloris penuriam accusa. Vides renum & vesicæ vitia ægrè in senioribus curationem admittere? hoc est multo negotio, & diuturno tempore (vt interpretatur Galenus) in renum & vesicæ opus indesinens culpam referto; vel si mauis ad humores acres ad illas partes vndequaque confluentes, tanquam ad destinatos aliarum partium euacuationi tubos: vel denique ad ipsam ætatis contractam ex frigore imbecillitatem. Ecce vt constitutionum cognitionem & prænotionem ex causis, causas in intimis corporibus vænamur. Idem anteà in accessionibus ostendimus, dum peculiares periodorũ causas inuestigaremus. Dicent qui pro Hippocrate disputant, internas hasce causas sub anni tẽporibus compræhendi, qua ratione nos cum Galeno in commentario docuimus: at quo iure cùm alterius sint ordinis? quidni causæ potiùs mentionem fecit Hippocrates, quàm anni temporum? generalis quippè causæ appella-

2. Aph. 40

6. Apho. 6.

tio particuliaria omnia ſuo ambitu includit; at non è contra promptè & facilè ex particulari vniuerſale deducimus, tum maximè cum particuliaria ſub vniuerſali contenta ad diuerſas claſſes pertinent. Haberet probabile aliquid hæc reſponſio, ſi id dumtaxat ſupponeret, ſub anni temporibus cœteras externas cauſas poſſe intelligi: quanquam neque iſtud quidem concedimus.

Nam ſi ex anni temporibus certò quicquam de conſtitutione morborum præfari non licet, quorſum anni tempora pro cœterorum norma & exemplo conſtituimus? an certa vlla ac inuiolabili lege procedũt tempeſtates, vt hanc conſequentiam quaſi certam ac inuiolabilem admittamus, irrepſit media æſtate hic affectus, breuis igitur futurus eſt, vt pote à calido & ſicco humore oriundus, præ æſtatis caliditate & ſiccitate? quid ſi frigida & humida ipſa ſit vt plerumque fit? in paſſiuis certè qualitatibus ſæpè ſæpiùs in his regionibus euariat, itavt pro
3. Aph. 16 ſumma ſiccitate ſummam inducat humiditatem continuis imbribus irrorata: at morbi in pluuiarum multitudine magna ex par-
3. Apho. 7. te fiunt febres longæ, in ſiccitatibus verô, acutæ. Quamobrem non ex æſtate, ſed ex aëris temperatura de morbi conſtitutione aliquid inferendum.

Aliarum anni partium par omninò ratio, quarum appellationes fruſtrà vt morbificæ conſtitutionis cauſas attenderis, ſi non vt

causas, ergò neque vt signa. Non igitur anni tempus, sed temporis cõstitutionem præstiterat Hippocratem allegasse, pro cuius varietate morbi duratio variatur. Quibus enim temporibus modò calor, modò frigus, autumnales morbos expectare oportet. 3. Apho. 4.

Denique cùm symptomatum oblitus est Hippocrates sui quodammodò videtur oblitus. Nam alibi ex sola symptomatum vehementia vigoris tempus definiuit. Id in præcedentibus abundè explicuimus vbi peracutos morbos hoc signo demonstrari ostendimus, quod statim extremos habeant labores, hoc est symptomata: & inferiùs circa principia & fines omnia dicuntur leuissima, in statu autem vehementissima, supple cum Galeno, symptomata ex quibus manifestè concluditur ad præcognitionẽ status non minoris interesse symptomatum quàm accessionum incrementa considerasse. neque ipsa per se spectata symptomata excludi possunt à munero signorum, nam ab his passim Hippocrates, longitudinis & breuitatis indicia depromit. Sudores (qui symptomata sunt in genere exeuntium mutatorum) si die impari febricitantibus accidant, bonos & indicatorios vocat. Qui autem secus eueniunt laboris indices, & longitudinis, aut recidiuæ. Neque verò, vt de futuris constitutionibus sententiam ferret Hippocrates, solos spectauit dies, in quibus erumperent sudores, sed & ipsam sudorum quantitatem

1. Apho. 7.

2. Aph. 30

4. Aphorism. 36.

& qualitatem. Frigidi (inquit) cum acuta febre mortem denuntiant, cum mitiore longitudinem. Calidi verò & si copiosè & assiduè fluant, breuitatē. sed neque solis sudoribus intentus reliquas euacuationes, in hoc genere neglexit: hæc ex vrinis desumpsit,
4. Aph. 37 & 41.
quibuscunque febricitantibus in vrinis sedimina fiunt, veluti farina crassior, longam fore ægritudinem significat; quibus autem biliosa quæ prius teuiua fuère, acutam, & hæc quidem tum rationi, tum experientiæ congruunt. Nam cùm vrinæ immediate humores denotent quibuscum miscentur, & hi morbi statum: quidni vt illud ex vrinis, sic & istud quoque deducamus? farinacea sedimina, verbi gratia, crassam indicant materiam; materia crassa, coctionis diuturnitatem; coctionis diuturnitas febris durationem. Biliosa contrarium, vt pote cùm acutos morbos bilis perpetuò operetur, inquit Galenus, hoc est à bile non nisi breues affectus producantur. Breuis enim hoc loco acuti nomine intelligendi sunt, aliàs falsò suspicabere sibi minimè constantem Galenum, qui nusquam tertianas intermittentes à syncera bile ortas acutis adscripserit. At quid in his immoror? quæ in symptomatum genere prima æstimantur, læsæ nimirum actionis, in hoc quoque primas obtinent: testem cito Hippocratē, cuius istud ex Aphorismis testimonium.
8. Aph. 31. & 32.
7. Apho. 51.

Quicunque sani dolore capitis repentè

capiuntur, & statim muti fiunt & stertunt, ij septem diebus pereunt: nisi febris apprehenderit. Et alibi paulò superius: quicunque tetano corripiuntur quatuor diebus intereunt: si verô hos effugerint sani fiũt, vtrobique ex læsæ actionis symptomatis morbi durationem præsignat, nempe ex dolore capitis, obmutescentia, stertore, & conuulsione. Si ad mutatæ qualitatis symptomata descendamus, idẽ et Hippocrates ex crebra coloris mutatione morbi longitudinẽ colligit.

Plurima in rem nostram tum ex Aphorismis, tum ex prognosticis, cùm aliunde congerere, neque magni operis foret, neque magni ingenij, neque maioris credo vtilitatis.

Ad excessum venio quem triplicẽ agnoscere est: primus dum morbi, alter dum anni tempora: tertius dum Epiphænomena signis annumerantur. Priora duo sub causis complectimur, tertium sub symptomatis. De anni temporibus dictum hactenus, & monstratum non aliter ipsa spectari quàm vt signa sunt earum quas in nobis pariunt dispositionum, hoc est internarum causarum, quæ immediatè eius quem pariunt affectus constitutionem notant. Anni ergô tempora nihil ampliùs nos in præsenti cognitione promouent, quàm cœteræ externæ causæ.

De morbis grauior insurgit difficultas, ab his enim certa propriæ conditionis peti vi-

dentur argumenta per se, non autem quatenus vel causæ sunt, vel à causis pendent. Hecticam in secundo gradu quis non Chronicam æstimarit, Diariam verò breuem? an Chronica illa? an hæc breuis, quia febres? at vnum vt vnum contrariorum per se causa esse nequit. An quia à diuersis pendent causis? desunt vtrinque causæ Diariæ quidem externæ, quæ producto effectu euanuère. Hectica nihil habet in fieri, tota est in factu esse, quare à causa independens. Non igitur durationis ratio aliundè quàm ab ipsa morbi specie petēda, in se, non quatenus causa est; neque vt à causa dependet, cùm nullam videamus. Idem argumentũ valet in alijs plerisque istud sufficiat, vt res declaretur. Implicitus videtur hic nodus; quanquam solutu facilis.

Vltrò admittimus morbum ex se significare id non posse ad quod est indifferens, cuiusmodi est duratio. In eundem quippè genere morbum cadunt contrariæ durationis differentiæ. Febris (vt in allegato exemplo persistamus) & si calida & sicca intemperies, ex se breuitatem non dicit, vti neque frigida intemperies longitudinem; vtramque aliquandò citiùs aliquandò seriùs terminatam vidimus, quin etiam frigidã calida breuiùs perdurasse, calidam quoque aliàs frigida citiùs sublatam.

Temporis ergò aliundè quàm à morbo limitatio inquirenda, puta à morbificis causis, maximè-

maximèque ab interno efficiẽte & ſubiecto quorum ambo ad materiam referuntur. Efficiens ad materiem ex qua: ſubiectũ ad materiem in qua. Febri itaque harum cauſarum alteram ſi adiunxeris, certò mox de duratione cauſa cognita ſtatues hũc in modum. Febris eſt à pituita craſſa, viſcida, lenta; ergò longa: à bile tenui & ſyncera, ergò breuis. In habitu radices egit: firmior eſt, nec niſi longo tempore ceſſura: in ſolis eſt ſpiritibus accenſa, naturalem non prætergredietur diem. Ecce vt morbi ſignificatio ſub cauſa continetur: imò à cauſa ipſa ſumitur. Quamobrem ſuperfluus æquè cenſeri debet Hippocrates dum morbi mentionem fecit, vt mancus dum cauſas tacuit.

Non minus ſuperfluus æſtimabitur, ſi poſtapparentium allata in medium exẽpla ponderemus, omnia ex ſymptomatũ penu. Quid aliud ſunt ſputa? quid vrinæ? quid ſudores? quid alui excrementa? quam mutatorum exeuntium ſymptomata? & hæc ex paulò antèdictis clarioraquàm vt longiorem poſtulent demonſtrationem.

Valida certè oppetimur congerie telorum, quæ præuidenda ne feriant. Illud incautum monitum velim lectorem: Aphoriſticam doctrinam longam & accuratam ſingulorum diſquiſitionem atque explicationem nõ ferre, aliàs in immenſum excurreret, vno verbo, Aphoriſtica eſſe deſineret: abũdè ipſi eſt rerum capita adumbrare, ex vno plura in *Galenus in comm hui9 Aphoriſm.*

memoriam reuocare, vnum ex altero inferre, altiori disquisitioni viã munire. Ita factum in præsenti vbi sub anni temporibus ea omnia collocat Galenus, quæ singulorum temporum constitutioni & temperaturæ proportione respondẽt, aut pares cum ipsis tẽporib⁹ effectus proferãt in corporibus humanis, causas scilicet omnes cum internas tum externas. Quæ enim æstiuum indicat tempus, eadem quoque natiua, aut aduentitia ægri complexio calidior & siccior, ætas in suo vigore iuuenili constituta, locus, regio, corporis, animique motus, & cætera quæ in eandem crasim, conspirant, indicabant,

Minimè verò (quod abijciũt) incerta tempestatum varietas, Aphoristicæ doctrinæ incertitudinem parit. Considerat Aphorismus tempora non vt assiduè mutationi obnoxia, sed in sua temperie naturali, à qua congeneres in nobis alterationes accidunt. Solam hanc temperiem attendit, huic tribuit actionẽ, non Astrologicæ distinctioni tẽporum, non eorumdem appellationi, posita illa naturali constitutione temporum, certissima fiet illatio (modò cætera consentiant, quæ ad ipsam retulimus) æstiuus est morbus ergô breuis : funduntur quippe calore æstiuo humores superflui, quaquauersum in omne corpus feruntur, atque difflantur : difflatis humoribus, si validæ sint vires finiuntur morbi : sin inualidæ in ipsa humorum difflatione exoluuntur. Addidi si cætera consen-

Galenus 2. Aph. com. 25.

tiant; tanta enim subest quandoque humorum copia priscis temporibus cõgesta, tanta propter crassitiem & lentorem contumacia, tam alta sedes, vt diuelli non dicam ab ambiente aut discuti, sed neque à grauioribus machinis aut facilè, aut citò possint. Quod intuitus πάντα ἰδὼν senex perspicacissimus æstiuas quartanas non simpliciter, sed magna ex parte breues pronunciauit, vt autumnales longas.

Hæc de causis ad quas symptomata reuocamus, nihil enim symptomata indicant nisiquatenus induunt rationem causæ, neque signa immediata esse possunt nisi ipsarum causarum. Id quod vel ex contrarijs argumentis manifestum est. Primum quidem sudores diebus paribus prodeuntes longitudinem portendere dicuntur, quoniam vel ab humore alio procedunt quàm bilioso, cuius proprium vt plurimum diebus imparibus moueri: si ab alio humore, ergô vel à pituitoso, vel à melancholico: ab vtroque ægritudines diuturnæ. vel si à bilioso, non motu & vi naturæ, sed natura copia pressa atque irritata, alias non nisi ipso exacerbationis die erumperent, hoc est impari: debilis porrò natura magnam copiam ægrè, & multo spatio temporis euincet. Quod additur sudores frigidos longitudinem præsagire, calidos breuitatem, verum quoque est, sed mediatè, nam sudores frigidi suam causam immediatè arguunt, nempè frigidorum 3. Aphoris.

ſuccorum redundantiam ad quam morbi ſequitur longitudo. Calidi contra materiam tenuem & calidam quã natiuus calor prumptè diſcuſſerit, hinc breuitas. Vrinarum ratio in ipſis argumentis fuit declarata. Allegata læſæ actionis ſymptomata nihil ampliùs conuincunt, ſolam enim ſuarum cauſarum vehementiam immediatè ſignificant, quibus cognitis, atque ſuppoſitis, de futura conſtitutione apud nos ſtatuimus.

Denique coloris mutatio humoris morbifici varietatem palàm profert, ex humoris varietate infertur longitudo, quoniam longo opus eſt tempore ad coctionem atque expulſionem.

Quod vlteriùs obijcitur, debuiſſe Hippocratem circuituum incrementis addere ſymptomatum incrementa, quandoquidem non minor eſt horum quàm illorum efficacia in vigore præuidēdo, repugnat Aphoriſtico inſtituto; quid enim faciliùs quàm hæc ſub illis intellexiſſe, cùm vtraque pariter augeantur?

Supereſt, vt inuſtam exceſſus notam abſtergamus. In primis quod de anni temporibus affertur, contrarium potiùs concludit defeciſſe ſcilicet accuratiſſimum doctorem cùm ex omnibus cauſis vnicam hanc allegarit. Sed hic anteà extricatur nodus.

Quod poſtmodũ probatur nihil de conſtitutione propria præſignare morbum, niſi quatenus (vt de ſymptomate admiſimus) ha-

bet rationem causæ, vel suam causam immediatè notat confutatione non caret. Circa quod illud annotari velim in re Medica cum de causa morborum incidit mentio, perpetuò efficientem intelligi. Subiectũ à causæ appellatione remoueri. Quamobrem non satis cumulatè rem videremur explicuisse, si diceremus à causis morborum constitutines atque accessiones indicari, neque adderemus etiam à subiectis. Subiecta porrò commodiùs sub morbi appellatione complectimur, quã sub causis, vt pote quæ morborum non causarum definitionem ingrediuntur, eorumque complent essentiam, nam accidentis esse est inesse: nec aliter ipsum definiri melius potest quàm per subiectũ. Addo plures morborum differentias nomen à subiectis mutuari, qualis hectica, pleuritis, nephiritis, hæpatitis. Quemadmodum ergô horum morborum appellatione subiecta connotamus, ita quoque nõ ineptè sub morbis subiecta collocamus. Denique morbos plerosque ante nominamus quàm nobis in mentem veniant eorum subiecta, vel causæ: ante quoque ex ipso morbi nomine breuitatem aut longitudinem inferimus; quàm ad subiecta vel causas mentem reflectamus: iure itaque morbos inter signa constitutiones, & aceessiones præmonstrantia cum Hippocrate reponimus.

Ad postremum argumentum respondemus postapparantia vocata non hìc spectari vt

ſymptomata, ſed vt naturæ, vel morbi operum indicia; quorum præ ſe ferunt notas in quantitate, qualitate, ſubſtantia, prodeundi tempore & modo. Ex cita namque facili & recta operatione naturæ, ex laudabili & prompta coctione, breuem, facilem, & ſalutarem affectum, ex contrarijs contraria deducimus.

Elicitur ex dictis neque mancum, neque ſuperfluum fuiſſe Hippocratem in enumeratione ſignorum, ſatis eſſe præfata quatuor, ad quæ cætera referamus: morbos nimirum, ſub quibus reponũtur ſubiecta, 2. anni tempora, quæ cauſas omnes internas externaſque connotant. 3. ſucceſſiua circuituum incrementa, quibuſcum & ſymptomata augentur. Naturæ denique & morbi operationes in excrementis conſpicuæ poſtapparentium voce comprædhenduntur. Symptomata non ad circuituum ſolum incrementa referri poſſunt, ſed ad cætera quoque: ab morbos quidem vt pote à quibus fluunt: ad cauſas vt pote quarum immediata ſunt ſigna. Ad poſtapparentia, vt quæ à Galeno ſymptomatum nomine donantur.

Supereſt de alijs ſignorum generibus difficultas, quam paucis explicemus.



An alia signa præter postapparentia futuras morborum constitutiones denotent?

QVÆSTIO TERTIA.

QVi benè distinguit (vt in prouerbio est) benè docet, nos itaque ad claram & facilem doctrinam præsentem de signis disputationem à distinctione ordiamur. Illud in primis monēdus lector, nos indicij, signi, notæ coniecturæ nomē hic & in præcedentibus promiscuè vsurpare, licet non ignoremus τοῦ σημείου, καὶ τεκμηρίου diuersam esse in Galeno acceptionē. τεκμήριον vocat (quod nos indicium vertimus) certum signum à demonstratione petitum. σημεῖον verò signum infidum quod ab obseruatione nascitur. Addita signo certi aut incerti, fidi aut infidi vox, difficultatem omnem & controuersiam eximet. Iam ad rem.

Signum genere triplex est ἀναμνηστικὸν, διαγνωστικὸν, προγνωστικὸν memoratiuum, demonstratiuum, prognosticū. Memoratiuum quæcunque prægressa sunt memoriæ obijcit, quamobrem distinctam speciem in se quidem efficit, sed cùm ad alia ordinetur ad ipsa videtur referendum, memoratiui quippe

finis eſt ex præteritorum recordatione nos ad præſentium aut futurorum cognationem traducere. Diagnoſticū ſtatum duntaxat præſentem demōſtrat. Prognoſticum, futurum præuidet & prænuntiat.

De diagnoſticis alibi, de prognoſticis nunc inſtituenda oratio. Horum quatuor genera vulgô ſtatuuntur, quædam ſunt coctionis, aut cruditatis, quædam decretoria, quædam ſalutis aut mortis, alia longitudinis aut breuitatis. De his vltimis ſuſcepta quæſtio vtrum ſcilicèt præter poſtapparentia alia reperiantur, ſigna longitudinis aut breuitatis?

Pat holog. Libr. 2. c. 7. Prognoſtica non continuò vt morbus inuadit, ſed aliquantò poſt tempore ſe proferunt (inquit doctiſſimus Fernelius) hincque mox apparentia & ſuperuenientia nuncupantur. Sola ergò poſtapparētia ſigna ſunt prognoſtica, ex Fernelij mente cui ſuffragari videtur noſter Hippocrates in hoc Aphoriſmo, vbi aliorum ſignorum quàm poſtapparentium nominatim nullam mentionem facit. Eidem aſſentitur commentarius Galeni, in quo tria quidem proferuntur genera ſignorum Pathognomonica, aſſidentia, & Epiphænomena, ſed cum neque ex Pathognomonicis, neque ex aſſidentibus vllum conferre ad prognoſim quicquam videat, tandem concludit, ex mox apparentibus igitur totā iubet Hippocrates conſtitutionem coniectari.

At ſigna temporum morbi prognoſtica

multæ lectionis & doctrinæ vir Mercurialis in præapparentia diuidit & postapparentia προφαινόμενα vocat quæ vel ante tempora, vel vnà cum ipsis manifestãtur, ἐπιφαινόμενα, quæ non antè apparent quàm ipsa abierint. Priora à tribus petit fontibus, à specie nimirum morbi, à tempore, & ab accessionibus. Posteriora subdiuidit in signa coctionis & cruditatis, & decretoria.

Speciem morbi appellat acutiem vel tarditatem, quorum vtrũque ex morbi materia colligit, ex eiusdem motu, atque ex ægrotantis facie & viribus. Hæc Mercurialis opinio.

Quæ sanè in summa distinctione summè mihi videtur cõfusa, vt meritò suspicier multa vndequaque in illius praxim inserta parum fideliter, aut satis oscitanter recognita: quæ ad rem præsentem sunt, in iuuenum gratiam ad examen reuocemus.

In primis allatas præ apparentiũ & postapparentiũ descriptiones admittere nullo modo possum. Præapparentium quidem appellationi repugnat vnà cum morbi temporibus prodire ac prætereà assidentia cum præapparentibus hæc clausula confundit, vti ex allegatis exemplis apertè conuincitur.

Nam acuties, & tarditas morbi, & facies ægrotantis, quæ ad præapparẽtia retulit Mercurialis ex numero sunt assidentium quippe aliquando simul inuadunt, aliquandò superueniunt, nonnunquam neque omninò veni-

unt, neque enim sunt á morbis inseparabilia neque eorum veluti substantiam cōstituunt sed multorum sunt communia; ad idem planè genus referenda, ac ista quæ á Galeno numerātur; nempe quod vel ad Hypochondriam pertingat dolor, vel ad clauim, vel quod faciliùs in latus ægrum quam in alterum decumbat Pleuriticus.

Si verô non antê apparent Epiphænomena quàm tempora abierint, qua ratione futurorum temporum erunt prognostica? describta illo modo Prôphænomena ab ijsdem fontibus deriuat Mercurialis, à quibus sua signa noster Hippocrates, à morbi nimirum specie, à tempore, ab accessionibus, sed alio sensu quàm interpretetur Galenus. Per morbi speciem, acutiem, aut tarditatem intelligit Mercurialis, non item Galenus, sed propriam cuiusque differentiam, & ita intelligendus Hippocrates, nam ex specie morbi futuras accessiones præuidet, quas ex acutie aut tarditate non benê desumpseris. Quotidiana exempli causa, & quartana, ambæ tardo feruntur gressu, sed hæc quarto quoque die accessiones habet, illa quotidie. Laterali morbo, Phrenitidi continuis, & continentibus febribus adest acuties, at diuersus exacerbationum circuitus, quem probê ex peculiari cuiusque morbi differentia definieris. Longè grauiùs videtur intricatus dum acutiem & tarditatem ex quatuor indicijs venatur, ex morbi motu, ex materia, ex facie

ægrotantis, & viribus: quidni & ex ætate, & ex pulsibus, quæ sub tempore complectitur? Quidni ex tempore ipso, & regione? Cur temperaturæ, consuetudinis, vitæ instituti & aliorum, quæ parem cum prioribus vim habent, nullam mentionem facit? sed confutare exactiùs singula quid iuuat? Aliam potiùs quæsiti solutionem indagemus, & sub alio duce.

Præter præapparentia, & postapparentia, est tertium quoddam signorum genus assides nuncupatum, Pathognomonico oppositum, Pathognomonica enim seiungi à morbo nequeunt, simul cum eo incipiunt & desinunt eius essentiam perpetuò comitantur (comitantia idcircò à quibusdam nominantur, & simul apparentia) assidentia contra morbi essentiã veluti circumstant, vndè συνεδρεύοντα hoc est circumstantia Græcis dicta: hæc quãdoque cum morbo irrepunt, quandoque superueniunt, absunt etiam nonnunquã, quare nec propria sunt, nec inseparabilia. Pathognomonica non vlteriùs in morbi constitutionis prænotionem nos promouent, quàm morbus ipse ad quem proinde referenda sunt. A cœteris omnibus signorũ generibus, puta præapparentibus, assidentibus, & postapparentibus hanc ipsam qua de agitur prænotionem mutuari licet.

Ita fecit hoc loco noster Hippocrates, non enim à lõgitudinis & breuitatis prognosi præapparentia & assidentia exclusit, dum ip-

ſorum expreſſè & explicitè nullum habuit ſermonem. Morbi & anni tempora ab eo commemorata in præapparentium album adſcribuntur, conſtitutiones enim vel tempore præcedunt vel natura. Morbi quidem vel facti ſunt vel in fieri: qui in fieri, futuram conſtitutionem tempore præcedunt, qui facti natura, ſaltem: priùs enim natura eſt morbum eſſe, quàm vel longum eſſe, vel breuem. Anni tempora, & quæ ſub ipſis à Galeno collocantur, præſente nonnunquam eo quem procrearunt affectu commutantur, non enim præſentia ſolùm ad hanc cognitionem conferunt, ſed vt plurimum quoque antegreſſa. Acceſſionum incrementa ſignorũ aſſidentium nomine continentur. Hæc incrementa ex anticipatione, longitudine, & vehementia acceſſionis colligit Galenus, quorum aliqua in ipſa morbi nonnunquam inuaſione ſummum adipiſcuntur augmentum, vt in Paracmaſticis vocatis febribus quæ à principio extremam vehementiam nactæ, mox ad finem vſque aſſiduè decreſcunt. Superueniunt quandoque aliqua, vel ſimul omnia: aliàs omninò non adſunt, vt anticipatio in illis febribus, quæ vel manifeſtis carẽt circuitibus, vel quæ vna acceſſione plura tẽpora decurrunt. Sed neque alienus eſt à noſtra ſententia Galenus, cùm Pathognomonicorum & aſſidentium ſignorum mentione facta, ſubijcit ex poſtapparentibus totam morbi conſtitutionem ab Hippocrate præ-

nuntiari: hac enim clausula priora illa ab Hippocratis instituto non reijcit, sed solùm à posteriore Aphorismi parte, in qua de solis superuenientibus habetur oratio.

Minimè quoque nobis aduersatur Fernelius: is enim prognostica diuidit in signa coctionis & cruditatis, salutis & mortis, & decretoria: nobis de signis longitudinis & breuitatis suscepta tractatio. Illa non continuò vt morbus insilit, sed aliquantò post tempore se proferunt, horum plurima illicò sese produnt, imò & præcedunt. Nos quidem (inquit Galenus) cùm statim prima die febrium quartanarum initia sæpè cognouissemus, non expectata secunda accessione summam victus constituimus, tanquàm ad morbum qui longo post tempore esset ad vigorem peruenturus: idem in quotidiana, & tertiana fecimus tempus futuri vigoris in vtrisque secundum proprium terminum metientes: at coctionis signa principium illud terminant, quod totius morbi pars est. Signa salutis aut mortis protinùs se non exerunt, quam ob causam in quiebat Hippocrates acutorum morborũ non omninò certa esse signa salutis aut mortis (circa initia intellige) decretoria cum primo exquisitè morborum principio incidere nullo modo possunt. Sola ergô postapparentia ad has prænotiones iure à Fernelio adhibentur.

Multa hoc loco agitari in vtrumque possent circa Aphorismum nostrum valdè im-

plicita atque cõtrouersa, quæ paucis & breuibus quantùm fieri poterit dubitationibus lubet perstringere, ne aut longiores consultò fuisse, aut fidelis interpretis partibus videamur defuisse.

Prima dubitatio. Quid morbi nomine intelligamus in hoc Aphorismo?

PRæcedenti quæstione Mercurialis opinionẽ audiuimus, & confutauimus: nostra est, morbi nomine tria contineri morbi speciem, morem, & motum ex quorum singulis eiusdem constitutio innotescit. De specie diximus.

De more loquutus Hippocrates, simplicissimas ait febres & signis firmatas securissimis quarto die aut citiùs desinere. Deterrimas ac signis affligentes difficillimis quarto die aut citiùs interimere illas εὐήθεις vocat mites & placidas vel boni moris licet appellare. Has κακοήθεις hoc est prauas, mali moris, aut maleficas. De motu certum est morbos quò citiùs mouentur, citiùs finiri: sic acutissimorum quartus est terminus. Qui de acutis nonnihil remittunt ad septimum progrediuntur: qui non ita velociter feruntur ad decimum quartũ, aut vigesimum. Qui lento procedunt gradu, ad quadragesimũ: qui tar-

dissimo, ad menses & annos protrahuntur.

Quæres, quidni etiam morbi magnitudinem morbi nomine comprӕhendis? nempè quia ad lõgitudinẽ & breuitatem ipsa ex se est indifferẽs, nam cum longitudine & breuitate magnitudo morbi, & paruitas conplicantur.

Secunda dubitatio. Quibus indicijs morbi speciem, magnitudinem, morem, motumque distinguamus?

Differentiæ morbi cognitionem ex quatuor fontibus eruit Galenus, ex loci natura, excretorum specie, doloris proprietate, & accidentibus proprijs. Quæ hanc certò designant nos demonstratiua & comitantia signa nominauim⁹, Græci παθογνομωνικά: quæ si perpetuò caderent in Medici cognitionẽ aut sensum, non ita laboriosè (vt solemus) in idea morborũ peruestigãda occuparemur. Horũ defectu ad cõiecturas artificiales recurrendũ, quæ neq; demõstratiuæ sunt, neque à veritate longè dissitæ, mediũ quodãmodo inter exactam notitiam & omnifariam ignorantiam sortiantur. Pathognomonica Pleuritidis exempli loco hæc in commentario quinque retulimus. Febrem continuam accenso nimirum corde viciniæ ratione. Tus-

1. de locis aff. cap. 5.

Gal. 1. de loc. aff. 1.

sim, materia sensim in pulmones & trachæam exudante: spirationem difficilem, propter instrumentorum compressionẽ & angustiam, & auctum à vehementi incendio respirationis vsum. Pungentem lateris dolorem, dolorem quidem ab intemperie & distentione. Pungentem quia membranam obsidet. Pulsum durum & inæqualẽ, serratum vno verbo dixeris: durus est ratione pleuræ quæ dura & sicca est vt potè membranea. Inæqualis, ob inæqualem arteriarum Discrasiam.

Magnitudinem morbi in triplici genere Aphorismo tertio collocauimus, in ipsa morbi essentia, in symptomatis, in affecta parte. De morbi essentia hactenꝰ satis. Symptomatum vehementia externis sensibus obuia est. Affectæ sedis notas quinque percensuit Galenus, illis enim præfatis quatuor quibus in affectus notitiam ducimur addit actionis læsionem.

1. de locis. affectis 5.

Morbi morem, ex symptomatum numero, frequentia, leuitate, vel atrocitate, vel prauitate colligimus. Sic liuidus aut niger color in malignis habentur indicijs, vt quæ natiui caloris extinctionem ambo denunciant.

Liuiditas quidem perpetuò. Quæ linent in febribus mortem in propinquo esse prænuntiant, ait Hippocrates. Nigredo non semper, accidit enim quandoque ex melancholici humoris decubitu. Sic deliria, conuulsiones, vehementes iactationes, aliaque id genus, nisi Criticè eueniant, in febribus acutis Dele-

In coacis 1. 68.

tis Deleteria: sic magna corporis sine manifesta causa consumptio, calorem adurentem, prauosque & malignos succos indicat.

Morbi denique motus ijsdem deprahenditur notis quibus temporum morbi mutatio. Ex veloci quippè & præcipiti circuituum incremento, ex coctione confestim prodeunte, morbum ad vigorem celeri ac præcipiti gressu ferri cognoscimus.

Tertia dubitatio. Cur virtutem prætermiserit Hippocrates, & an aliquid in rem præsentem conferat?

QVod de morbi magnitudine paulò antè statuimus, idem hoc loco de virtute statuendum: vtrumque ex se nullas breuis aut longi morbi notas exhibet: non enim valent simpliciter hæ consequentiæ, magnus est morbus, ergô longus. Valida est virtus, ergô breuis affectus. Non etiam istæ contrariæ. Magnus est morbus, ergô breuis, Debilis virtus, ergô lõgus morbus. Cadit vtrinque pariter longitudo & breuitas. Qua ergô ratione morbi magnitudinem aut paruitatem complecti sub morbo in præsentia noluimus, eadẽ motus Hippocrates virtutem à signorum constitutionẽ indicantium numero exclusit.

Adnotent hic iuniores nos morbi magnitudini, & virium robori constitutionis significationem haud quaquàm omni ex parte denegare. In se quidem seorsim spectata nil promouent, secus est si ambo inter sese conferantur.

4. Aph 49 In febre continua si labrum, aut supercilium, aut nasus, aut oculus, subuertantur, si neque videat neque audiat, quodcunque horum acciderit debili iam existente corpore mors in propinquo est, ait Hippocrates, his verbis propinquum interitum non separatim ex morbi aut symptomatum vehementia deducit, non ex sola etiam facultatis imbecillitate, sed ex vtriusque inuicem collatione. Pari modo virtutem cum morbi magnitudine comparantes de constitutione iudicium feremus.

Circa quod aduertendum variè in sua intentione se habere morbum, varios quoque esse virtutis status, variè vtraque inter se copulari, Morbus vel magnus est, vel mediocris, vel paruus. Virtus, vel fortis, & valida est, vel mediocris aut debilis.

Si virtus fortis non magno morbo colluctetur, tantò breuiorem hunc fore sperãdum est, quantò illa retundendis eius conatibus atque infrigendis efficacior.

Si cum magno itidem morbo vis sit mediocris, ex impari congressu, vel viriũ lapsus vel morbi longitudo expectetur, suas vires explere virtus impar non potest nisi longi-

ore mora. Sin hæc debilis reperiatur, ille vehemens, quæ reliqua spes? propinqua certaque mors, vel longo interuallo dissita, incertaque salus; non enim longum stadium cursor infirmus citò decurrerit. Tantò verò illa certior, hæc incertior, quãtò maior vtrinque ad extrema fuerit recessus.

De virtute forti aut mediocri aut debili ad morbum mediocrem aut paruum comparata, proportione Philosophandum. Non ita tamen vt cum virtute forti morbum necessariò breuem fore, ne si exiguus quidem ipse, sit, arbitremur: quartanam enim quam febrium omnium (putridarum intellige) leuissimam ac tutissimam prodidit summus Hippocrates, etiam cum viribus constantibus longissimam experimur: sed illud saltem perpetuum & indubitatum censeri debet, morbum cuius salutaris æstimatur exitus, cum virtute forti, quàm cum mediocri, aut inualida breuiorem fore, morbum lethalem cum validiore quàm cum imbecilli facultate longiorem. Validior quippè vis se non omninò ab intertu vindicat, morbo, & morbificæ causæ, ac symptomatis diutiùs obsistit, mortis proinde aduentum remoratur. E contra vis debilior vel promptiùs hosti se dat in prædam, vel diuturno spatio ad morbi coctionem solutionemque indiget. Itaque quod de morbi magnitudine asserimus, ad causas & symptomata debet extendi. *1. Epid. co. 3. t. 4.*

Sed lõgè aliter à nobis sentit Mercurialis: *Lib. 5. pr.*

ſi vires validæ paruo morbo connectantur, ſemper inquit, indicant morbum breuem, ſi quidẽ facilè eſt vt infirmus hoſtis citò ab aduerſariò valido ſuperetur. Si autem coniungantur vires validæ morbo valido, metuenda ſemper morbi longitudo, ſicut experientia comprobatur, pugnas inter validos certatores longas eſſe & pertinaces. Contra, ſi vires infirmæ copulentur morbo magno, neceſſe eſt, vt citò res finiatur, & ideò huiuſmodi caſu vires infirmæ ſemper ſignificant morbum eſſe acutum, & ſtatum eſſe proximum; vt ſi morbus ſit paruus & vires infirmæ potiùs metuendum de diuturnitate quàm de celeritate. Hæc ille partim abſurda, partim valdè obſcura & inuoluta, vt meritò monitos velim lectores ne ante in eius opiniones deſcendant, quàm ſingula ad amuſſim excuſſerint, multa enim eius errore qui hæc ab auctore non tam dictante, quàm diſcurrente excepta, typis mandauit: præter rationem, prætereque auctoris mentem inſerta arbitror. Iſta breuibus expendamus.

Vires validas cum paruo morbo coniũctas ſemper indicare morbum breuem, falſum eſſe demonſtrauimus exemplo quartanæ. Illud ſanè admiſimus quartanam ſalutarẽ cum valida virtute quàm cum infirmiore fore breuiorẽ. Sin lethalis ſit (vt in ſenibus quandoque propter debilitatem virtutis, & in iuuenibus propter errores (quo firmiores erunt vires, eò febrem longiorẽ futuram. Rationem

vtriusq; assignauimus. At infirmus hostis (inquit ille) ab aduersario potenti & vegeto citò superatur. Respõdeo quartanam quidem leuem esse & tutam, leuem quoniam longa habet, integraque interualla. Tutam, ex se enim iugulat neminem, imoverò à lepra, melancholia, Epilepsia, cæterisque ab Hippocrate & Galeno commemoratis affectibus vindicat. Est tamen solutu contumax & rebellis: tanta quippe morbifici humoris est crassities cum lentore coniuncta, quantam ne potens quidem vis citò excusserit. Atra enim bilis inter omnes corporis humores maximè viscida est & summè diuturnas sedes facit, inquit Hippocrates, Quod autẽ quartanæ atræ bilis sint participes hinc probat, quòd autũno maximè grassentur, & à quinto & vigesimo anno ad quintum & quadragesimum.

Falsum quoque est vires validas cum morbo valido longitudinem perpetuò minari:. Claudicat altero pede quæ in confirmationem affertur similitudo, longa nãque inter validos Athletas pugna est, quia valid⁹ vtrinque congressus & valida resistentia. Validum vtrinque inter validum morbum & valentes vires certamen, sed qui vehementiùs oppetunt morbi, non ijdẽ reluctãti naturæ, & mutuò agenti vehementiùs obsistunt, inter qualitates quæ magis actiuæ æstimantur minùs sunt ad restituendum idoneæ. Pari modo acutorum violenta promptaque est actio,

materiæ tenuitas aduerſum naturæ conatum firma infractaque ſuſtinere diu non poteſt, quanquam eſt ad nocendum inſtructior atque paratior. Interim manifeſta ſe prodit hoc loco cõtradictio in Mercurialis placitis. Nam ſi morbus quicũque validus cum valida virtute longitudinem præſagit, hanc ipſam præſagiet acutus vt potè validus. Sed omnis acutus breuis natura ſua eſt, ergô poſita virtute forti ſimùl erit longus & breuis; longus, propter facultatis robur; breuis ex propria natura. Dicendum potius è contrariò acutum cum valida quã cum debili virtute hoc ipſo breuiorẽ, quod à potentiori quàm infirmiori hoſte citiùs & faciliùs edometur.

Quod additur neceſſe eſt, vt res citò finiatur ſi quando vires infirmæ cum valido morbo concurrant, parum diſtinctè pronuntiatum cenſeo. In lethalibus certè affectibus trãſeat: in ſalutaribus pernego: virtutis enim infirmitas mora compenſatur. Quare hoc caſu non ſemper infirmæ vires acutum eſſe morbum ſignificant, niſi pariter lethalem ſupponamus. Et lethali ſuppoſito, non ſemper ſtatum proximum portendunt, niſi fortè proximum id appellemus quod nunquam futurum ſperamus, in validis enim affectibus vis debilis frequenter ante vigorem concidit atque exoluitur.

Vltimò ex virtute debili cum paruo morbo dimicante: perperam infertur diuturnum potiùs fore morbum quàm breuem, morbi

differentia ſpectanda eſt, quæ ſi ex breuium genere, breuis etiam fuerit cum infirma facultate, longior tamen quàm cum valente. Sed hæ longitudinis cauſæ faciunt nos inſtituto noſtro longiores, cœteras proſequamur.

Dubitatio quarta. In quo conſiſtant circuituum incrementa & quæ ipſorum cauſæ?

CIrcuituum increméta in tribus conſiſtere Galeni decreto ratum, ſanctumque accepimus, in anticipatione, longitudine & vehementia. Nunc ſingulorum cauſæ declarandæ.

Cauſæ vel internæ ſunt vel externæ. Quæcunque circa victus formam committũtur errata circuituum ordinem euertunt. *2. de diff. fe. Vltimo*

Quemadmodum enim in ipſis quoque ſanis deprauata vitæ ratio ægrotandi occaſionem præbet, eodem, vt arbitror, modo, vel etiam magis in laborantibus ex commiſſis erroribus fiunt acceſſiones. Quodcũque igitur offenſionis genus effatu dignum interuenerit, vel circuitus anticipare, vel alios diuerſæ à prioribus naturæ oriri neceſſe eſt, à quibus acceſſionum ordo ſubuertitur. His Galenus in genere externas cauſas retulit ad errores. Hi autem vel ad Medicos pertinent,

vel ad ægrotos, vel ad aſſiſtentes vel ad exteriora ex liberaliore potu vini præſertim meracioris, ex importuna cibi oblatione, ex animi pathematis, ex propinato die acceſſionis cathartico, ex ſomno circa acceſſionis inuaſionem, inæqualitatem vel augmentum, nunc citiùs irrepit paroxyſmus: aliàs diutiùs protrahitur, aliàs vehementius efferatur, aliàs in his omnibus augeſcit, nullo tamen futuræ conſtitutionis augurio. Quamobrem ad internas cauſas veniamus

Anticipationis cauſam duplicem agnoſcimus, alteram in efficiente, alteram in materia. Efficiens calor eſt extraneus qui ſenſim progreſſu temporis adauctus materiã promptiùs exagitat. Materia, humor eſt morbificus qui feruidior, & tenuior redditus celeriùs excandeſcit, & proritat expultricem.

Vehementiæ non alias quàm anticipationis cauſas ponimus. Putredo quidem quò vehementiùs accenditur, eô maiores tragædias excitat. Humor putridus ſuccenſus & incaleſcens ſua acrimonia ferit & furit eô atrociùs, quò ſeſe altiùs in omnes diffundit partes, & quaquauerſum excuſſo veluti freno partium tenuitate permeans, neque vt anteà cohibitus atque coërcitus ſua vel ſubſtantia, vel tetris vaporibus, offendit vtrumque cùm celeriter in morbis cernitur, celerem quoque morbi motum auguratur.

2. de diff. febr. Vltimo. Longitudinis triplicem cauſam aſſignat Galenus, materiæ multitudinem, craſſitiem

& lentorem; potentiæ imbecillitatem; & meatuum anguſtiam. Materiæ quidem multitudo non ita promptè, vt paucitas edomatur, atque expellitur. Lentor & craſſities diſſolutionem remorantur. Quò potentia vegetior extiterit, eò promptiùs alienũ onus excutit. Raritas corporis, quod per ipſum defertur non cohibet, aut diſtinet, quare neceſſum eſt vt qui ita fuerint affecti (modò cœtera conſentiant) citò à ſuperfluis liberentur. In progreſſu præter haſce cauſas duas alias percenſet idem Galenus his omnibus communes, quarũ vtraque ſeriò ad prognoſim diſcernenda ne aberremus. Prima eſt cùm humor aliquis tranſmigrat in alterius naturam: putreſcentis nempè ſanguinis pars vna in flauam bilem, altera in nigram: quantum enim in ægrotantium corpore tranſmutantur humores, tantum & acceſſionũ periodi. Altera eſt cum non eadem humorum ſpecies ac multitudo, neque in omnibus partibus æqualiter inceditur atque diſcutitur. *Ibidem*

Nimirum qui putreſcere incipit humor in aliquo mẽbro alter exiſtit, alter verò ex alijs defluit, qui vel in ipſis ſolis cõtinebatur, aut in vniuerſo corpore redũdabat. In hac humorũ diuerſitate quæ plura ſunt, frigidiora, craſſiora, viſcidiora, longiores faciunt acceſſiones, quæ pauciora, calidiora, ſubtiliora, breuiores. Itidemque promptiores, ac vehementiores, aut tardiores, atque leuiores pro ſua cuiuſque ratione.

Quinta dubitatio. Quomodò ex circuituum incrementis in futurarum constitutionũ cognitionem veniamus?

CIrcuituum incrementa cùm ab externis causis procedunt, nullam hac in cognitione vim conferunt. Si ab humorum varietate pendeant. Longitudinem potiùs quàm breuitatem denuntiant, quemadmodum & ipsa humorum varietas: sin ab humorum transmutatione eius humoris in quem commeant sequuntur ideam. Sed neque seorsim sumptæ singulæ incrementorum differentiæ morbi augmentum necessariò commonstrant. Sunt sæpè in principio morbi longiores accessiones quàm in progressu, propter materiæ multitudinẽ, frigiditatem, crassitiem, lentorem, quæ in progressu imminuitur, incalescit, attenuatur. Sunt in statu vehementiores, in statu quippe omnia vehementissima; sunt in declinatione promptiores, pauca namque & subtilis materia promptiùs agitatur, agitata exacerbationes parit. Quamobrem simul omnes, aut plures concurrant oportet.

Dices qui fieri potest vt longior in augmento fiat paroxysmus cùm adaucto putre-

dinis, feruore incalescens, atque attenuatus humor citiùs euanescat? Respondeo minorem in principio pugnam esse, citiùs proindé terminari. Instabis minùs durare violenta.

Instantiam admitto si paria ponantur cætera; sed in principio vis est vegetior, quàm in progressu, morbus autem leuior & quietior, ex impari progressu breuior conflictus. Increscente quidem morbo increscit putredo, nō sola qualitate sed & mole, hinc pugna Q. Apho. 30.
grauior & diuturnior. Admittendum tamen in aliquibus obiectum argumentum.

Aduertendum Colophonis loco circuituū incrementa non solum augmentum, hoc est secundùm morbi tempus compræhēdere, sed & statum quoque: quoniam in statu summum incrementum morbus consequitur: itaque vt ex summo incremento statum præsentē, ita ex consequenti, citò terminandum affectum concludimus.

Sexta dubitatio. Quid portendant postapparentia?

DVo ex postapparentibus in Aphorismo colligit Hippocrates, καὶ δύσκριτα (inquit) καὶ εὔκριτα, καὶ βραχέα καὶ μακρὰ τὰ νοσήματα ἐπιφαινόμενα δηλοῖ & iudicatu faciles & difficiles, & longos, & breues morbos postapparentia ostendunt. Nos facilioris doctrinæ gratia τὰ ἐπιφαινόμενα diuidamus

in signa coctionis & cruditatis, & in κρίσιμα, id est decretoria: vtraque rursus in signa lõgitudinis & breuitatis, de quibus in sequenquentibus dubitationibus.

Septima dubitatio. Quæ dicantur signa coctionis & cruditatis? Quæ decretoria? Et quotuplicia?

Signa coctionis dicuntur, quæ notas coctionis exhibent: signa cruditatis, quæ nullam præ se ferunt coctionem: illa positiua sunt, hæc negatiua. Coctionis, alia sunt debilis, alia manifestæ, alia perfectæ: & hui⁹, alia perfecta, alia imperfecta. Signa coctionis debilis, ea sunt, quæ rudia tantum illius lineamenta adumbrant. Manifestæ, cùm iam manifestò sese prodit in excrementis naturæ actio. Perfectæ, cùm planè euictæ atque edomitæ causæ morbificæ notæ prodeunt.

Et hæ quidem si suis sunt muneris absolutæ, perfectæ vndequaque victoriæ nos reddunt certiores; sin aliquid sit quod desideres, non omninò perfectæ.

Ad signa cruditatis negatiua quæ ex sola coctionis negatione percipiuntur, alia quædam positiua referimus, corruptionis scilicet aut prauitatis. Prauitatis qualia in malignis vlceribus in pure visuntur.

Corruptionis, qualia in Sphacelismo.

Decretoria sunt, quæ vel futuram crisim, vel præsentem nuntiant: illa præcedentia dicuntur, hæc concomitantia.

Præcedentium alia securitatem pollicentur, vt coctio. Alia diem, tempusque futurum præmonstrant, vt humoris motus, & exacerbatio. Alia instantem notant, vt signa perturbationis Criticæ: quibus enim Crisis aduenit ijs nox ante accessionem difficilis.

His adderem consequentia, ad quæ refertur hæc vltima modò allati Aphorismi clausula (quæ verò sequitur magna ex parte leuior existit) sed hui⁹ non sunt cõsiderationis. Antecedentium porrò quædam sunt vniuersalia Crisib⁹ omnibus communia, vt vigiliæ, spirandi difficultas præter rationem, pulsus inæqualitas, sitis vehemens, iactatio corporis, & alia id genus, quæ humorum motum, & inde excitatos fumos consequuntur. Alia sunt particularia & propria, quæ 2. Apho. 13.
speciem cuiusque Crisis exprimunt: vt ructus, flatus, ventris crepitus, & inflatio, lumborum dolor futurum ventris profluuiũ denotant. Sanguinis verò fluxum è naribus, faciei rubor, grauis capitis dolor, pulsatio temporum & quæ passim ab Hippocrate annotantur, quæ passim ex prognosticis, & Epidemijs congeret lector curiosus.

Quæ concomittantia appellamus, signa simul sunt & causæ Criticæ, nempè excretio, & abscessus. Excretionum multiplices

ſunt differentiæ, aliæ namque fiunt per deiectionem, aliæ per vomitum, nonnullæ per vrinas, quædam per ſudores, aliæ per ſanguinis effluxus ex naribus, vtero, hæmorrhoidibus, Nobis de alui tantùm deiectionibus, vrinis & ſudoribus ſermo erit, quoniam de his ſolùm mentionem facit noſter Aphoriſmus; abſceſſus nomen non de veris ſolùm abſceſſibus debet accipi, ſed de Exanthematis Ectimatis, papulis, & efflorefcentijs, aut quibuſcunque eruptionibus.

Octaua dubitatio. Quomodo differant ſigna coctionis, & decretoria?

Galenus in comm. COctionis ſigna nunquam in primo ſtatim morbi principio ſeu tẽpore ſe ſe exerunt, at illud finiunt; quãdocunque tandem

1. Epid. ſect. 2. t. 45. ſupponantur, habenda in bonis, indicij celeritatem, firmitatemque portendunt. Et quò citiùs viſuntur, eò promptiùs ſanitatem affore promittunt, naturæ quippè validam actionem perpetuò demonſtrant, & victoriam. Cruditatis ſigna diutinũ quidem

Gal 1. de Criſib' 14. morbum ex neceſſitate ſignificant, ex ſe tamen neque ſalutaria, neque lethalia.

Criſimæ cum primo exactè morborũ principio nuſquam inuadũt, ſed vel in augmento vel ſtatu. Inſida ſunt, & contraria ſigni-

ficant pro diuersis morborũ tẽporibus. Alio quidem tempore, & secundùm aliam dispositionem Critica sunt; aliàs vel symptomata, vel praua signa, vel omninò non decretoria. Capitis dolor (exempli gratia) delirium, vertigo tenebricosa, alui & vrinæ profluuia, sudores, & quæcunque his similia, stabile nihil indicant, decernentia proindè sunt & non decernentia, vel quia nullo modo decernunt, vel quia malè.

Sciscitabitur studiosus aliquis, quibus tandem coniecturis crisim perfectam dignoscamus. Huic quæsito satisfacit Hippocrates breuiter & suo more, si qualia (inquit) vacuentur, & quando, & qua parte & quantum opus est. Natam ex ista breuitate studiosis difficultatem breuibus explicemus. *6. Epid.* *1. Aphorismus 3.*

Per qualia, humoris species denotatur, humoris inquam molestantis, non alterius: nam si talia purgentur qualia purgari oportet, confert & leuiter ferunt, sin minus contra: hoc est si peccantes humores vacuentur laudabilis est Crisis, cuius bonitas ex conferentia & tolerantia tanquam signis consequentibus æstimatur.

Quandò, quatuor complectitur: primo morbi tempus, non enim verè crisima morbi initio possunt apparere, neque si appareant in augmento, certa sunt & tuta: sed eorum qui statim pereunt velociores sunt indicationes, quoniam dolores & continui & fortes. Quæ verò ad meliùs indicant non sta- *1. Epid. sect. 1.*

tim manifeſtantur. Secundò tempus coctionis, iſtud me docuit idem Hippocrates, hac quam præcedentibus ſubiungit ſententia, quæ præindicata ſunt, ſi crude indicata ſint recidiuæ fiunt? præindicata vocat, quæ ante tempus coctionis.

1. de morbis vulg. sect. 3. t. 15.

Tertiò diem notat hæc clauſula, ſi enim indiciũ fiat extra preſcriptos dies, recidiuas fore ſignificat, & fuerit ſanè pernicioſa: extra præſcriptos dies, hoc eſt extra criticos, quos textu præcedẽti enumerauerat. Quartò ſigna indicatoria, nam quæ ſine ſigno indicatione diſparent (ait diuinus ſenex) malè indicata ſunt. Poſtremum vtrumque ſignum is ipſe in prognoſticis vnico hoc textu compræhendit: ſi quibus febris deſinit non cum indicijs ſolutionis, neque in diebus decretorijs, recidiuam expectare oportet

1. Epi ſe. 3.
3. prognoſt. t. 22.

Quo loco horum duorum alterum adeſſe ſatis videtur Galeno. Quoties neutrum adſit eorũ quæ dixit Hippocrates, tunc expectanda, inquit, recidiua, non vbi alterum adſit, alterum deſit. Hanc autem præſentis ſententiæ rationem profert, quoniam quæ non ex ratione leuant recidiuam facere conſueuerant, quanquã diebus accidant decretorijs. At verò conſtat vt hæc non ex ratione leuent. Quæcunque neque cum indicijs ſolutionis, neque in diebus deſinunt indicatorijs.

In genere pro infidis & pericoloſis ea reputanda quæ ante tempus prodeunt, humoris enim efferatũ impetum potiùs quàm naturæ

1. Apho. 21.

turæ robur aut conatum arguunt.

Qua parte, familiares naturæ vias denotat, siue loca singularum partium euacuationi destinata, ξύμφεροντα Hippocrati appellata, quæ à Galeno in arte Medica percensentur.

Quantùm opus est, euacuationis modum dicit, & quantitatem. Confertim fieri debet critica vacuatio non paulatim; & vacuationis quantitas, vacuandi humoris quantitati respondere. Quæ paulatim fit excretio debilem naturæ facultatē ostendit, neque paucum quicquam criticum est, omne verò nimium naturæ inimicum. Pauci vomitus, biliosi mali, inquit in prognosticis Hippocrates: vbi excerni pauca in ægris vnū quoddem ex signis æstimat Galenus quæ ex toto prauitatem habent, siue sanguis per nares, siue deorsum per ventrem, siue per vomitus tale quippiam quod superfluum sit excernatur. Idem & in sudoribus, & his quæ per vterum egeruntur, nihil enim eorum quæ decretoria sunt exiguè secerni conuenit. Sed quæ ita vacuantur omnia duorum alterum subeunt, vel quod non queant tolerari ob copiam, vel imbecillitatem ostendunt naturæ expellere superflua proponentis, at impotentis. Hactenus Galenus.

Capite 94

2. Apho. 5.

1 prog. tex. 2. t. 47. & ibi Galen.

Signa quæcūque Crisima à præfatis legib⁹ se subducunt, vel Crisima esse desinunt, aut salutaria. Iam nunc ad particularia descendamus, quorum in Aphorismo quatuor species proponūtur. Sputa, quæ solius thoracis sunt

peculiaria & propria: vrinæ, alui excrementa & sudores, quæ toti corpori expurgãdo sunt idonea: quid singula proferant expẽdamus.

Nona dubitatio. Quid ex sputis præsagiendum?

2. prognost. t. 43. & 44.

AD laudabilem screationẽ tria ab Hippocrate desiderantur, nempè vt citò, & promptè excreetur, & flaua bilis admodum permista ipsi appareat. Citò hoc est circa initia ægrotationis. Promptè hoc est facilè & sine dolore: si multo post screetur flaua aut rufa, aut multam inferens tussim, aut non admodum permista deterior est. Cita quidem facilisque excretio à tribus pendet, à facultatis motricis robore, à partis dispositione, à materiæ conditione.

Valida facultas exactè inchoatum opus perficit, non in media functione subsistit aut deficit. Probè disposita pars illa est, quæ patentes habet meatus, itavt humoris effluxus non intercipiatur: vel quæ non admodum vehementi dolore infestatur, ratione cuius ab expulsione reuocet & interpellat in ipsa expellendi contentione ægrotantem. Ex parte materiæ requiritur quædã substantiæ moderatio. Quæ viscida & crassa, membris tenaciùs adhærescit, & ad motum inepta est. Quæ tenuis admodum & aquea, vi spiritus elata ad Tracheæ latera circumfluit; quæ

impermista est & syncera (solo excepto sanguine) prauam indicat affectionem.

r. de crisib. 18.

Legitimam porrò consistentiam sputa coctione adipiscuntur. Signa verò cruditatis & coctionis hæc Galenus annotauit. Nihil omninò exspuere, sed sicca tussi premi, tale quiddã est quod in vrinis extremè crudum & aquosum nominamus. Quod si expuatur quidem, sed adhuc tenue, occultæ debilisque coctionis est indicium: sputa pauca cocta manifestam proferunt coctionem. Multa exquisitè cocta, sine difficultate educta, perfectam. Coctionis signa proba sunt perpetuò & probanda. Vim caloris indicant, & materiam obsequentẽ. Cruditatis non semper improba, sed longitudinis quantum in se est demonstratiua. Praua sunt quæ anteà retulimus, flaua & crocea vt pote à flammeo calore oriunda: crassa quoque & viscida: vt quæ coctioni excretionique reluctantur. Spumantia quo solutu difficiliora, eò deteriora, nam & magnam flatus copiam indicant & humores crassos, atque glutinosos. Æruginosa, liuida, nigra, deleteria: illa quidem calorem feruidum vehementer exassantem: hæc præter assationem, vehemẽtem quoque sanguinis exsiccationem dènotant, aut extinctionem atque refrigerationem. Rotunda mentem emouent.

Hipp 6. Ep. sect. 6.

Quæret fortè quispiam, cur sputum statim apparens breuitatem polliceatur. Huic dubitationi satisfacit Galenus his verbis.

In comm. In quibus inflammationibus quæ non teguntur operculo denſiore, vt in ijs quæ externa occupant, quædam ſanies exudant ab initio quidem tenues, poſteà ſi coctionem accipiant & proficiant in melius, craſſiores. Si quæ verô inflammatio, cùm tãta ſit meatuum anguſtia, vt extra nihil præterfluat, coctu difficilem illam eſſe, & longo tempopore perdurare cenſendum eſt.

At ſputa illa ſtatim apparentia cruda ſunt inquies, quomodò ergô ſecuritatẽ & breuitatem oſtendunt? maximè cùm praua eſſe decretoria initio ſtatim prodeuntia, paulò antè ſit conſtitutũ? reſpondeo pleuritidis & febrium acutarum longè diuerſam eſſe rationem. Decretoria in febribus improbamus, ſi ſtatim ſe ſe exerant, quoniam parata primis diebus ad ſecretionem excretionemque eſſe nequit materia in toto venoſo genere contenta. Sputa verò, quanquàm incocta, quô citiùs excreantur, eò patentiores vias eſſe declarant, & humores magis fluidos & obſequentes, vnde coctionis facilitas & ſolutionis breuitas expectanda.

Dubitatio decima. Quæ ſigna ex vrinæ liquore depromẽda?

ILlud in primis aduertendum vrinam iecoris & venarum eſſe excrementum, iecoris proinde & venarum facultatẽ indicare

eiusdemque facultatis aut dominiũ, aut pugnam, aut debilitatem, aut exolutionem. Ex perfectæ coctionis signis naturæ victoriam auguramur, tantò certiorẽ, quantô ipsa perfectiora. Ex imperfectis pugnam, quæ tantò longior est, futura, quantò á perfectione longiùs recedunt. Ex debilibus debilem virtutis actionem, aut actionis principium. Ex cruditate, vel nullum adhuc naturæ cum morbo congressum, vel naturæ impotentiam, ex deprauationis & fœditatis indicijs virtutis lapsum, ac interitum tantò certiorem quantô illa prauiora. Ne te interim fallat si vesica ægrotans, aut renes talem aliquã reddiderint vrinam (inquit Hippocrates) non enim totius, non iecoris aut venarum, sed ipsius vesicæ aut renum præbebit coniecturam. Addo & expulsiones criticas accuratè spectandas, nigra criticè excernuntur atri humoris permistione suffusa prospero successu, extra crisim planè exitialia. Neque ignorandum ab externis immutari vrinarũ tum substantiam, tum quantitatem, tum colores, tum odores, quæ imprudentis Medici iudicium (nisi ad trutinam exactè reuocet singula) facilè eludant. *2. prognost. t. 37.*

His ita præfatis duo in vrina spectanda veniunt, liquor & contenta in liquore tria, substantia, quantitas, qualitas.

Substantiæ nomine, substantiæ modum intellige, qui vt diuersus est ita diuersas vrinæ differentias parit. Hinc alia dicitur tenuis,

alia crassa: alia mediocris. Ad substantiam referimus perspicuitatẽ, à qua triplex etiam oritur differentia. Nam vel vrina clara est & perspicua; vel turbida, & opaca, vel inter has media.

Hippocr. 2. prognoſt. t. 30. & 31.

Dum vrina tenuis fuerit incoctum morbum esse significat: quæ si talis excernatur in affectibus diuturnis, periculum est ne perdurare possit æger, donec morbus coquatur; si cœtera vt in conualituris indicia affuerint, in ijs abscessum ad sedes infra præcordia expectare oportet. Vrinæ ergô tenuitas ex se bona nunquam esse potest, vel enim cruditatem arguit, vel morbi longitudinẽ, vel recidiuas, aut mortem. Hæc in febribus continuis accipe, non in ijs affectibus quorum materia extra venas delitescens, nullum sui aut rude admodum incertumque in vrinis specimen exhibet. Gibbam hepatis partem excipio, renes, vreteras, vesicam, in quorũ obstructionibus tales eminguntur. In febrib⁹ vrinæ tenuitas vel à debili calore naturali oritur, vel ab extraneo excedente. Diuturnitatem quoque minatur vrina crassior, aut morbi recursum, aut prauos abscessus, aut ruinam, vt quæ vel ab humorum crassitie, varietate, copia nascitur, vel ab oppressæ naturæ imbecillitate, aut defectu, vel à vehementi frigore quasi concrescente, vel ab exuperantia caloris dissoluentis, exsiccantis, ac veluti assantis.

Hipp ibidem t. 34.

Galenus comm 2. Prognoſt. t. 38.

2. prognoſt t. 31.

Circa vrinæ crassitiem duo annotat Ga-

lenus. Primum est vrinam crassam si calorē habeat naturalem duplicem habere euentum, interdum ad mortem, interdum ad propinquam salutem, vti alia pleraque præter naturam per quæ corpus expurgatur. Alterum crassam ab Hippocrate dici vrinam quæ maximè & supra modum talis habeatur, quæ enim crassior simpliciter quàm naturalis existit, non admodum exitiosa: quæ mediocris, summè laudanda. Mediocrem porrò crassæ nomine donauit quandoque Hippocrates, ita intelligendus est Aphorismus septuagesimus sextus quartæ particulæ interprete Galeno, nam abusiuè quandoque & medio & mediocri extremorum nomina tribuuntur, cùm & ad maximè crassum, tenue, & ad maximè tenue, crassũ nominetur.

Verum audire mihi videor argutulum aliquem dum tenues vrinas aspernor, ista ex Hippocrate in contrarium obtrudentem, quibus vrinæ, crassæ, grumosæ, paucæ non sine febre multitudo veniens ex his tenuis iuuat. Hunc nodum soluit Galenus iuxta præfatam interpretationem tenuium nomine non simpliciter tenues, sed præcedentibus tenuiores intelligens, vrinæ enim grumosæ, & crassæ humorum crassiorum euacuata portione, & residuo concocto euadunt postmodum tenuiores; at non absolutè tenues: quæcunque ex crassis omninò tenues fiunt ἐκ δύσκριτα καὶ ἀβέβαια ægrè iudicantes, & inconstantes vocat idem Hippocrates.

4. Aphor. 69.

In comm. citati Aphoris.

Libro de indicationibus.

Vrinæ perſpicuæ caloris robur indicant, humoris bonitatem, & perfectã coctionem. Sed ab Hippocrate damnantur, inquies, quibus vrinæ perſpicuæ, & albæ malæ. Reſpondeo perſpicuæ, ſimul & albæ vrinæ, nomine aquoſam ſignificari, quæ reuera extremæ cruditatis eſt index, aut humoris bilioſi raptum in caput indicat in affectibus bilioſis, vnde phrenitis: à qua cum talibus vrinis neminem vnquam ſe curatum vidiſſe teſtatur Galenus. Nos cum colore laudabili laudabilem perpetuò vrinæ perſpicuitatẽ putamus.

4. Aphoriſ. 72.

Ad turbatam quod attinet neque ſemper laudata eſt, neque ſemper illaudata. Huius triplicem inuenio differentiam: quædã clara mingitur poſteà turbatur, & hæc iudicio eſt primum impendere coctionis rudimentum, materiam nempè coctione craſſeſcere, quæ initio erat tenuis: denſari enim egeſtiones oportet morbo ad indicationem tranſeunte, quare magna ex parte in febribus ex vrinis ab initio tenuibus, fit ad craſſiores conuerſio.

Hipp. lib. de indicijs Galen' 4. Aphoriſm. comm. 49.

Quædam turbata emingitur poſtmodum inclareſcit; hæc indicat ſpiritus flatulentos adhuc aliquos ſupereſſe, crudeſque refertas venas humoribus, non tamen ceſſare naturã, ſed coctioni valenter incumbere, atque mox ſuperiorem fore. Quædam turbida remanet vt redditur. Hæc cum virtute valida morbi longitudinem prænuntiat; cum inualida, perniciem ægrotantis, inquit Galenus. At primam omnium deterrimam cenſet (puta

Galen' 4. de ſanit. tuenda 3.

Galen' 4. Aphoriſm. comm. 70.

nisi ab externo frigore, aut alia quauis causa externa perturbatio oriatur) nam debet incipere concoqui, quare & longiori tempore, & fortiori virtute indiget ad coctionem. Secundam mitem æstimat, quoniam parum aliquid turbulentiæ superesse demonstrat: tertiam inter vtramque mediam, quia vigere adhuc quæ est in sanguine agitationem ostendit.

1. de Crisi. bus 12.

Quæret Hippocratis studiosus, quænam ex his iumentorũ vrinis similes vocentur, & capitis dolorem aut præsentem, aut futuram significent? Respondet Fuchsius vltimas. Ego secundas tertiasque tales æstimo, nam in vtrisque materia crassa & densa à calore agitatur, ex agitatione multus spiritus flatuosus, multi vapores crassi efferuntur in caput. Hæc de vrinæ substantia, nunc ad quantitatem.

Quantitas vel pauca est, vel multa. Si pauca, mala; nisi forte vel ex sicciorum alimentorum vsu, vel defectu potionis, vel ad ventrem, aut ad extima corporis delatum serum deiectione vel sudoribus erumpat. Multa quoque vitiosa est, nisi vel potus copiam sequatur, vel criticè propellatur. Multam quandoque vrinam emitti vbi caput nimium incaluerit auctor est Hippocrates. Liquescit enim in ipso pituita, liquescens secedit partim ad nares, partim ad os, partim per venas quæ ducunt ad pudendum. Pauca, vel renum debilitatis est soboles, vel mea-

2. de morbis in principio.

tuum vrinatiorum obstructiones sequitur, vel incendium desiccans atque consumens: Multa vel crudioris succi redundantiam denotat, quam ferre vasa nequeunt: vel acrimoniam stimulantem, vel retentricis imbecillitatem, aut denique colliquationem.

Qualitatis nomine tria continentur, color, odor, sapor. Colores, odoresque satis nobis fuerit contemplari, si qui vel tam sordidi, vt vrinæ gustu delectentur; vel sic accurati, vt eius molestiam non auersentur, ex saporum differentijs, seri, humorumque permistorum differentias annotabunt. Sed hæc maiestate Medica prorsus indigna. Imò & fœdum ac turpe est fœdos odores palam ac nimium accuratè obseruare: honestè dissimulandũ, moxque fœtore depræhenso distinguendum, an fortè ex renum vicinarumve partium vlcere, an ex assumptis quales asparagi. Aliàs ex fœtore superante putredinem perpetuò conijce quo nomine vrinæ
1. Prognost. t. 42. fœtidæ ab Hippocrate improbantur. Inter colores medium tenet citrinus, aut subrufus à moderato calore oriundus: quicunque citra hunc consistunt spiceus, glaucus, albus caloris debilis, & cruditatis, sunt indices.
Gal. 1. de crisib. 12. Aquea quidem vrina vltimæ est imbecillitatis indicium. Huic proxima quæ mixtam vini tenuis atque albi formam obtinet, post hanc subpallida.

Quicũque supra, croceus, ruber, passeus, viridis, cœruleus, liuidus, niger, calorem

extraneum indicant, aut humoris alieni permistionem. Tantò deteriores euadunt quantò ad nigrum proximius deflectunt, nisi fortè vel à crisi pendeant vel ab externa causa. Vrinas denigratas vsque adeò deleterias & exitiales expertus est Galenus, vt neminem vnquam seruatum viderit qui tales eminxerit. De Chymosi ista sufficiant, nunc ad contenta veniamus. *Loco supra citato.*

Dubitatio vndecima. Quæ signa ex vrinæ contentis petenda?

VRina optima est si candidum sedimentum fuerit, læueque & æquale per omne tempus dum morbus iudicetur, securitatem enim ac morbum fore breuem significat. Si verò intermittit, atque interdum puram emittit vrinam, interdum subsidet candidum ac læue, morbus diuturnior ac minùs securus est inquit Hippocrates. Vbi perfectam Hypostasim, & quæ ab ea significantur exprimit. Imperfectæ signum vnicum proponit inæqualitatem; cœtera latiùs in sequentibus prosequitur: nos facilioris doctrinæ gratia singula ab eo dicta ad propria capita reuocemus. *2. Prognost t. 26.*

Sciendum in primis contenta in duplici esse differentia; vel enim cùm vrina ortum

in venis perfectionemque adipiscuntur; vel aliundè adueniunt, seroque immista crassamentum veriùs quàm sedimentum deponũt. Quæ prioris sunt generis, quatuor obijciunt nobis attentè considerãda: locum, qualitatem, substantiam, & quantitatem.

Locus triplex est, summus, medius, infimus. Summus est suprema vrinæ facies; medius media; infimus, fundus. Summum tenet nubes: mediũ Eneoræma siue suspensum. Fũdum Hypostasis, seu sedimentum. Quæ nihil omninò deponit vrina, vel tenuissima est & aquea, sũmæque tenuitatis profert indiciũ: vel cõfusa & turbida de qua paulò superiꝰ egimꝰ.

Vegeti caloris argumentum est Hypostasis; non ita validi, sublimamentum, seu appensum; minimè omnium validi, nubecula. Quod enim exquisitè coctum secretumque, est æquale, ac similare, vt potè nullum habens flatum, in fundum descendit vasis vrinam continentis. Quod verò permistũ Aëreo & vaporoso quodam flatu, id subductum ab eo quod proportionale sit quantitati subducentis, minusque & magis sursum fertur, ait Galenus.

Galenus 2. prognost. comm. 36.

Qualitatem & substantiam præfato à nobis textu declarat Hippocrates: qualitas laudabilis est vt sit alba: substantia, vt læuis.

Albedo naturæ dominium & victoriam palam facit: vt potè cum solidioribus corporibus coctione quodammodò assimiletur Hypostasis. Læuitas dicit substantiæ modum,

Galenus 1. prognost. comm. 42.

qui eſt vt vnita ſit, omnique ex parte cohærens, non aſpera, non diuulſa: quæ naturæ vis eſt in cogendo, eadem in coquen- *1. Prorhet.*
do. Quorſum (inquiet aliquis) cùm tanti paſſim haſce coctionis notas æſtimet Hippocrates, vrinas coctas malas in Prorheticis aſſeruit? nullus in Epidemicis obijt, qui coctas vrinas excreuerit: Quonam igitur iure tales in Prorheticis damnantur? Facilis ex Galeno ſolutio, nam vel detrahenda dictio malæ: vel cum Rufo legendum οὖρα ἐπίπονα κακὰ hoc eſt vrinæ quæ cum labore excernuntur malæ, non autẽ πέπονα hoc eſt coctæ. Meliùs adhuc (meo iudicio) fuerit priuatiuã particulã quæ inuenitur, in fine dictionis οὖρα adiecta Apoſtrophes nota dictioni πέπονα præfixiſſe, vt sẽſus ſit, οὖρ' ἀπέπονα κακά vrinæ incoctæ malæ, tumque nulla reliqua inuenietur difficultas.

Quid de alijs ſedimentorum coloribus *Hippocrat.*
æſtimandum? Si vrina fuerit ſubrubra, & ſe- *2. prognoſt*
dimentum ſubrubrum, ac læue, diuturnior *t. 27. & ibi. Galen.*
hic morbus quàm primus, ſed maximè ſalutaris. Salutaris, quia humoris integerrimi, puta ſanguinis exuperantiam indicat non exquiſita ratione confecti. Diuturnior, quia humidioris, & magis ſeroſi, qui non niſi tempore coquitur.

Nigram vitioſam appellat Hippocrates, *2. prognoſt 29.*
Galenus exitialem: quoniam vel ob vehe- *Gal. 1. de*
mentem frigiditatem accidit, vnde caloris *criſ 12.*
extinctio: vel ob inſignem calorem, vnde

exuſtio, & colliquatio. Et hæc in febribus ſub præfatis limitationibus audienda, itemque ad cœteros transferenda. Ad craſſitiem quod attinet, & tenuitatem, reſpondet vtrũque, victus formæ vel humori dominanti. De quantitate pariter iudicandũ, copioſum nãque & craſſum ſedimentum pariunt craſſi, multiq; humores: nullum, aut omninò paucum, & tenue, bilioſi: ac ferè nebulam potiùs, aut appenſum, quàm ſedimentum. Quã ob cauſam in pueris fermè omnibus, & adultis otioſè degentibus, aut quouis alio modo repletis, ſatis multam Hypoſtaſim habent vrinæ, quoniam in his redundant cruditates: in pueris propter voracitatem, in adultis etiam propter deſidiem. Quamobrem qui vel ex otio, vel ex ingluuie febricitant, ſi ſanitati reſtituendi ſunt, plurimũ ſedimentum deponant neceſſe eſt. E contrariò ijs qui ex inedia & labore; nubes, vel ſuſpenſio bona ſufficit. Quantitas ergô ex ſe nihil indicat, ſed cum prauis ſignis coniũcta vel cum benignis, eorum vim manifeſtiùs declarat, pro cuiuſque morbi, humoris, ætatis, ſexus, cœterorũque his ſimilium ratione. Addidit poſtremò æqualitatem Hippocrates quæ qualitati eſt & ſubſtantiæ communis. In duobus autem conſiſtit æqualitas.

Gal. 1. de criſ. c. 12.

Primò nempe in ſingularum partium ſimilitudine & paritate, tum in colore tum in ſubſtantia. Secundò in continuitate temporis ſiue perſeuerantia, quæ nunquàm euariet.

Quæ modò alba eſt, modò alterius coloris, vel modò læuis nunc aſpera, diuturnitatis & minoris fiduciæ ac ſecuritatis præbet augurium. Simili ratione, quæ vna ex parte albà eſt, ex altera citrina, crocea vel alterius coloris, hinc læuis, illinc aſpera & rugoſa, hinc continua, & cohærens: illinc veluti fiſſa atque diuulſa, neque breuitatem, aut facilitatem, neque certitudinem vllam pollicetur, ſed vehementem perturbationem. *Hippocrates 7. Aph. 33.*

Quæ aliundè adueniunt contenta, ſeroque permiſcentur, ratione loci nihil à præcedentibus diſſident, eaſdem vrinæ ſedes occupant, ſed diuerſas planè ſui primordij cauſas agnoſcunt.

Innatant corona, ſpuma, bullæ, olei veluti puncta, pinguedo. Coronæ color dominantis humoris colorem exprimit, ex cuius natura de morbi longitudine, & ſecuritate licet coniectari.

Spuma à flatibus, vel humorum ab interno incendio commotione excitatur. *Galenus 2. progn. comm. 47.*

Bullæ quò ſolutu difficiliores eò magis pertinaces humores ſignificat, à quibus contumaces pariter oriantur affectus. Quippè tenuis humor qualis exquiſita aqua habetur, quoties purum aërem compræhendit, diuti⁹ non continet ſed ſtatim reſciſſis bullulis in propriam ſedem remeare finit: qua de cauſa promptè in mari ſpuma ſoluitur. Craſſus verò & glutinoſus humor quoties turbulẽtam & nebuloſam ſubſtantiam intra ſe in- *Galenus ibidem.*

cluſerit, plurimum retinet, quoniam nec illa ſurſum verſus feſtinat, nec facilè reſcinditur. Verùm non tantum ex bullis ſolutu difficilibus, ſed ſimpliciter ex bullis morbi longitudinẽ auguratus eſt Hippocrates. Quoniam (inquit Galenus) cum flatuoſus ſpiritus vnà cum vrinis excernitur, frigidã ægritudinem indicat: ſed frigidum omne ægrè ſolubile eſt, & vix coctionem admittit quamobrem in longum protrahitur.

7 Aph. 34. & ibi Gal.

Olei puncta, & telis araneorũ ſimilis pinguedo innatans, colliquationem corporis atque conſumptionem nuntiant. Oleagineas quidem vrinas prauas nuncupat Hippocrates, prauiores tamen ſunt pingues æſtimandæ. Notent hìc & alibi iuniores accuratè diſtinguendum, nunquid particularem renum affectũ ſequantur vrinæ, nam pingues vrinas νεφελτικὰς vocat idem Hippocrates, hoc eſt renum vitium indicantes: vbi partem affectam diſcernendi nobis viã aperit vox ἀθρόη hoc eſt cõferta. Nam colliquati circa renes adipis partibus tranſſumptio, ad vrinas celerrima, ſimulque tota fit non paulatim: in alijs partibus non item, defertur primum pinguedo ad venas proximas, ab his ad alias dum tandem perueniat ad renes. Medium vel fundum vrinæ tenent quædam corpuſcula farinæ craſſiori ſimilia, vel ſquammulis aut furfuri, vel capillis, aut pulti, à quibus futuri euentus præſagia nobis cum noſtro doctore depromenda. In ſumma hæc vel

Hipp. 2. progno/t. t. 35.

7. Apho. 35

vel renum aut vesicæ particulares effectus minimè quandoque lethales demonstrant: vel totius venosi generis, & in acutis febribus aut longitudinis signa sunt, aut colliquationis, aut mortis.

Si vrinæ sedimentum speciem referat farinæ crassioris malum est ait Hippocrates. Deterius verò si squammulatum more consistat: si tenue admodum & candidum est vitiosum est, furfureum deterius. Farinacea quidem Hypostasis verè mala, vt poté quæ diuturnum fore morbum ostendit, multamque requiri coctionem, quam priusquam absoluat natura plurimum morte præuenitur. Addo hanc ipsam duarum simul dispositionum esse indicem grandis scilicet colliquationis, & caliditatis æstuosæ, quæ sanguinem adurit. In ea quæ squammas repræsentat, vasorum partes superficiales omninò resoluūtur atque colliquantur. Similiter in furfurea. Huius particulæ tantò sunt squammulis crassiores & minores, quantò sqāmeæ sunt his ipsis tenuiores atque latiores. Tenuis porrò vrina cum eiusmodi crassamento, venas: non tenuis, pati vesicam indicabit.

2. prognost. t. 38. Vbi Galenus

7. Aph 3 1. & ibi Galenus

Gal. 1. decr cap. 42.

4. Aphor. com. 77.

Sub hac eadem distinctione capillamenta vel in renum vitium, vel in venarum affectum retorquebis. Fiunt autem veluti capilli ex crassa lentaque materia calore in venis incensa atque exsiccata, quod ex eorum colore & mole colligit Galenus, quamobrē & venarum feruorem, & affectus diu-

Galenus 6. de locis affectis 42.

turnitatem portendunt. Eandem illorum in renibus generationem, ex prægressa causa, & curationis methodo, arguit idem Galenus: nam quidam tale corpus medij cubiti longitudine excreuit, qui toto ferè præcedente anno orobum & fabam comederat, sæpissimeq; caseum & tenerum, & siccum, omnesque alij quibus talia mingere contigit, cibis crassioribus vescebantur, contrà verò attenuantibus & incidentibus ac victu humectante curabantur.

4. Aphor. comm. 76.

Solum fundum occupant pus, & pituita. Pus quidem, interni abscessus aut vlceris argumentum. Pituita vt plurimum á cerebro, vel à ventriculo ac intestinis fertur in renes, quantumque ex se est longitudinem minatur: quanquàm non istud perpetuum, leui enim Cathartico, sæpè ad anum diuertitur ac integrè expurgatur.

His quæ ad vrinas pertinent declarasse sit satis, in quibus aliquantò fuimus longiores, quod nullum planè aliud eorum quæ intra venas sunt signum habemus euidens & manifestum, ex quo certiùs in acutis febribus de futuro euentu, ac de agendis sententiam feramus. In eiectionibus & sudoribus erimus breuiores.

Galenus 4. de sanitate tuendæ.



Dubitatio duodecima. Quæ signa ex deiectionibus promenda?

DEiectio optima est inquit Hippocrates, si mollis constansque eoque tempore secreta qui secundum valetudinem assueuit, si copia ex ratione ingesti cibi, si enim talis excernitur, venter inferior bene habet. Addit posteà subrufa nec graueolens esto. Quibus verbis deiectionis laudabilis notas ex quatuor fontibus deriuat. Ex substantia, ex secretionis tempore, quantitate, & qualitate, quæ non modò probam ventris inferioris (hoc est ventriculi & intestinorum) dispositionem attestãtur, sed præterea nihil in eum ex hepate, liene, vel aliundè incumbere. Itaque præfatis, contrariæ deiectiones, vel prauam ventris constitutionem denotabunt, vel humorum præter naturam ex alijs partibus affluxum. *2.prognost. t.13.* *t.17.*

Damnat in primis Hippocrates deiectiones crebras & paucas propter desidendi laborem qui insomnium parit. Frequẽtes quoque & multas, propter, viriũ exolutionem. *2.prognost. 14.*

Damnat præterea aquosas, vt pote crudas. Spumantes, vt quæ vel aflatus copia, vel ab æstu vehementer agitante. Candidas (subrufas enim anteà probauerat) quoniam bile

qualitate modica & quantitate pauca tinctæ naturaliter esse debent.

Ibidem t. 50. 21. 22. 31. Si ergò vel propter obstructionem meatus Cholidochi distribui ad intestina bilis nequeat vel aliò rapiatur, alba, aut cineritia erunt excrementa.

Damnat quoque versicolores, aut synceras, croceas admodum, porraceas, liuidas, nigras, opimas, fœtidas, læues. Versicolores varios tum affectus, tum humores designãt, vnde longitudinis & periculi metus. In diuturno morbo synceras deiectiones malum ostēdere annotauit idem Hippocrates, nam *7. Aphor. 6. & ibi Galenus.* exustam omnem natiuam humiditatem indicant. Croceæ admodum, aut virides, bilis croceæ permistam copiam. Porraceæ, eiusdem coloris bilem notant. Liuidæ modicum bilem nigram modicè permistã. Nigræ synceram bilem atram. Opimæ consumptam ab igneo calore : pinguedinem, fœtidæ putredinem; læues cōfirmatam ac vniuersalem prauitatem: læue enim redditur quicquid è corpore excernitur, aut quod habeat æqualem coctionem itavt nulla pars naturæ alterationem fugiat, aut propter vehementem consumptionem, vt nulla pars materiæ supersit imperpessa, vt igitur addita salubribus æqualitas, illa salubriora reddit & firmiora sic prauis adiuncta, deteriora ipsa efficit.

Quæ de vrinis & alui excrementis scripsimus debent sub ijsdem rationibus & limitationibus proportione intelligi: spectãdũque

in primis, num vel ab assumptis, vel aliundè extrinsecus, vtrorumque tum substantia, tum quãtitas, tum qualitas immutetur. Num etiã naturæ vi & beneficio quod molestum est criticè expellentis, nam à furore difficultatem intestinorum laudat Hippocrates, & alibi cum in febribus non intermittantibus liuidas, cruentas, fœtidas & biliosas omnes excreationes damnasset, mox subiecit, si benè exeant siue per alui excretionem, siue per vrinas, bonas æstimandas: benè exeunt cum apparent coctionis signa, cœteraque præfata laudatæ criseos indicia occurrunt. Amplius nigras deiectiones admodum improbat & cum febre & sine febre: & quo plures deteriores fuerint colores, eò deterius æstimat, non tamen si è medicamento excludantur, sed si spõte naturæ exturbentur: nam multi deiectionum colores præter naturam sponte educti multarum malarumque in corpore dispositionum proferunt notas: sed à medicamento vim habente varia pellicere, nihil absurdi imò verò naturæ victoria & humorum in sequendo facilitas demonstratur. Et hæc gratia exẽpli dicta sufficiant ad cautelam. Sed vereor hæsuros circa petitum à fœtore prognosticum non paucos, qui enim fit vt id quod sanis atque ægrotis commune est malo imputetur? an suauem in benè valentibus odorem aliquem spirant alui excrementa, qualis in animantium quorundam deiectionibus percipitur? an non

7. Apho. 5

4. Aph. 47

4. Aph. 21.

potiùs tetrum, ac perpetuò fœtidum? quid quod qualia assumpta sunt, neque odore immutata si excernantur extremæ imbecillitatis est argumentum? vel ergô perpetua in sanis putredo, si hanc perpetuò fœtor indicat; vel non est ratio sufficiens cur in sanis fœtorem probemus, aut eundẽ certè in ægrotis potiùs, quàm in illis improbemus.

Admittimus nos fœtorem etiam in sanis putredinis esse sobolem, sed hic dum ordinarius est, ordinarias etiã causas prodit, sin extraordinarius, extraordinarias. Vrinæ & alui excrementa fœtida non appellamus nisi cum à consueto modo deficiunt, & limites naturæ solitos prætergrediuntur. Quæ omni fœtore destituta sunt, calorem ita exiguum esse significant: vt non modò non perficiat sed ne aggrediatur quidem coctionem.

Sed quæ in sanorum fæcibus fœtoris causa? nunquid etiam in excrementis natiui caloris actio illucescit? quæ natiuo calori & putredini communio? non omnem fœtoris causam in calorem reijcimus, sua est ex parte materię culpa, sed neque calorem prorsus à culpa vindicamus. Calorem (inquam) non quidem natiuum sed extraneum quodammodo: nam quo tempore in ventriculo sit coctio, naturalis calor in omnes ingesti cibi partes se se ęquabiliter diffundit, homogenea, ab heterogeneis separat atque segregat. Quę naturę alendarum partium similia sunt & benefica per mesaraicas venas in iecur,

à iecore per venas in omnem corporis ambitum feruntur. Quæ nutritioni inepta ac inutilia, à tenuioribus inteſtinis in craſſiora depulſa tanquàm aliena & extranea à naturali calore negliguntur, atque deſeruntur, tum in ea calor continentium partium agere occipit vt extraneus, en prima fœtoris occaſio. Altera & potiſſima eſt ex parte materię, quę multo humido crudo, atque incocto ſcatet ac ſuperfluit, humida autem calido loco concluſa facillimè computreſcunt.

Dubitatio decimatertia. Quæ ſigna ex ſudoribus deſumenda?

VNico textu quę ad laudabiles & illaudatos pertinent ſudores complexus eſt in prognoſticis diuinus ſenex, atque eorum quinque nobis indicia propoſuit. *1. prognoſt. 26.*

Primum eſt tempus: ſudor optimus (inquit ipſe in Aphoriſmis) per omnes acutos morbos, ſi per diem euenit decretorium. Qui autem alijs diebus accidit, laborē ſignificat, morbi longitudinē & relapſum. *4. Aphor. 36.*

Secundum eſt quantitas cauſę morbificę reſpondens, quę hac clauſula notatur (*& integrè ſedat febrem*) ſudoris enim paucitas naturam oſtēdit vel humorum copia preſſam, vel certè exolutam.

Sudor exuberans humorum quoque exuberantiam denotat & naturam exoluit.

Tertium est locus : bonus (inquit ille) si ex toto corpore prodeat sudor; at pessimus qui circa caput tantummodo, vultum & ceruicem; hic enim cum acuta febre mortem cum mitiore, longitudinem denuntiat.

Quartum est qualitas, pessimum reputat frigidum idẽ Hippocrates, propter eandem cum precedente rationem; quamobrem si laudabilis calidus sit quoque necesse est. Frigidus enim crassitiem peccantis humoris designat, qui idcirco discuti facilè ac superari non potest. Calidus tenuitatem, ratione cuius minus coctioni resistit, & dissipationi. Sudor itaque multus frigidus, aut calidus assiduè fluens frigidus quidem longiorem; calidus breuiorem affectum prenuntiat.

4. Aphor. 37 & ibi Galenus

4. Aphor. 42

Quintum, est eruptionis modus his verbis expressus: sudores qui cum guttis fiunt boni sunt. Hoc est qui confertim erumpunt, aliàs guttatim non stillarent. Ex conferta eruptione validam naturam coniectamur, ex contraria debilem ac elanguidam.

His absolutam pro modulo nostro arbitramur, proque rerum necessitate, si non pro dignitate, primam nostri propositi partem, in honorem DEI TER OPTIMI, MAXIMI, VIRGINISQz DEIPARÆ: in studiosorum commodũ, & egrotantium salutem.

FINIS

Extraict du Priuilege du Roy.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre. A noz amez & feaux Conseillers tenans noz Cours de Parlements, Baillifz, Seneschaux, Preuosts, leurs Lieutenans, & à tous nos aultres Iuges & Officiers salut, nostre bie͂ amé Sebastie͂ Philippe Imprimeur Iuré à Toul nous a faict remonstrer quil a recouuert vn liure intitulé *Controuersiæ Theoricæ Practicæ in primam Aphorismorum Hippocratis Sectionem. Auctore* CHRISTOPHORO CACHETO: *Serenissimi Lotharingiæ Ducis Consiliario & Medico ordinario*, grandement vtile au bien du publicque: lequel il feroit volontiers imprimer & mettre en lumiere s'il ne craignoit que quelque autre Libraire ou Imprimeur voulust faire le semblable, & par ce moyen le frustrer de la recompence (que cest œuure & la despence qu'il y conuient faire) luy promettent. Occasion qui luy a faict nous supplier luy octroyer nos lettres de permission necessaires à ces causes. Le voulant fauorablement traicter, & afin qu'il soit reco͂pencé de ses labeurs & despens, auons de noz grace speciale, pleine puissance, & auctorité Royale, permis & permetto͂s d'imprimer faire imprimer, vendre & distribuer par tout cestuy nostre Royaume, & Seigneurie de nostre obeissance ledit liure, sans que dura͂t

six ans autre que luy & ceux qu'il voudra se puissent entremettre en l'impression, vente & distribution d'iceluy, soubz quelque pretexte & deguisement que ce soit, à peine de cinq cens liures d'amende, despens dommages & interests, declairant à ces fins tous les exemplaires & liures contrefaicts acquis & cõfisqués audict Philippe, qu'il pourra faire saisir la part où ilz seront nonobstant oppositiõs ou appellatiõs quelcõques. Si vous mandons & à chacun de vous tres-expressement enioingnons que du contenu en ces presentes vous faictes, souffries, & laissies iouir & vser plainement & paisiblement ledict Philippe, ses associez & ayant cause, sans permettre qu'ilz y soiẽt troublez. Voulons qu'en mettant au commencement ou fin dudict liure ces presentes ou vn bref extraict, quelles soient tenues pour d'heüement signifiees, & qu'à la copie collationee par l'vn de nos amez Conseiller, Notaire, & Secretaire, foy soit adioustee comme au present original. Car tel est nostre plaisir. Donné à Paris le dernier iour de Ianuier l'an de grace Mil six cens douze, & de nostre regne le deuxieme.

Par le Roy en son Conseil

DESPORTES.

L E Edict Sebastien Philippe a imparty le Priuilege à luy octroyé par sa Maiesté à Claude Louys, & Nicolas Thouuenot Marchãds Libraires, & non à aultres, pour iouyr plainement & paisiblement du contenu en iceluy, comme appert par le transport sur ce faict le 24. Iuillet 1612. Signé. Florentin.

ERRATA OBSCVRIORA SIC *corrige. Prior numerus paginam, Posterior lineam denotat.*

4. 18. assistentes. 15. 9. haud multum. 22. ἀθανάτους. 21. 4. αὐτόματι 22. 26. transferimus. 26. 6. γεγραντέρων. 17. κελεύσω 39. 6. solum. 44. 18. Quorum. 47 23. habet. 48. 28. παραλίνουσι. 49. 2. redundare. 51. 23. exinanita. 54. 8. præditi. 60. 8. enim. 62. 30. proximos. 63. 1. exercet. 32. origo. 64. 28. Nunc. 67. 17. imperata. 69. 31. opus. 78. 2. affectus. 83. 32. in. 84. 13. Rhabarbarum. 85. 27. effatu. 86. 30. commodè. 88. 14. tum quantitatis. 89. 21. inanitionis. 31. allegato. 90. 22. asserendum. 91. 6. solùm. 8. vtilius. 11. veritate. 12. ipsam. 92. 27. praua. 93. 15. Et quidem. 103. 24. quantitatis. 104. 11. hæc. 29. contrarium. 105. 5. expositio. 106. 19. hæc. 107. 27. consuetudine. 112. 9. inferiora. 113. 26. miti &. 27. Critica. 114. 22. singularũ. 115. 13. expunge. 116. 18. sunt. 24. si. 117. 21. extrudit. 32. Neotericis loquendi. 120. 21. infarctus. 121. 2. Pharmaceuticis. 125. 10. indicari. 127. 10. icterum. 19. sumpta. 129. 32. indicatur. 136. 14. qualitaté. 137. 14. iudicari. 140. 27. vbi. 143. 13. enematis. 18. iudiciũ. 25. arguḿetis. 29. reidit. 145. 6. non. 14. nam. 147. 6. efficiunt. 151. 28. omnes. 153. 19. expositio. 155. 16. iudicatur. 159. 30. num. 160. 2. toti. 161. 18. paruos. 30. acer 168. 28. refert. 171. 7. adstipulantur. 172. 9. &. 173. 4. Quod ad. 13. & ὄμφας. 175. 12. iudicassent. 29. γίνονται. 176. 18. καρικομόωντα. 180. 5. fiunt. 181. 4. ipsi. 14. num. 182. 11. &. 183. 9. faciat. 184. 16. præcognitione. 17. videatur. 185. 25. incidant. 187. 26. porrecta. 202.

17. affectiones. 205. 3. qualem. 225. 2. affeclas. 230. 31. quæso. 233. 22. prouidentiæ effectibus 238. 13. significationẽ. 250. 24. tacitè. 256. 29. nominabimus. 257. 19. proportio. 266. 20. induci. 266. 30. venarumque. 276. 28. nocumẽto. 277. 15. genuina. 315. 7. cautiones. 317. 23. defuit. 338. 5. vernum. 341. 3. dysutia 345. 27. sursum. 352. 3. fit non. 352. 24. compescendi. 358. 28. secreti illi 372. 7. pollicimur. 408. 8. externum. 454. 8. subsistunt. 529. 23. conferta. 576. 11. minimè. 545. 17. affectu. 549. 6. nam. 517. 9. vniuersalior 615. 21. effectusque. 628. 11. mentis. 632. 9. nam. 655. 7. imperari. 664. 1. notationem. 686. 14. Phlegmone 692. 9. efficit. 700. 22. multa. 700. 24. indubitatis. 706. 18. applicat. 706. 28. remorantur. 717. 9. internis. externis 728. 2. tepore. 741. 21. breues. 764. 31. resistendum. 770. 7. congressu.

